This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX J8ZE X

Ital 4838.1.6

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)

16 May, 1881.


ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO

SENATORE VENETO.

DECAS SEPTIMA ET OCTAVA.



VENETIIS,

MDCCXXXXIX.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

~~III.1081~~
Ital 4838.1.6

1881, May 16.
Minot fund.

PRÆFATIO.

ITA homines ſumus natura comparati, ut quæ in aliis graviter carpimus, & acerbe corripimus, plerumque eadem incauti admittamus. Nihil hoc ævo audias frequentius, quam jacta in Antiquos convicia, quos eo nomine incuſamus, quod litteris non conſignaverint, quæ a poſteris ignorari minime decebat, quodque ea memoriæ non prodiderint, quæ locorum conditioni, morum inſtitutis, clariſſimorum hominum geſtis lucem affudiſſent. De his, dum dolemus, ac conquerimur, temporum barbariem, ac calamitatem, hominum inertiam, & inſcitiam verbis diſertiſſimis execramur. Interea ipſi, ſi quid de noſtro molimur, toti ſumus in veteribus monumentis colligendis, & multa prætermittimus, quæ ætatem noſtram illuſtrare poſſent, & apud poſteros mirifice commendare. Nimirum venient anni ſæculis volventibus, quum tela, quibus majores noſtros confodimus, minores noſtri in nos retorquebunt, & ſi minus rudes, & barbaros, certe improvidos, & inconſultos appellabunt, qui ut ævo remotiſſima ſectaremur noſtra nihilominus memoratu digna plane neglèximus, & quum utrumque peræque curare præſtitiſſet, unum tantum plus juſto amplexi ſumus.

Hæc cum apud me tacitus reputarem, & viros graviſſimos in eadem eſſe ſententia intelligerem, ſtatui in hiſce quibuscumque commentariis, ita Venetas Eccleſias tranſigere, ut rebus antiquis ſedulo excuſſis novas etiam adderem, & communi vinculo conſociarem. Videbor cuipiam fortaſſe tempus terere, & operam, ut ajunt, perdere, dum res notas, & ob omnium oculos poſitas effero. Sed aliud forte judicium de me ferent poſteri: præterquamquod Dei, ejusque Sanctorum gloriam, tum patriæ Eccleſiæ decus, neque alium præterea meorum laborum fructum mihi percipiendum propoſui.

Itaque juxta hoc ſcribendi inſtitutum metallica quædam numismata in Eccleſiarum fundamentis jacta, ære incidi curavi,

& ſequenti Decadi præfixi. Non ita pridem viguit Venetiis id moris, ut in Eccleſia aliqua extruenda nummi ex metallo in fundamentis una cum primo lapide demittantur, qui doceant, quo tempore, & quo Principe, quibus opibus, & quibus authoribus ædificium illud fieri cœperit. Hujus certe generis numiſmata antiqua nuſquam occurrunt in ſelectioribus Venetorum Muſeis. Atqui ex indole loci nullibi melius, quam Venetiis vetuſtiſſima ædium fundamenta ſubruuntur, quippe fulcris tabuliſque ligneis ſuppoſitis innixa. Hæc igitur apud alios vetuſtiſſima conſuetudo, nonniſi a ſæculis admodum paucis, apud nos tenet. Ex nummis hiſce quoſcumque potuit, laudabili ſtudio, & ſolertia collegit Nobilis vir Petrus Gradonico, Jacobi Senatoris olim filius, vir in patriis antiquitatibus eruditiſſimus, cujus Muſeum ingentem id genus rerum, & conſpicuam Manuſcriptorum copiam continet. Ab ipſo potiorem partem obtinui eorum numiſmatum, quæ modo publici juris facio, reliqua ex refertis ſuis Muſeis obtulerunt Joannes Superantio, atque Antonius Savorgnano Senatores Clariſſimi.

Neque vero audiendi ſunt, qui poſt inceptam typographicam artem cætera eſſe dicunt ſupervacanea, quæ ad rerum memoriam poſteris commendandam antea valebant. Quaſi vero ſcriptores rerum, plerumque publicis intenti, iſthæc minutiora proſequerentur, quæ ſunt domeſtica. Quid quod hiſtorici vel loco, vel tempore diſſiti populares voces amplectuntur, & vulgi ſemper in admiranda proni fabulas interdum adoptant? Hinc illa hiſtoricorum diſſidia, quæ rei aperiendæ, & luce donandæ tenebras, & caliginem circumfundunt. Altero ab hinc ſæculo prælium atrox inter Hiſpanos, & Gallos apud Cerignolam in Italia commiſſum eſt. Qui primi de eo ſcripſerunt, vel ſynchroni, vel ſuppares authores diſſident inter ſe in aſſignanda commiſſi prœlii die, neque leve, prout in re tali, eſt diſcrimen. At nummi metallici his incommodis, & erroribus non ſunt obnoxii, propterea nihil illis opportunius invenitur ad certam rerum, & hominum memoriam poſteris demandandam. Non itaque reprehendi debeo, ſi nummos afferendo, & illuſtrando tale aliquid præſto, quod noſtræ huic ætati non indecorum, & ſeris Nepotibus apprime utile evadat.

Ne

Ne autem inutili tædio eruditos lectores afficiam numiſmata ipſa deſcribendo, quæ per ſeipſa aperte patent, ſatis erit Eccleſias enumerare, ad quas numiſmata pertinent.

I. Itaque & II. numeris 1. & 2. connotata ad Eccleſiam Sancti Franciſci de Vinea Ordinis Minorum de Obſervantia pertinent, quæ Andrea Gritti Duce Venetiarum reædificata fuit anno MDXXIII.

III. Erectionem votivi templi refert Chriſto Redemptori dicati, annumque exhibet MDLXXVI.

IV. Etſi Eccleſiæ alicujus ædificationem non afferat, ſingulare tamen decus ornatiſſimæ Eccleſiæ recenſet, corpus nempe glorioſi Protomartyris Stephani, quo Monaſterium Sancti Georgii Majoris, quinimmo univerſa Venetiarum civitas gloriatur.

V. Oſtendit tempus Eccleſiæ Sanctæ Crucis de Luprio anno MDLXXXIII. reædificatæ.

VI. Cathedralem Baſilicam refert anno MDXCIIII. reſtitutam.

VII. A Balliſtariorum Societate reſtauratum teſtatur anno MDIIC. D. Barbaræ ipſorum Protectricis Sacellum.

VIII. Ad Patriarchalem Sancti Petri Eccleſiam attinet anno MDCXXI. inſtauratam.

IX. Eccleſiam S. Nicolai in littore a fundamentis reædificatam aſſerit anno MDCXXVI.

X. & XI. in fundamentis Eccleſiæ votivæ S. Mariæ de Salute jacta fuerunt anno MDCXXXI.

XII. Ad Eccleſiam Sancti Moyſis ſpectat inſequenti anno MDCXXXII. renovatam.

XIII. Anno MDCXXXIV. docet Xenodochium Templumque S. Lazari Mendicantium extructa fuiſſe.

XIV. Erectam anno MDCXXXIV. dicit Eccleſiam Divæ Annæ.

XV. Deiparæ Virgini a Planctu delubrum dicatum ſignat anno MDCXLVII.

XVI. Translationem Sanctimonialium Eremitarum Sancti Auguſtini anno MDCLXXXXIII. peractam affert; quæ cum prius ſub tecto Eccleſiæ S. S. Hermagoræ & Fortunati habitationes anguſtiſſimas haberent, ad locum, ubi Monaſterium erexerunt ſub titulo S. Joſeph deductæ fuerunt anno 1693; unde

unde numiſma ad Monaſterium magis pertinet, quam ad Eccleſiam.

XVII. In Novæ Eccleſiæ fundamentis anno MDCCXXVI. poſitum fuit, quam in honorem Virginis Deiparæ titulo Roſarii Fratres Congregationis B. Jacobi Salomonii Ordinis Prædicatorum erexerunt.

Numiſma in Fundamentis Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis de Pietate immiſſum, dabimus, cum de ipſa Eccleſia ſermo erit; aliud vero, quod poſuit Angelus Amadi cum propria effigie in fundamento Sacelli Majoris Sanctæ Mariæ Miraculorum, dum ipſam Eccleſiam illuſtraremus, attulimus.

INDEX

INDEX
SEPTIMÆ DECADIS.

Eccleſia & Monaſterium S. Mariæ de Salute; ubi & de Sacello Sanctiſſimæ Trinitatis. Pag. 1
Monaſterium S. Mariæ de Humilitate. 80
Monaſterium Sancti Servuli Mart. in Inſula. 88
Eccleſia Parochialis Sancti Baſſi Ep. & Mart. 112
Domus S. Joannis Baptiſtæ Cathecumenorum. 125
Monaſterium Spiritus Sancti. 128
Xenodochium Sancti Salvatoris Incurabilium. 147
Eccleſia Parochialis S. Agnetis Virg. & Mart. 152
Monaſterium Sanctæ Mariæ de Charitate, ubi & de Sodalitio ejuſdem tituli. 157
Monaſterium S. Mariæ olim Jeſuatorum, nunc Prædicatorum. 220

INDEX

INDEX
OCTAVÆ DECADIS.

Eccleſia Parochialis SS. Gervaſii & Prothaſii Martyr. 235
Monaſterium S. Joſeph Sanctimonialium Eremitarum. 243
Monaſterium Omnium Sanctorum. 272
Monaſterium S. Sebaſtiani Congregationis B. Petri de Piſis. 285
Eccleſia & locus S. Mariæ de Succurſu. 326
Eccleſia Parochialis S. Raphaelis. 329
Monaſterium S. Thereſiæ Virginis. 353
Eccleſia Parochialis S. Nicolai Epiſcopi. 365
Monaſterium S. Mariæ Majoris. 369
Eccleſia Parochialis S. Barnabæ Apoſtoli. 379

DE


FRANCISCI DIVI
ANDREAS GRITI DUX VENETIAR
DIVI FRANCISCI MDXXXIIII
AN SP F
ANDREAS GRITI DUX VENETIAR MDXXIII
NICOLAO DE PONTE DUCE VENETIAR ET CÆT ET IOANNI TRIVISANO PATRIARCHA MCCCCCLXXXI XV AUGUSTI
TRANSLATIO BEATI STEPHANI PROTHOMARTYRIS AD ALIUM LOCUM HUIUS ECCLESIAE SANCTI GEOR
ANNO MDLXXVI
REDEMTOR VOTUM MDLXXVI
EDIFICABO ECCL MEAM TU ES PETRUS SUP HANC PETR
ÆD SACR CASTELLANAM IAMVETUSTATE COLLABENTEM LAURETII PRIU VEN PATHE PIETAS RESTITUIT SUI PATRUS AN IIII CLEMENTE VIII P M PASCCICONIA D MDXCIIII
S BARBARA SUB TUAM PROTECTIONEM CONFUGIMUS
1598
ET CPR SUI ANO SESTO NIC DEPONTE DUX VENE
FUNDAMENTA IACTA PRID KAL IUNII
1583
LA COMPAGNIA DE BOMBARDIERI ESSENDO CAPO DONA DOROSETTO POLO DE POLO GAST E GIO PA LARDI VIG RESTAURO LA SCUOLA DI S BAR BARA SUA PROTETR MARINO GRIMANI DUCE
ET TURRES HIERUSALEM GEMMIS ÆDIFICABUNTUR
TEMPLUM CATEDRALE PIETATE IOANNIS THEUP PATRIARCH VEN INSTAURATUM AN 1621 GREG XV P MAX ANTON PRIOL D VEN
1
2
3
4
5
6
7
8


BENEDIC·ERVNT QVI ÆDIFICAVERINT TE
TEMPLVM HOC D MOYSI SACRVM A·FVNDAM·RESTIT VRBANO VIII·PONT·MAX FEDERICO S·R·E·CARD CORNEL·PATRIARCA VENETIAR·
DIVO LAZARO MENDICANT·ELEEMOS·ERECTV
9
12
13
TEMPLVM D.NICOLAI. IN .LITORE PIETATE ·MONAC·CASIN A FVNDAM·RE ÆDIFICA AN·D·MDCXXVI·VR·VIII P·MAX·IO: CORNELIO DVCE ·VENET
ANNO DNI MD·C·XXXII· QVO SENAT·EX VOTO ÆDIS SACRÆ D.MARIÆ SALVTIS IACTA·FVNDAM·SVRGVNT FRANC·ERICIO DVCE VENETIAR ANT·AVRANO PLEB·
FRANC·ERICIO DVCE·XI·KAL·AVG·MDCXXXXIV
VNDE ORIGO INDE SALVS
10
NICOL·CONT·PR·SENAT·EX VOTO
MDCXXXI
NICOLAO CONTAR·PRINC·SENATVS EX VOTO
MDCXXXI
11
VNDE ORIGO INDE SALVS


IESVS NAZAR. REX IVDEOR.
16
EREMITARVM S. AVGVSTINI TRANSLATIO.
E. GREDERE DE TERRA TVA ET BENEDICAM TIBI 1693
15
DEI PARÆ. VIRGINI. A. PLANCTV DELVBRVM. AD. MORTVOR. ANIMAS SACERDOTVM. HOSTIIS. VIRGINVM PRECIB. EXPIANDAS SENATVS. VOVIT. PRIMOQ. IACTO LAPIDE DICAVIT FRAN.CO MOLINO. DVCE IO: FRAN. MAVROCENO. PAT.CA MDCXLVII
T. MONIAL. D. ANNÆ. ELEEM. A. FVND. ERECTVM
G. M. P.
14
FRANC. ERICIO D. IV. N. OCTOB MDCXXXIV.
BENEDIC. XIII. P. M. A. II
ALOY. MOCENIG. DVC. V
MARC. GRADON. PA.
COLLEG. SS. ROS. VENET.
17
D. O. M. TEMPLI QVOD IN HONOREM. VIRG. DEIPARAE TITVLO ROSARII FRATRES. CONG. B. IACOBI SALOMONII MOLIRI EX. PIORVM MVNIFICENTIA DESIGNARVNT MARCVS GRADONICVS. PATRI. VEN. PRIMVM LAPIDEM P. ANNO CHRISTI MDCCXXVI.

D E

MONASTERIO
SANCTÆ MARIÆ DE SALUTE.

CUM in Orientis imperio Veneta Reſpublica ſæculo XIII. ditionem ſuam victricibus armis extenderet, nullam ſibi infeſtiorem gentem ſenſit, quam Januenſes, qui Venetorum opibus & potentia in invidiam excitati, frequenti, ferocique bello eos in Oriente potiſſimum vexarunt. Ex Cœnobio S. Sabbæ in Ptolemaide, per injuſtam vim a Januenſibus capto, & arcis in modum molibus, & munimentis circumſepto *bellum Januenſe* ordine *ſecundum* ortum eſt, in quo cum acriter & diu apud Tyrum decertatum fuiſſet, Veneti tandem hoſtium potiti XXV. ipſorum naves vel pelago merſerunt, vel captas abduxerunt. Eo in prælio cum Venetas res egregie juviſſent Equites Alemanni, quos Theutonicos vocant, “ Dux Ray-
„ nerius Zeno (ut refert Dandulus in Chron. lib. X. cap. VII.
„ part. XV.) non ingratus favoris ſibi a Manſione Alemannorum
„ contra Januenſes impenſi, Monaſterium ſub vocabulo Sanctæ
„ Trinitatis fabricari fecit, & illud poſſeſſionibus dotatum præ-
„ libatæ domui benigne obtulit, & Templariis eadem cauſa plu-
„ res dextrarios condonavit. “ Hæc ex Dandulo fortaſſe cum

accepiſſet Abbas Ughell. dum in Epiſcopis Caſtellanis Tom. V. Ital. Sac. col. 1269. Thomam Arimundum recenſet, ita de ædificato Sanctiſſimæ Trinitatis Templo ſcribit: " Raynerius „ vero Zeno Dux divinæ gratiæ non immemor, qua ingentem „ victoriam contra Januenſes obtinuerat, Templum Sanctiſſi- „ mæ Trinitatis ædificavit, ac Templariis militibus multis bo- „ nis, & juribus ditatum contulit. "

Quum autem Dandulus loco citato *Manſionem Alemannorum* & *Domum* exprimat, cui Monaſterium Sanctæ Trinitatis oblatum fuit, profecto non obſcure ſignificat, ante Raynerii Zeni tempora, qui anno MCCLII. ad Ducale faſtigium evectus fuit, Equites Theutonicos Venetiis domum poſſediſſe, in qua & Comitia Generalia aliquando habuerunt; ut affert Simon Crunovius Tract. v. fol. 60. de ſucceſſione Magiſtrorum Generalium Ord. Theutonici: " Electus eſt Hermannus de Saltza Anno 1210. „ obiit autem Anno 1221. Quo ipſo anno convocatum eſt Venetias Collegium Equitum Ord. Theut. ſive ut vulgo vocant, „ Capitulum generale; ubi ſciſſis in diverſas partes Electorum „ ſtudiis ab altera parte electus eſt Ludovicus a Queden: ab „ altera vero Henricus C. de Hoenloe. Cæterum Henrico Treviris non ita longe poſt abrogatus eſt Magiſtratus, ſubſtitu- „ tusque Poppo de Oſterna. In extrema tandem ſenecta rurſus „ ad Henricum de Hoenloe devolutum eſt imperium. Defun- „ cto poſt hæc Ludovico de Queden, Ann. 1222. electus eſt „ Conradus Haſſiæ Landgravius.

Optime congruit Author Chronici Latino ſermone ſub Friderico Duc. Sax. & Mag. Pruſſiæ ſcripti, qui hæc habet: „ Qui (Bernhardus a Schuvenden) cum ſatis optime Duca- „ tum Venetiis VII. annis tenuiſſet, neſcio quo ſpiritu ductus „ per mare navigavit in Accaron, ibique officium Magiſtratus „ ſui reſignavit, licentiaque obtenta in Ordinem S. Joannis ſe „ recepit. Quem tamen poſtea penituiſſe legimus, & religio- „ nem iterum petiviſſe; ſed petitionem non obtinuit, & ita „ anxietate præventus carnis debitum ſolvit in Rhodos Inſula.„

Illuſtre itaque in maritima urbe domicilium cum poſſiderent equites Theutonici factum eſt anno MCCIIC. ut obſidentibus Ptolemaidam Saracenis, equites religioſi, qui in ea urbe ſedem fixerant, cum ſeſe immenſo hoſtium apparatui impares agnoſcerent, ex obſeſſa civitate elapſi una cum ipſorum magno Ma-

giſtro

giſtro Conrado de Fauchtuvangen naves conſcenderent, & proſpero curſu Venetias delati ad Monaſterium Ord. quod, ut ſuperius dictum eſt, ſub titulo Sanctiſſimæ Trinitatis juxta antiquam ipſorum domum Dux Raynerius Zenus erexerat.

Author vel potius continuator Chronici Ord. Theutonici hoc loco aſſerit occupata a Saladino Accona ſedem Ord. fuiſſe translatam Marpurgum in Haſſiam, adimitque Veneto Monaſterio decus maximum, domum nempe principalem fuiſſe Theutonici Ord. in qua & nonnulli Magiſtri Generales electi fuerunt, & aliquo tempore ſedem ſtabilem habuerunt. Viri errorem refellit eruditiſſime author Anonymus animadverſionum in Petri Dusburgii Chron. ubi par. III. cap. 276. ita loquitur. " Domum Ord. Principalem Venetiis fuiſſe uſque dum in Pruſſiam illa transferretur tradit hic Dusburgius; Eodem modo habet hoc Jeroſchinus. Item auctor Chronici ſub Friderico Mag. Ord. Gen. Latino idiomate ſcripti. Sed Auctor vel potius Continuator Chronici Ord. dicit, occupata a Saladino Accona, ſedem Ord. fuiſſe translatam Marpurgum in Haſſiam, donec illa in Pruſſiam transferretur *fol. 93. a.* Verum quæ de ſede & Accona translata dicuntur, intelligenda ſunt de reliquiis tantum illis, quæ fuerant Acconæ. Nam ſedem Magiſtri Generalis jam Hermannus de Saltza ante expugnatam a Saladino Acconam tranſtulerat Venetias, teſte auctore Chronici Lat. modo citati.

Hæc autem & alibi confirmat his verbis: " Alii dicunt jam Hermannum a Saltza Venetias ſedem ſuam tranſtuliſſe ex Urbe Acconenſi multo tempore ante deſtructionem Acconæ. In ea ſententia eſt Auctor Chronici Pruſſici Latino ſermone ſcripti, quod in Curia Palæopolitana Regiomonti aſſervatur; cui ſententiæ nos etiam adſtipulamur.

Congruit in hanc ſententiam Chriſtophorus Hartknoch, qui Petri Dusburgii Chronicon e ms. codicibus recenſuit, notisque illuſtravit. Vir hic diligentiſſimus & in Pruſſicarum rerum antiquitatibus mire eruditus Diſſertat. XIX. de Republica Pruſſorum num. VIII. hæc habet: " Etenim Magiſtri Ord. Teutonici Generales cum plures haberent provincias Ordini ſubjectas, ipſi primum Acconæ, dein Venetiis, & denique Mariæburgi in Pruſſia reſſidebant, reliquas autem Provincias per Magiſtros Provinciales adminiſtrabant ". Et paulo poſt loco ci-

„ tato: Sed & ante Feuchtuvangii tempora cum Magiſtri Ge-
„ nerales Venetiæ habitarent, Germaniam ſine dubio per Ma-
„ giſtros Provinciales adminiſtrarunt.

In Veneta itaque Sanctiſſimæ Trinitatis domo Conradus aliquo tempore Magiſterii Sedem poſuit, cum vero paulo poſt in Bohemiam ſe contuliſſet, extremum diem Pragæ clauſit eo ipſo anno, in cujus locum equites Venetiis congregati Magnum religionis Magiſtrum elegerunt Gotfridum Hohenloe. Hic, (ut teſtatur Author Chronici Latine ſub Friderico ſcripti) Elbingæ in Boruſſia degens oneri renuntiavit, *qua reſſignatione facta* (ſequitur Petrus Dusburgius Ord. Teutonici Sacerdos in ſuo Chronico) *electus fuit ſtatim ibidem Frater Sigfridus de Feuchtuvangen in Magiſtrum Generalem, qui ivit verſus Venetias ad domum principalem*. Dum vero novus Religionis Præſes Venetiis agit, Gotfridus facti *penitens Venetias petiit, ut Magiſtratum vi obtineret, in itinere autem mortuus eſt*. Poſt hæc "*Anno Domini* MCCCIX. (ita Dusburgius part. III.
„ cap. 297.) Frater Siffridus de Wucguvangen Mag. Generalis
„ XII. & terræ Pruſchiæ Magiſter XVII. venit ad terram Pruſ-
„ ſiæ & domum principalem, quæ a tempore deſtructionis ci-
„ vitatis Achonenſis fuerat apud Venetias tranſtulit ad Caſtrum
„ Mergenburg in Pruſſiam". Hæc omnia a Venetis Scriptoribus alto ſilentio prætermiſſa accuratiſſime exponunt ſupralaudati Pruſſici Scriptores, qui res geſtas Theutonici Ord. in lucem protulerunt. Porro Ordinem hunc celeberrimum in Hieroſolymitana urbe originem habuiſſe teſtatur præ cæteris Marinus Sanutus Torſellus Patritius Venetus in ſua Hiſtoria lib. III. part. VII. cap. III. quæ ad calcem libri, cui titulus *Geſta Dei per Francos*, Pariſiis edita fuit.

Quamvis autem ſuprema Magiſtratus dignitate deſtituta cæperit ex eo tempore domus Veneta & equitum numero, & decore non parum imminui, Eccleſia tamen Deificæ Trinitati dicata *propter copioſas Indulgentias Ordini dictæ Eccleſiæ a Summis Pontificibus indultas* maximo concurſu *fidelium perſonarum* frequentabatur. Ex iis nonnulli pii viri ſodalitium ad honorem Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis ſtatuere cupientes Decemviralis Conſilii decretum anno MCCCCXIX. impetrarunt, quo ſibi facultas impertiebatur in Eccleſia Fratrum Theutonicorum ſodalitium inſtituendi, eo potiſſimum intuitu, ut in cultu Di-

vinæ

vinæ Trinitatis ampliando omnes curas cogitationesque inſumerent.

„ *Milleſimo quadringenteſimo decimo nono die vigeſimatertia*
„ *Novembris Capta in Conſilio Decem.*

„ Cum pro parte noſtrorum fidelium Nicolai Roſſo, Abſo-
„ lonis a Fornace, Johannis Vianelli, Petri ejus filii, Bene-
„ dicti & Franciſci Fratrum de Gibilino, Nicolai condam Do-
„ minici pictoris, Simonis inciſoris, & cæterorum aliorum no-
„ ſtrorum Civium fuerit noſtro Dominio humiliter expoſitum.
„ Quod cum cupiant principiare Fraternitatem ſive Scholam
„ unam ob reverentiam, & ad honorem Sanctiſſimæ & Indi-
„ viduæ Trinitatis pro ſalute animarum ſuarum in Eccleſia
„ Sanctæ Trinitatis Fratrum Theutonicorum, ad quam Ec-
„ cleſiam maximus eſt concurſus fidelium perſonarum propter
„ copioſas Indulgentias Ordini dictæ Eccleſiæ a Summis Pon-
„ tificibus indultas, dignetur noſtrum Dominium eisdem de
„ gratia concedere, quod dictam Scholam relevare poſſint. Va-
„ dit pars, quod ſupraſcriptis fidelibus noſtris concedatur, quod
„ poſſint dictam Fraternitatem relevare ad honorem & reve-
„ rentiam Individuæ Trinitatis in Eccleſia ſupraſcripta, ſicut
„ devotiſſime ſupplicarunt. Et eſt capta per tres partes & ul-
„ tra Conſilii de Decem.

His ex ſuprema authoritate ſtatutis, *Viſitatores Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ de Jeruſalem in partibus Lombardiæ aliisque partibus ultramarinis per Magiſtrum Generalem* conſtituti, aſſentiente Provinciali Lombardiæ, & Fratribus in Veneta domo degentibus anno ſequenti MCCCCXX. die XIII. Feb. devotis viris Nicolao de Rubeis, ejusque ſociis, qui *pium & devotum opus* Fraternitatis jam inchoaverant, *quamdam partem domus Ordinis prædicti poſitam ſuper canale majus verſus Eccleſiam* perpetua & irrevocabili conceſſione tradiderunt, ut in ea *cameras ſive alia commoda pro utilitate dictæ Fraternitatis* ædificare liceret; ſtatuto tamen cenſu aureorum octo, quæ ſingulis annis in octava Sanctæ Trinitatis Provinciali Lombardiæ vel ejus Locumtenenti ſolvere tenerentur (A). Pii inde ſodalitii nomen ex religioſis ejus operibus adeo diffuſum eſt, ut quamplurimi etiam generis nobilitate, & dignitatum ſplendore conſpicui inter confràtres certatim adnumerari poſtularent,

ipſam-

ipſamque Eccleſiam tum eleemoſinis, tum ſacrâ ſupellectili abunde inſtruerent. Omnium autem munerum pretioſius illud fuit, quod anno MCCCCIII. ad Eccleſiæ ornatum contulit Jacobus de Paganis Petri Barbo S. R. E. tit. S. Mariæ Novæ Diac. Card. Vicarius; ſacra ſcilicet plurimorum Martyrum lipſana, quæ cum D. Laurentio Juſtiniano tunc temporis Caſtellano Epiſcopo, ut publicæ exponerentur venerationi, oblata fuiſſent utique approbanda, Divino motus afflatu pius Præſul, ut vera a falſis ſecernerentur, juſſit eas per ignem probari, quam ſanctiſſimi viri præſenſionem a Deo fuiſſe, exitus comprobavit, ſiquidem cæteris in igne illæſis permanentibus unum ex iis momento temporis in graveolentes carbones redactum fuit. Rem ex ipſius Sodalitii antiquo codice vulgo *Matricula* exhibendam cenſeo.

Anno 1449. Adi primo Zener in tempo del Diſcretto homo Sier Pagan di Anſelmi Vardian e di ſuo compagni.

Noto fazo a tutte Perſone chome in tempo del dito Vardian fo donado alla noſtra Schuola de la Santiſſima Ternità Reliquie de piu Santi per el Venerabile Avechario del Gardenal de Santa Maria Nuova, e Prior de S. Maria del Vermo Miſ. Jachomo Pagan Venerabile Egregio Doctor in jure chanonicho, le qual Reliquie ſon de molti Santi e Sante.

Prima del Brazo de Santo Andrea Apoſtolo.

Del Brazo de Santo Mattio Apoſtolo.

Una choſterella di Santi Innocenti, de Santa Afrè, San Dahò Martire, de S. Zulian, de S. Donado Compagni, de San-

ta

Anno MCCCCXLIX. Die prima Januar. tempore diſcreti Viri Dom. Pagani de Anſelmis Cuſtodis & Sociorum ſuorum.

Univerſis notum ſit, quod tempore dicti Cuſtodis Sodalitio noſtro SS. Trinitatis donatæ fuerunt multorum Sanctorum Reliquiæ a Venerabili Viro Dom. Jacobo Pagano egregio juris Canonici Doctore Priore S. Mariæ de Verme, atque Cardinalis S. Mariæ Novæ Vicario, quæ quidem Reliquiæ ad Sanctos Sanctasque quamplures pertinent.

De Brachio Sancti Andreæ Apoſtoli.

De Brachio Sancti Matthæi Apoſtoli.

Coſtula SS. Innocent. Martyrum. Ex Oſſibus S. Afræ, S. Dahò (ſic) Martyris, S. Juliani, S. Donati & Sociorum San-

ctæ

ta Choſtanza, de S. Stai Martire, de S. Marcho, e S. Marcilian Martiri, de S. Roſin e San Caſtoro Martiri, de San Criſtofolo Martire, le qual Reliquie volemo far meter in uno Tabernachulo, e per conſejo d' uno noſtro Fradello, cioè el Piovan de Santa Soffia Miſier Prè Tomio, diſe non podevamo meter le dite Reliquie in Tabernachulo, ſe Nui non avemo la licentia da Monſignor Miſier lo Veſcovo de Caſtello, e chuſſi el noſtro Vardian, e Compagni andò da Miſier lo Veſcovo, e venege co lor do Nobili Homeni Fradeli Noſtri della dita Schuola, cioè Sier Nani de Piero Marzer, e Sier Antuonio de Bortolamio da loro; per la qual choſſa forno a parlamento co Monſignor Miſier lo Veſcovo, pregandolo li foſſe de piaſer a darge licentia Nui poſſemo meter queſte S. Reliquie in uno Tabernachulo de Chriſtalo, e farge l'onor, che merita queſte Sante Reliquie, e lui diſſe non voleva far niente, ſalvo ſe lui aveſſe qualche certezza, che queſte Reliquie foſſe canonicade, cioè meſſe in fuogo per qualche perſona devota, e foſſe Chierego, e chuſſi ſe hofferimo de far, e andamo el di ſeguente a S. Salvador, e la ave uno Sig. fradelo,

ctæ Conſtantiæ, S. Euſtachii Martyris, SS. Marci & Marciliani Martyrum, S. Rufini S. Caſtuli Martyrum, S. Chriſtophori Martyris, quas quidem Reliquias dum in Tabernaculo reponere cogitabamus, quidam ex noſtris Confratribus nempe D. Presb. Thomas Pleb. S. Sophiæ nos prudenti conſilio admonuit nobis licitum non eſſe dictas Reliquias Tabernaculo includere niſi prius obtenta a D. Epiſcopo Caſtell. debita facultate. Cuſtos igitur noſter ejusque Socii D. Epiſcopum adjerunt ipſiſque Socios ſe adjunxerunt duo Nobiles Viri Confratres Sodalitii noſtri nempe D. Jo. Marzarius Petri filius, & D. Antonius ab Aurio Bartholomæi filius. Hi D. Epiſcopum alloquuti ipſum exorarunt, ut facultatem ipſis concedere dignaretur reponendi haſce Reliquias in Cryſtallino Tabernaculo, ut eo quo decebat colerentur honore. Abnuit Epiſcopus niſi prius de ipſarum authenticitate per ignis examen certior redderetur, quæ quidem probatio per pium Virum e Clero ſelectum fieret. Hæc nos exequuturos fore promittimus, atque ſequenti die ad Sancti Salvatoris Eccleſiam acceſſimus, ubi quidam ex Confratribus devote Sacrificium obtulit, Nosque cum magna reverentia adſtantes altiſſimum Deum

delo, qual diſſe una meſſa devotiſſimamente, e lor ſtetono in gran devotion pregando l'Altiſſimo Dio ſe queſte jera Reliquie da eſſer honorade doveſſe moſtrar qualche ſignial accidente lor podeſſe dar fede a Monſign. Miſ. lo Veſchovo, e chuſſi ſo dicta la Meſſa, poſſa quel Sig. fradelo tolſe le ditte Reliquie de ſu l'Altar, e poſtole in Sagreſtia e la jera infogado uno ceſto de carbon, e lui tolſe uno Oſſo del brazo de S. Andrea; e meſſo in mezo del fuogo, e infogoſſe, e vene roſſo chome fuogo, e ſtete per ſpazio de uno miſerere tutto compido poſſa ſo tirado fuora, e meſſo ſopra uno chuverchio di Scatola ſe meteva dentro le dite Reliquie, e queſto Oſſo bruxava la dita Scatola tanto jera infogado, e non ſe guaſtà niente, e vene belo chome da prima; poſcia tolſe uno altro Oſſo de compagno Santo e fexeno meter in fuogo, e quello chomenza ad arder e far uno puzor, che pareva, ch' el foſſe uno fango de Canal, e non ſtete la mitae de uno miſerere ch' el ſe bruſà, e vene in pezzoletti negri, chome charton, e chuſſi ſono fato de le altre tute ſtete ſalde al ſuogo; e lor vedando queſto diſſe a quel Sig. Fradello Vui poſe ſar ſede a Monſign. Miſ. lo Veſcovo de quello è ſeguido, e lui diſſe andè

Deum exoravimus, ut ſi hæ Reliquiæ Eccleſiaſtico cultu honorari merebantur hoc prodigio àliquo pateſaceret, quo ipſarum veritas Domino Epiſcopo innoteſceret. Peracto itaque Sacrificio Sacerdos ab Altari Reliquias accepit & ad Sacrarium detulit, ubi carbones accenſi parati fuerant, indeque os quod ex Brachio Sancti Andreæ eſſe dicebatur in medium ignem injecit quod repente ignitum apparuit, atque in igne aliquo ſpatio illæſum permanſit. Ex eo deinde erutum ſuper operculum capſulæ in qua Reliquiæ claudebantur collocatum fuit. Ex Oſſis contactu operculum uſtulatum fuit, Os vero priſtinam formam ſuſcepit. Aliud deinde Os inter carbones repoſitum fuit quod confeſtim tetrum odorem exhalavit, perinde ac ſi putreſcens lutum combureretur, & paulo poſt in nigros carbones converſum eſt, reliqua inde Sanctorum lipſana per ignem probata illæſa permanſerunt. His peractis Confratres Sacerdotem rogaverunt ut de his omnibus Domino Epiſcopo teſtimonium perhiberet, quos ille bono animo eſſe juſſit, futurum confidens, ut optatam facultatem acciperent. Ad Epiſcopum itaque reverſi, quæ in examine Reliquia-

dè pur aliegramente che io penſo ne darà la licentia, e chuſſi tornorono tuti da Monſ. Miſ. lo Veſcovo pur con queli di ſora diti Noſtri Fradeli per teſtificar a Monſ. quello jera ſeguido perche anche lor forono preſenti al deto chanonizar, e chonferino a Monſ. quelo jera ſeguido de le dite Reliquie chome jera ſtade ſalde al fuogo e moſtroli le dite Reliquie el chuverchio della Scatola, che le dite l'aveva bruxado, e Monſ. diſſe, che lui voleva aver reſpeto de queſta chaxon, e che lor doveſſe tornar un' altra fiada, e chuſſi tornorno de lì ad alcuni zorni, e Monſ. diſſe andè e metele in Tabernachulo de criſtalo, ch' io ſon contento, e chuſſi ſono fato; & per memoria di tuti Fradeli, e Sorele, e ſtà notado in su queſta Mariegola da chi ſe ave le ſoradite Reliquie e per che muodo ſe avè la licentia da Monſ. lo Veſchovo da Ca Zuſtignian de poderle meter in Tabernachulo de creſtalo, e chon auxilio de noſtri Fradelli, e Sorelle e ſtado fato a onor, e reverentia de li ſopradetti Santi e Sante, e choſſi pregemo lor tutti ſia noſtri interceſſori avanti la Sanctiſſima Trinità, che per li meriti ſuoi ne faci alle fin voſtre eſſer partecipi nel ſuo Santo Regno.

quiarum contigerant fideliter enarrarunt, atque rei teſtes lipſana ipſa, atque capſellæ operculum igne combuſtum oſtenderunt. Ad hæc Epiſcopus, ut altera die ad ſe redirent, indixit; mature enim in gravi re procedere cogitabat. Poſt aliquot inde dies ad Epiſcopum reverſi facultatem acceperunt ſacras Reliquias in chryſtallino tabernaculo reponendi. Ut autem Confratribus & Conſororibus perpetuo tantæ rei memoria vigeret, in hac Matricula adnotare placuit, cujus munere ad nos antedictæ Reliquiæ devenerint, & qua ratione Dominus Epiſcopus ex Gente Juſtiniana facultatem indulſerit eas in Tabernaculo chryſtallino collocandi, quod quidem noſtrorum Fratrum & Sororum auxilio confectum eſt ad honorem & reverentiam ſupradictorum Divorum. Ipſos igitur exoramus, pro nobis intercedere apud Sanctiſſimam Trinitatem, ut per eorum merita cœleſtis regni participes fieri mereamur.

Ne quis vero Eccleſiaſticæ hiſtoriæ minus peritus prudentiſſimi, æque ac ſanctiſſimi Præſulis decretum veluti privatum arbitrium improbet, ſciendum antiquæ conſuetudinis in Eccleſia fuiſſe Sanctorum Reliquias, ſi de ipſarum veritate dubitare contingeret, per ignem probare, cujus rei exempla affert ex Leone Marſicano in Chron. Caſinenſi, & ex vita S. Meinwerſi Epiſcopi Paderbonenſis clariſſimus Mabillonius, qui & decretum affert Concilii Cæſarauguſtani II. Gregorio Magno Summo Pontifice habiti anno DXCII. cujus Concilii canone II. ſtatuit Sancta Synodus, *ut Reliquiæ in quibuscunque locis de Ariana hæreſi inventa fuerint, prolatæ a ſacerdotibus, in quorum Eccleſiis reperiuntur, Pontificibus præſentatæ igne probentur*. Recens addit clariſſimus author hujusce per ignem examinis exemplum ex Annæ Gonzagæ Eduardi Principis Palatini Rheni olim uxoris teſtamento, quæ Sanctiſſimæ Crucis fragmentum Pratenſi S. Germani Baſilicæ legavit his verbis: *Je leur donne encore ma Croix de pierreries, avec la ſainte vraye Croix, que j'atteſte avoir veue dans les flammes ſans bruler*. Par huic ipſemet teſtimonium exhibui Operis hujus Tom. III. pag. 231. ad Eccleſiam S. Mariæ Conſolationis, in qua *duo fruſtula de vivifica Cruce Domini noſtri* aſſervantur, *vera adeo probataque, ut ſi flammis immergantur, candorem utique inde ferant ſine combuſtione*. Solemnem precum formam, qua Divorum lipſana igne examinabantur in lucem protulit ex codice Remigiano eruditiſſimus Monachus Theodoricus Ruinart in appendice ad Gregorium Turonenſem:

Anno deinde MVIID die 1. Januarii Sodalitium Sanctiſſimæ Trinitatis, ut arctas, quas incolebat ædes, ampliori dilataret ambitu, partem horti ipſius Prioratus aſſentiente *Andrea Grumbach hoſpitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitani Magiſtro* ſub annui cenſus conditione a Provinciali Langobardiæ & Marchiæ Triviſanæ *in livellum perpetuale, ac emphitheoſim* accepit (B). Fluxu autem temporis Venetus Sanctiſſimæ Trinitatis Prioratus ad Patritiam Lipomanam gentem ex conceſſione Apoſtolica collatus fuit, ex qua Andreas *Trinitatis Prior* Templum Patavinum S. Mariæ Magdalenæ, & ejus Templi vectigalia, mox Venetam S. Mariæ de Humilitate Eccleſiam Divo Ignatio Loyolæ, atque ab eo inſtitutæ Societati Jeſu perpetuo addixit, eaſdemque piiſſimi Viri donationes, Patavinam

Pau-

Paulus III., Venetam vero Pius IV. ampliſſime confirmarunt. Prioratum poſt Andream ſuſcepit adminiſtrandum Petrus Lipomanus, qui anno Domini MDLXXXXII. de menſe Auguſti *diem clauſit extremum*, ex cujus obitu cum Commenda ipſa vacaret, Maximilianus Archidux Auſtriæ, & electus Poloniæ Rex Theutonici Ord. per Germaniam & Italiam Magiſter Prioratus Veneti contra Ord. ſanctiones (ut aſſerebat) a Lipomano poſſeſſi electionem pretendens ſibi ex dignitatis ſuæ jure pertinere, Sforzam Comitem de Porcia in eo inſtituit, obſiſtente Veneta Republica, atque ex patriis legibus recuſante *proviſum de eo* Prioratu ad illius poſſeſſum admittere. Ut autem *omnis diſſidii* inter amicos Principes occaſio abſcinderetur, egit Romanus Pontifex Clemens VIII. ut ſtatuta certa pecuniæ ſumma Ordini Theutonicorum ſolvenda Prioratus ipſe perpetuo ſupprimeretur & exſtingueretur, illiusque Eccleſia, ædes, & redditus *Seminario puerorum eccleſiaſtico* in Civitate Venetiarum adnecterentur. Res eſt altius repetenda. Anno MDLXIII. die XIV. Julii Pius IV. Romanus Pontifex, ut Sacri Tridentini Concilii, (cui nuper finem impoſuerat) decreta ſuper inſtituendis Seminariis fideliter per Epiſcopos adimplerentur, Joannem Triviſanum Patriarcham Venetiarum datis Apoſtolicis litteris vehementer hortatus eſt, ut Seminarium in Veneta Urbe ex ipſius Concilii præſcripto inſtitueret, omnesque & ſingulos beneficia, & redditus Eccleſiaſticos in Civitate & Diœceſi Venetiarum obtinentes ad conferendam Seminarii ædificationi, & Clericorum alimoniæ opem juxta Concilii conſtitutiones compelleret (C); Pontificiis itaque monitis non magis quam inſita animi virtute excitatus Joannes Patriarcha operi manum admovit, ſtatuitque intra Divi Cypriani clauſtra juxta Tridentini Concilii formam Seminarii exordia, quod tum eleemoſinis piorum undique corrogatis, tum *dimidia decima a Clero & Monaſteriis Monialium ex conventione per aliquos tantum annos ſubminiſtrata ſubſtentatum fuit*; urgente tamen paulo poſt domeſticæ rei inopia cum *ad extremum pene diſcrimen* adductum eſſet, Gregorius Papa XIII. *litteris ſuis die* XXV. *Aprilis anno* MDLXXXV. *in forma brevis emanatis* Patriarchæ mandavit, *ut ad illa ſubſidia debita exigenda pro alimentis ei in poſterum præſtandis per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris & facti remedia* deveniret. (D) *Subſidiorum nomine dimidia decima iterum exigenda* decernebatur,

quod cum *ex jam orta animorum commotione intolerabile* Clero & Monialibus eſſe cognoviſſet Patriarcha, *adbibito piorum, ac prudentium virorum conſilio, nulla alia ratione melius atque opportunius* præſenti egeſtati ſubvenire poſſe cenſuit, *quam ſi aliqua beneficia ſimplicia Presbyteralia nuncupata in* Venetis *Eccleſiis Parochialibus exiſtentia, eidem Seminario ſine tamen Divini cultus præjudicio* conjungeret. Clero igitur ab onere dimidiæ decimæ liberato, *ex beneficiis presbyteralibus Eccleſiarum Parochialium, ubi tria eſſent, tertium, ubi vero quatuor, quartum cum omnibus redditibus & emolumentis quandocunque vacare contigiſſet eidem Seminario* ad Tridentini Concilii normam perpetuo univit & applicavit. Patriarchale unionis decretum confirmavit, approbavitque Gregorius XIII. Nonis Martii Pontificatus ſui anno XIII; cum vero ſuper hoc Apoſtolicæ litteræ ſuperveniente ipſius Gregorii obitu confectæ non fuiſſent, Sixtus Papa V. ne de Prædeceſſoris ſui *approbatione, & confirmatione quomodolibet hæſitari* contingeret, Apoſtolica authoritate decrevit, *quod approbatio & confirmatio a dicta die Nonas Martii ſuum ſortiretur effectum, perinde ac ſi ſuper illis ipſius prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur*. Datæ fuerunt Sixti epiſtolæ ad Joannem Patriarcham die I. Maii eodem anno MDLXXXV. (E). Communi Eccleſiarum querela unionis hujuſce decretum exceptum fuit, ſiquidem ex ea & Divini cultus officia, & tenues Veneti Cleri redditus nimium imminuebantur; quæ cum Sixto Pontifici innotuiſſent, *ad ſublevandas* diverſo modo *Seminarii neceſſitates* dato die IV. Decembris ejuſdem anni ampliſſimo diplomate ſancivit, ut Monaſterium S. Spiritus Venetiar. Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini ex propriis redditibus, quibus copioſe affluebat, annuatim mille ducatos auri de Camera ad decem annos integros a dato diplomate numerandos, Veneto Seminario, vel ejus Procuratori perſolveret (F). Onus, quod nimis grave videbatur, Monaſterio S. Spiritus per Sixti Papæ V. decreta impoſitum aliqua ex parte imminuit Clemens VIII. penſionem enim annuam *ſcutorum trecentorum ſuper Hierapetrenſis & Sithienſis menſarum Epiſcopalium redditibus* ad decennium pro Veneti Seminarii alimonia ſtatutam de onere dicti Monaſterii delevit Apoſtolica bulla die XIII. Januar. data anno Incarnationis Dominicæ MDVIIC. (G). Decennium inte-

interea annuæ ſolutionis Seminario Veneto a Regularibus jamdictis Canonicis exequendæ ad finem vergebat, quapropter ne in priſtinas rei familiaris anguſtias pia inſtitutio recideret, de ejus conſervatione ſollicitus prælaudatus Clemens Pontifex datis die XVI. Septembris anno MDVIC. Apoſtolicis litteris ſtatuit, ut *eidem Seminario tot beneficia Eccleſiaſtica quocunque nomine nuncuparentur, quorum redditus ad ſummam mille ducatorum aſcenderet*, authoritate Apoſtolica perpetuo unirentur, & incorporarentur, ita ut liceret *ejuſdem Seminarii Rectoribus propria auctoritate beneficiorum* ipſorum poſſeſſionem apprehendere, & retinere (H).

His ſtatutis Pontifex anno ſequenti MDVC. die II. Junii Prioratum S. Julianæ Villæ Urbani, ac alia duo beneficia ſimplicia, quæ erant poſita, alterum quidem in Eccleſia *de Tribano*, alterum vero in Eccleſia *de Conigliana*, quæ duo loca Patavinæ Diœceſis finibus continentur, Veneto Seminario perpetuo attribuit, & conſociavit (I). Eo deinde anno, ac ſequenti ad Apoſtolici decreti normam Ludovicus Taberna Epiſcopus Laudenſis Apoſtolicæ Legationis apud Venetos munus agens novem beneficia ſimplicia in Patriarchalis Seminarii jura deduxit, atque ſimili prorſus modo Antonius Maria Gratianus Epiſcopus Amerinus, qui Tabernæ in Legationis officio ſucceſſerat, alia octo pariter ſimplicia beneficia eidem Seminario ex injunctæ ſibi poteſtatis munere adjudicavit (K).

Hæc dum aguntur, contigit, ut illuſtris Sanctiſſimæ Trinitatis Equeſtris Theutonicorum Ordinis Prioratus, *quem Petrus Lipomanus Clericus in commendam ad ejus vitam ex conceſſione Apoſtolica, dum viveret, obtinebat, anno* 1592. *per obitum dicti Petri* vacaret.

Eam itaque nacti opportunitatem Seminarii Rectores, ut Prioratus ipſe ſoluto pretio ad Seminarii erectionem, & alimoniam aſſignaretur, Apoſtolicam Sedem exorarunt. Juſtas ſupplicantium preces libentiſſimo animo excepit Pontifex, idque apud Maximilianum electum Poloniæ Regem, & Theutonici Ordinis per Germaniam & Italiam Magiſtrum egit, *ut pro dicto Prioratu*, ejuſque juribus certam pecuniæ ſummam reciperet. Pontificiæ propoſitioni aſſenſum præbuit Maximilianus, electiſque *hac in re Commiſſariis & Procuratoribus* ampliſſimam eis facultatem impertitus eſt, ut in dicto Prioratus Vene-

Veneti negotio, quidquid in ſtatuenda vel exigenda pecuniæ ſumma opus eſſet, hoc agerent. Statutis itaque XIV. mille argenteis pro Prioratus pretio ſolvendis, electi a Maximiliano Procuratores *Prioratum* Venetum *Santiſſimæ Trinitatis Ord. Beatæ Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ, ac omnia jura & actiones in illo, & ad illum quomodolibet competentia* (iis tamen rebus exceptis, quæ ad Societatem Jeſu ex Apoſtolica authoritate devenerant) *ceſſerunt & renuntiaverunt* Veneto Clericorum Seminario, ejusque Procuratorem Laurentium Prezzatum Abbatem vice, & nomine ipſius Seminarii in Prioratus ipſius poſſeſſionem induxerunt, hoc tamen ex utriusque partis voluntate firmato, quod ad pleniorem negotii firmitatem Romani Pontificis ad ſuppreſſionem & unionem hujusmodi accedere deberet aſſenſus. Univerſa per procuratores pacta ampliſſimo confirmationis diplomate die XIII. Novembris anno MDVC. ſupralaudatus Clemens Ponrifex communivit, ſuppreſſoque in dicto Prioratu Ord. Theutonici nomine, ipſum ejusque Eccleſiam, ædes & poſſeſſiones *Seminario puerorum Eccleſiaſtico in Civitate Venetiarum pro Decretorum* Concilii Tridentini exequutione pridem erecto perpetuis temporibus poſſidendum univit, ſtatuitque inſuper, ut *Laurentius Patriarcha prædictus* infra quinquennium ab Apoſtolica Bulla data computandum quinque mille argenteos in reparationem Prioratus illiusque ædium impendere teneretur; quod tamen erogandæ pecuniæ onus non multo poſt ipſi inter S. R. E. Cardinales cooptato ad ejus commodum protrahi in aliud tempus conceſſit.

Ad hoc autem ut conſtitutum pretium intra firmati temporis ſpatium exolveretur, Patriarchæ datis die XXVI. Martii anno MDIVC. Apoſtolicis litteris indulſit Pontifex, *ut cenſus redimibiles ſuper ejusdem Prioratus bonis conſtituere* poſſet, *vel aliqua ex ejusdem bonis alienare.*

Pacta pecuniæ ſumma, quam fideliter ſtato tempore exſolverant Seminarii Procuratores, in prædiis comparandis inſumi juſſit Maximilianus, eaque in utilitatem commendæ S. Eliſabeth ipſius Theutonici Ordinis aſſignavit die VIII. Martii anno ſæculari MDC. (L).

Ædes inde Prioratus ad uſum Clericorum aptatæ, in quas deducti ſupra ſæculum permanſerunt, donec novi eventus cauſa antiqua Divi Cypriani clauſtra repetere coacti ſunt. Anno

no MDCXXX. peſtifera lues Civitatem Venetam adorta ita in Cives ſæviit, ut breviſſimo dierum ſpatio multa millia hominum abſumpſerit, ipſamque Urbem ad ſolitudinem deducere minitaretur. Supplicationes ob id circa Ducale Templum ſtatutæ, cumque ad placandam Numinis iram ſuper omnia efficaciorem eſſe Deiparæ Virginis interceſſionem P. C. cognoviſſent, ex unanimi conſenſu Templum ſe ad ejus honorem ædificaturos ſolemni interpoſito voto ſpoponderunt; hocque ſub Sanctæ Mariæ de Salute titulo dedicatum ſeſe quotannis Principe præcedente ſtatuerunt annuatim inviſere ea ipſa die recurrente, qua Civitas a peſtifero morbo libera promulgaretur. S. C. Princeps & Senatores inclinati precantium in modum, apertoque capite approbaverunt die XXII. Octobris ipſius anni MDCXXX., indeque tres ex Senatorum numero elegerunt eximios viros, quibus cura eſſet locum, & archetypum novi Templi publicæ authoritati exhibere. De loco itaque rei perficiendæ opportuno ſolliciti Triumviri, præ omnibus & regionis indole, & amplitudine aptiorem cognoverunt antiquum Sanctiſſimæ Trinitatis Prioratum, in cujus ædes jam, ut diximus, deductum fuerat Patriarchale Seminarium.

Ut locus pro ſacri ædificii extructione venderetur, libentiſſime aſſenſit Joannes Theupulus Patriarcha, quapropter certam, prout convenerant, pecuniæ ſummam Seminarii rectoribus ex ærario publico perſolvendam ſtatuerunt Triumviri operi Præfecti, & Deificæ Trinitatis Sodalitium impenſis publicis alibi erigendum promiſerunt. His publica authoritate firmatis, dies XXV. Martii ad primum lapidem in fundamenta injiciendum decreta fuit, quam poſtea in diem Aprilis primam ex novo eventu mutandam eſſe Patres Conſcripti decreverunt. Ut autem ea dies effulſit, cum Nicolaus Contarenus Dux gravi morbo correptus ſolemnitati intereſſe prohiberetur, Julius Juſtinianus, qui eo tempore ſenioris Conſiliarii munus agebat collegis ſuis, & Senatoribus bene multis comitantibus ad locum acceſſit, ubi adſtante Venetiarum Patriarcha in fundamentis lapidem intus cavum poſuit aureum unum, argentea decem, atque ænea duodecim numiſmata continens, quorum facies fuſæ ex una parte Deiparam Virginem Paraclito ſuperveniente, & ad ipſius pedes Venetam urbem tantæ Matris auſpiciis protectam exhibent his circumappoſitis verbis: *Unde origo*

inde

inde ſalus, ex altera vero Nicolaum Contarenum Principem manu novæ Eccleſiæ ædificium ſignantem repreſentant hac inſcriptione circumdatum *Nicolao Contareno Principe Senatus ex voto* MDCXXXI. Lapidem hunc alio lapide tectum calce obduxerunt ſenior Conſiliarius & Patriarcha, quibus rite actis tertius inde lapis ſuperimponitur, cui peractæ rei memoria inciſa fuerat his verbis:

D. O. M.

„ Divæ Mariæ Salutis Matri Templi ædificandi ad peſtilen-
„ tiam extinguendam Senatus ex voto primus hic lapis eſt
„ Anno Domini MDCXXXI. XXV. Martii Urbano VIII. Summo
„ Pontifice Nicolao Contareno Duce Joanne Theupulo Pa-
„ triarcha.

Magnificum opus in cujus fundamentis ponendis anni duo fluxere, cum ad Balthaſſaris Longhenæ archetypum ornatiſſime progrederetur, jamque non longe a ſui perfectione abeſſet, Patribus Congregationis Somaſchæ de Catholica religione, deque Veneta Republica optime meritis ex ampliſſimo S. C. decreto traditum fuit anno MDCLVI. die vero XXIX. menſis Decembris (M). Sanctiſſimum Virorum inſtitutum fundaverat Hieronymus Æmilianus Patritius Venetus, is quem nuper ob præclara virtutum merita Beatorum faſtis adſcripſit Benedictus XIV. cujus quidem parentis optimi pietatem æmulantes religioſi filii, cum præter cætera Chriſtianæ miſericordiæ munera, adoleſcentibus in ſcientiis & bonis moribus inſtituendis egregiam navarent operam, ibidem in Sanctiſſimæ Trinitatis Seminario Venetis Clericis humana divinaque doctrina excolendis præfecti fuerant. Tanto itaque munere aucta Somaſchæ Congregatio novi Collegii exordia diſpoſuit, primumque religioſæ ædis lapidem poſuit die XVII. Februarii anno MDCLXX. Joannes Franciſcus Mauroceнus Patriarcha Venetiarum. Adjecta quoque fuerunt & in fundamentis diſpoſita Superiorum Congregationis juſſu tria vetuſta numiſmata, quorum unum Redemptorem Dominum, alterum vero Virginem Matrem, tertium denique has litteras S. C. exhibebant. Alius deinde lapis ſuperimpoſitus fuit, cui exculpta viſebatur hæc epigraphe: *Anno 1670. die Februarii 17. Dominico Contareno Venet. Duce Joanne Franciſco Mauroceno Patriarcha*. Nec multo poſt magnifica domus emerſit, tum ædificii

ficii elegantia, tum ornatiſſima Bibliotheca ſelectiſſimis libris referta, toti Urbi ſpectabilis.

Templum deinde, in quo ſelecti ex univerſa Italia artifices per multos annos inſudarunt, auguſtiſſimum prodiit, quod ſui magnificentia, & ornatu Venetæ Reipublicæ Religionem, & animi magnitudinem abunde teſtatur.

Ad perenne accepti beneficii documentum in fronte abſidis aureis caracteribus exſculpta fuit hæc epigraphe:

„ Deiparæ Virgini publicæ Salutis ſacrarium Senatus votum
„ ob Cives ex peſtilentia ſervatos anno MDCXXX.

Ad latera quoque majoris aræ fundationis & conſecrationis monumenta viſuntur his verbis expreſſa.

„ Primus lapis a Jo: Theupolo Patriarcha Venetiarum Du-
„ ce Nicolao Contareno Kal. Aprilis MDCXXI.

„ Conſecratum ab Aloyſio Sagredo Patriarcha Venetiarum
„ Duce Marco Antonio Juſtiniano v. Idus Nov. MDCLXXXVII.

Altare majus ex candidiſſimo marmore erectum antiquiſſimam Deiparæ imaginem aſſervat, quam ex Cretenſi S. Titi Templo, ubi honorifice colebatur, Venetias adduxit anno MDCLXXII. Franciſcus Maurocenus ſupremus Venetæ Claſſis Imperator; ipſam vero recens erecto Salutis Templo S. C. per decretum attribuit.

Ornatiſſimo tabernaculo, quo veneranda effigies clauditur, ſuperimpoſita ſunt affabre elaborata ſimulacra, quorum medium Virginem Matrem repræſentat puerum Jeſum brachiis amplexantem, a dextris Veneta Republica flexis genibus orat, dum a ſiniſtris Angelus accenſa face dirum peſtilentiæ morbum in fugam agit. Hinc inde adſtant Venetæ Urbis Patroni Divus Marcus Evangeliſta, Divusque Laurentius Juſtinianus. Ad aram Virgineæ Nativitati ſacram alia Deiparæ imago viſitur, quam ab Urbe Conſtantinopolitana adductam teſtatur inſcriptio, quæ ad latera ipſius aræ appenſa viſitur.

Eſtratto da Greca ſcrittura antica intorno l' imagine della Beata Vergine rinchiuſa nella Sacra Cuſtodia del preſente Altare, e donata dal N. H. ſ. Mattio Bon.

„ Nel mille cento quindici un tal Teodoſio (alibi Theo-
„ dorus vocatur) Nobile di Conſtantinopoli avendo con la
„ fatica di venti anni formata di minutiſſimi punti due Ima-
„ gini, una di Chriſto riſorgente, l'altra della Beata Vergine

„ le donò all' Imperator Emmanuelo, il quale avendole ri-
„ cevute con ſomma riverenza, e riposte in una Caſſetta d'
„ argento con altre Reliquie diede principio a quel pio uſo
„ di portar ogn' anno la mattina del Giovedì Santo ſopra le
„ ſpalle la medeſima Caſſetta accompagnato da tutto il Cle-
„ ro dalla Chieſa di Santa Sofia, alla Chieſa detta *Christoſi-*
„ *choras*, ove eſpoſte le dette Imagini e Reliquie fino alla mat-
„ tina del Sabato Santo venerate dal concorſo del Popolo, e
„ poi riportando l' Imperatore come ſopra la detta Caſſetta
„ alla Chieſa di Santa Sofia erano ivi propoſte alla pia divo-
„ zione di tutti i fedeli ne' tre giorni delle feſte di Reſure-
„ zione. Queſta Beata Vergine ha conferite molte grazie par-
„ ticolarmente alle donne da parto.

Idipſum teſtatur antiqua inſcriptio Latina ex vetuſtiori Græco documento deducta, & poſteriori ipſius imaginis parti affixa, in qua hæc leguntur:

„ Anno Domini Jeſu Chriſti Salvatoris Noſtri Quintodecimo
„ ſuper milleſimo centeſimo exeunte (*a*) menſe Martii Impe-
„ rante Emanuele invictiſſimo Conſtantinopolitano Imperato-
„ re, quidam Theodorus Conſtantinopolitanus nobilis q. d. Jo:
„ ipſius Imperatoris Baroni Duas unius magnitudinis figuras
„ hanc Divæ Virginis Mariæ. Alteram Chriſti reſurgentis
„ per eum miro ingenio opere muſaico punctatim conſtructas:
„ In quibus perficiendis annos viginti conſumpſit: eidem Im-
„ peratori dono dedit. Quas Imperator ipſe maxima cum re-
„ verentia acceptavit, & in capſula argentea in qua aderant
„ multæ reliquiæ poni fecit, & in Sanctuario S. Sophiæ Con-
„ ſtantinopolitanæ collocari: Eundem q. d. Theodorum in
„ loco dicti q. ejus patris baronem creavit. Deinde obſer-
„ vata annuali devotione ipſam capſulam cum dictis figuris
„ & reliquiis ſuper humeris ſuis ab Eccleſia S. Sophiæ ſociari.

✠

„ cum toto Clero & populo Conſtantinopolitano uſque ad Ec-
„ cleſiam grece Chriſtolichoras (*b*) reverenter portabat. Et

ibi-

(*a*) Si inſcriptioni huic adhibenda ſit fides corrigenda erit Chronica nota, quæ Manuelem Imperatorem alligat ad annum MCXV. Erenim Manuel Comnenus hujus nominis I. Imperator Conſtantinopolitanus regnavit ab anno 1143. uſque ad annum 1180.

(*b*) Nullam hujus Eccleſiæ mentionem afferunt neque Ducangius in ſua Con-

ſtan-

„ ibidem uſque ad diem Sabbati Sancti de mane poſt celebra-
„ tionem divinorum offitiorum permanere mandabat. Ad quam
„ devotionem multitudo populi cum ſumma veneratione ac-
„ cedebat. Poſteaque Imperator iterum ſociis ut ſupra, ipſam
„ capſulam ſuper humeris ad dictam Eccleſiam S. Sophiæ re-
„ portabat. Et ibi palam per diem reſurrectionis & alios duos
„ dies ſequentes a cunctis Chriſtifidelibus figuræ ipſæ & reli-
„ quiæ venerabantur. Et ſic per multos annos obſervatum
„ fuit. Et ad futurorum memoriam de greco in latino trans-
„ lata fuerunt ſupraſcripta verba.

Imago hæc venerabilis Deiparam Virginem exhibet a cujus dextero latere duæ imagines viſuntur, una D. Joannis Evangeliſtæ loco ſuperiori poſita, altera vero inferius ſita D. Petri Apoſtoli, parique modo a ſiniſtro latere D. Joannis Baptiſtæ ſuperius, inferius autem D. Pauli Apoſtoli effigies diſpoſitæ conſpiciuntur. Ad Virginis caput duo Angeli hæc verba exhibent *Ave gratia plena*, ad pedes autem Virgineos duæ Sanctæ poſitæ ſunt, quarum unam ex Cruce, & diademate appoſitis Divam Helenam, alteram vero ex martyrii palma, & corona Divam Catharinam eſſe crediderim.

Epigraphen poſteriori parti appoſitam & purpureis litteris exaratam interſecat Crux minio depicta, quam duo viri ad latera ipſius poſiti flexis genibus venerantur, quorum unus coronam regiam, alter vero pileum ad pedes tenent, quos vero hæ imagines repreſentent, quis divinet?

Copioſis Divorum lipſanis ditata eſt Eccleſia, quæ pariter clariſſimis ornatur illuſtrium Pictorum laboribus. Utrorumque Indicem exhibeo.

Index Reliquiarum.

Os Brachii Beati Hieronymi Æmiliani Congreg. Somaſch. Fundatoris.

Corpus S. Fabiani Mart. Ritu duplici colitur die XXIX. Novembris.

Corpus S. Creſcentionis Mart. cum vitreis phialæ fragmentis ſanguine conſperſis, cujus ſolemnia ſub ritu duplici die

C 2

ſtantinopoli Chriſtiana, neque Bandurius in ſuo Imperio Orientali neque alii Hiſtorici Byzantini, qui de Eccleſiis Conſtantinopolitanis verba fecerunt.

die x. Martii, translationis vero memoria die xxii. Septembris ſub ritu Semiduplici celebrantur.

Corpori S. Martyris in Cryptis Romanis olim quieſcentis appoſita erat marmorea tabula nomen, & ætatem Martyris, ipſiusque depoſitionis diem exhibens, quam per Calcographi operam exprimi curavi. His autem verbis ſignata eſt.

CRESCENTIONI. IN. PACE. QVI. VIXIT. ANN. XX. DEPOSITVS. VI. IDVS. MARTIAS.

Ex rudi caracterum forma quibus Epigraphe hæc inciſa viſitur difficile argui poteſt, quo ſæculo exculpta fuerit, neque enim ex eo, quod impolitis litteris ſignatur Barbaris ſæculis ideo adſcribenda erit, ſiquidem (ut eruditos ſatis callet) Epigraphes, quas Chriſtifideles in antiquis cœmeteriis corporibus Martyrum apponebant plerumque ab imperitis viris eo, quo licebat modo, incidebantur. Horum quamplurimas ad veritatem expreſſas, & quidem (ut noſtra hæc Creſcentionis) impolitas exhibent in ſuis laudatiſſimis operibus eruditiſſimi Antiquitatum Chriſtianarum Collectores, atque inter eos ſumma laude dignus Senator Buonarotius in ſuis obſervationibus ſuper vitrea fragmenta. Littera A abſque ulla interiori linea ipſam interſecante ad modum V inverſi hoc modo Λ frequens reperitur in Codicibus & Inſcriptionibus antiquis, cujus rei exempla afferunt Buonarotius p. xvii. & xviii. &c. Fontaninus in Comment. Sanctæ Columbæ p. 14. Boldettus in Obſervationibus ſuper Cœmeteria, & Coſtadonius in Diſſert. de Sacro Symbolo Piſcis & alii. Neque refert quod pro E littera F in nomine Creſcentionis conſpiciatur; lapis enim ex nimia vetuſtate corroſus apparet, ex quo evenit ut E initio inſculptus in I mutatus fuerit: pariaque damna tulerint litteræ P. T. & S. in eadem inſcriptione; neque tamen inveriſimile eſt quod I pro E dedita opera in vocabulo locum habuerit, ſiquidem hoc apud antiquos in uſu erat, ut notat Raineſius *Syntagma Inſcriptionum antiquarum*, ut *Agile Agnite Filicitates Tirentiani* pro *Agele Agnete Felicitates Terentiani* reponeretur. Ita apud Gruterum *Apiles* pro *Apeles*, & apud Boldetum pag. 365. *menſis* ponitur loco *menſes*. Hæc de litteris; quod enim ad verba attinet formula *in pace*, ut notum eſt, in Chriſtianis Inſcriptionibus uſitatiſſima erat, cui etiam adebatur aliquando

Domi-

Domini vel *&* *benedictione* aut *morienti* vel alia ejus generis verba; præcipuo tamen in uſu erat formula hæc ad Inſcriptiones Martyrum, ex quo Eccleſia de ipſis canit *Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt*. Vox depoſitus tumulationem Corporis ſignificat, cujus exemplum refert Boldetus p. 396.

DOMINO. FILIO. DVLCISSIMO. CHALLOTI.
VIXIT. IN. PACE. ANN° N° III. M. VIIII. D. I.
DEFVNCTIS. PRIIDVS. IAN. DEPOSTVS. XVIIII.
KAL. FEB. SALVIANVS PATER.

in qua notandæ ſunt A & Λ alternis vicibus poſitæ. Columba vero ad calcem Epigraphes inciſa ſymbolum erat apud antiquos uſitatiſſimum, vel ad innocentiam, vel ad charitatem vel ad manſuetudinem exprimendas poſitum, ut apud Arighium videre eſt in Roma Subterranea Tom. I. lib. v. cap. xxxv. De Columbæ Symbolo agit Buonarotius pag. 125. ubi per Columbæ ſpeciem animas e corporibus egreſſas exprimi aſſerit, de qua re agit quoque Coſtadonius in Diſſert. ſupracitata de ſacro Symbolo Piſcis num. xxxviii. Columbæ figura aliquando in calce, aliquando ad latera, aliquando vero in medio inſcriptionis ponebatur, quarum aliquæ ramum Olivæ in ore tenentes exprimuntur, de quibus fuſius Boldettus, & alii.

Corpus S. Juſti M. colitur ritu duplici die xxvii. Aprilis.

Os brachii S. Antonii Patavini Conf. ad ejus aram marmoreo incluſum tabernaculo aſſervatur. Hoc ex Patavino Divi Thaumaturgi ſacrario Venetias deduci juſſit Senatus Venetus lato ad diem xix. Feb. anno MDCLI. decreto, quo D. Antonio Patavino aram ſe erecturum ſolemni voto deſpondit. Venetias itaque die vi. Junii anno MDCLII. deductum venerabile pignus magnifica ſupplicatione indicta, quam Princeps & Senatus pie comitati ſunt in Eccleſiam S. Mariæ de Salute honorifice collocatur; ſtatutumque fuit ex P. C. ſuffragiis, ut quotannis feſtiva ipſius Divi die inſigni ſupplicationis pompa a Principe, & Senatu, utroque Clero interveniente inviſeretur.

Portio Cranii S. Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis Mart. quam ex parte tegit argentea lamina vultum & nomen Divi Græcis opere & caracteribus exhibens. Plurima quoque tum illuſtrium Divorum fragmenta in Sacrario cuſtodita, tum Sanctorum Martyrum oſſa e Romanis cryptis eruta, & ad aras Eccleſiæ diſpoſita.

Index

Index Tabularum.

Mariam Virginem ab Angelo Annuntiatam, & Divum Antonium Patavinum ad ejus aras expreſſit Petrus Liberi Eques; cujus quoque opus eſt Tabula ad Sacrarii parietem affixa, in qua Virgo Mater viſitur inter Divos Franciſcum & Antonium poſita.

Paraclitum Spiritum Santum ſuper Apoſtolos deſcendentem exhibet tabula Titiani Vecellii opus laudatiſſimum; qui & quatuor Evangeliſtas depixit in Sacelli Principis lacunari affixos. Tabulas haſce e Sancti ſpiritus Inſula ad hujus Eccleſiæ ornatum adduci juſſit publica authoritas.

Virginis Sacratiſſimæ Nativitas, Præſentatio, & Aſſumptio Lucæ Jordani ſunt.

Nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ, quæ olim in Cruciferorum cenaculo aſſervabantur, Jacobi Tinctoretti opus ad Sacrarii parietem affixæ ſunt Senatus Veneti juſſu.

Sampſon, & Jonas a Jacobo Palma, Aaron & Joſue a Salviato, olim Organi Pneumatici valvæ in Eccleſia Inſulæ Sancti Spiritus, in Sacrario viſuntur.

Chriſtum cum Apoſtolis diſcumbentem, Saulem adverſus David erecta lancea inſurgentem, ipſumque David reciſo Goliæ capite triumphantem Salviatus depixit.

Abelem a fratre occiſum, Abraham ſacrificium offerentem, & David amputatum Goliæ caput auferentem admirabili labore expoſuit laudatiſſimus Titianus, cujus quoque juvenile opus eſt tabula ad Sacrarii latus expoſita, in qua Deipara Virgo, Divique Coſmas & Damianus, Rochus & Sebaſtianus viſuntur.

Series Rectorum, & Præpoſitorum Collegii Veneti.

Quo tempore Congregationis Somaſchæ religioſi Viri Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis excolendam ſuſceperint incompertum; hoc ſolummodo ex regeſtis patet ante Sæculi XVII. annum primum ſedem habuiſſe ibi Clericos Congregationis Somaſchæ. Nomina autem Virorum, qui ipſius regimini præfuerunt uſque ad annum 1614. nos latent, primumque Rectoris hujuſce domus nomen ex regeſto defunctorum Parochialis Eccleſiæ S. Gregorii haurimus, in quo ad annum 1614. legitur *Morto il P. D. Andrea Stella Rettore della Trinità di PP.*

Somaſ-

Somaſchi. Vir hic Orator ſui ævi clariſſimus vitam B. Hieronymi Æmiliani Patris ſui concinnavit, atque Congregationem Somaſchenſem Præpoſitus Generalis adminiſtravit anno 1607.

1619. Joſeph Sartorius Rector.

1624. Antonius Bozia Rector poſt quem Superiores loci deinceps cæperunt vocari Præpoſiti.

1629. Aloyſius Marcello Præpoſitus, iterum 1632. Ab Urbano VIII. ad Epiſcopatum Sebenicenſem anno 1635. aſſumptus fuit, deinde anno 1653. ad Eccleſiam Polenſem translatus. Romæ obiit anno 1661. atque in Eccleſia S. Mariæ jacet tumulatus ſub hoc elogio:

D. O. M.

„ Aloyſio Marcello Patritio Veneto e congregatione Somaſ-
„ cha ad Epiſcopatum Sebenicenſem, deinde Polenſem aſſum-
„ pto, viro fidei propagandæ ardore, innocentia, & fortitudine
„ animi præclariſſimo, qui anno MDCXLVII. in Sebenicenſi
„ obſidione Paſtoris partes, ac ducis pie ſimul & fortiter ex-
„ plevit, Romæ, dum ſacra limina veneraretur, extincto An-
„ no ſalutis MDCLXI. ætatis vero LXV. Franciſcus Bartiroma
„ Vicentinus Archidiaconus Polenſis, ejuſque Vicarius Gene-
„ ralis mœſtiſſimus poſuit.

1635. Auguſtinus Moſchonius Mediolanenſis, qui fuerat Præpoſitus Generalis. Obiit piiſſime in domo Sanctiſſimæ Trinitatis anno 1637. cujus munus ſub Vicarii titulo gerendum ſuſcepit Julius Molino.

1638. Auguſtinus Antonelli. Iterum 1644.

1641. Simon Ronzonius. Iterum 1647.

1643. Dominicus Caldogno.

1646. Henricus Paſſius. Iterum 1658.

1648. Petrus Mocenico. Obiit in munere anno 1650. Domum vero ſub Vicarii titulo adminiſtravit Henricus Paſſius.

1651. Joannes Franciſcus Priolus Vir pietate, & doctrina clariſſimus. Eo domum regente Ven. Divi Antonii Patavini Os ad Eccleſiam S. Mariæ de Salute anno 1652. ſolemni pompa deducitur. Confirmatus in munere

augu-

auguſtum S. Mariæ Salutis Templum ex S. C. Decreto anno 1656. Divinis officiis excolendum nomine ſuæ Congregationis accepit. Iterum 1662.

1663. Jacobus Prato.
1666. Joannes Franciſcus Buffa. Iterum 1681.
1667. Jo: Hieronymus Zanchius Venetus bis Præpoſitus Generalis. Iterum 1687.
1670. Daniel Ferrighellius quo oneri renuntiante electus fuit Vicarius Hieronymus Bornatus.
1671. Jo: Antonius Contarenus eximiæ pietatis Vir.
1672. Bartholomæus Poccobellus.
1675. Jo: Baptiſta Priante.
1678. Paulus Andreas de Garzonibus. Iterum 1690.
1684. Jo: Baptiſta Averoldus.
1693. Franciſcus Maria Negroponte.
1696. Marinus de Gratiis. Oneri renuntiavit.
1697. Petrus Paulus Calorius, qui anno 1708. ad infulas Tragurienſes evectus fuit, deinde ad Eccleſiam Veglenſem translatus.
1698. Raphael Georgio. Iterum 1705. 1714.
1702. Dominicus Petricellus. Iterum 1715.
1710. Hieronymus Sartorius.
1725. Petrus Mondini.
1729. Carolus Veſellius. Confirmatus 1732.
1735. Albertus Piſſonius.
1738. Jacobus Fontana. Confirmatus in munere uſque ad annum 1748.
1748. Federicus Nicoletti.

Viſi-

Viſitatores Ordinis Theutonicorum concedunt facultatem extruendi Sodalitium SS. Trinitatis.

A 1420. 13. Februarii.

Ex Codice vulgo Matricula Sodalitii SS. Trinitatis apud S. Mariam Salutis.

IN Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Cum a Summo rerum Opifice, cujus nomine devotæ perſonæ deſerviunt, & Eccleſiæ decorant plurima bona proveniant, quæ arbitrii diſpenſationem cæleſtis ad uſum & opportunitates hominum conferunt; Intereſt devotionis humanæ ſuum liberaliter reſpicere largitorem. Hinc eſt, quod nos fratres Ortulfus Soginruter, & Gerlacus Vuarik Viſitatores in partibus Lumbardie omnibusque aliis partibus ultramarinis per Magn. Dom. Magiſtrum Generalem Alemaniæ Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ de Jeruſalem conſtitutos una cum fratre, & Dom. Gotfredo de Perlichingen provinciali Lombardie, & ſuis fratribus ibidem exiſtentibus, & conſentientibus. Conſiderantes pium & devotum opus inchoatum ſcilicet fraternitatem ſive ſcholam, ſic nuncupatam, ad honorem & reverentiam Sanctiſſimæ Trinitatis, & ad divini cultus augmentum in Eccleſia noſtra S. Trinitatis per Vener. & devotos Viros Nicolaum de Rubeis, Johannem & Petrum ejus filium de Vianellis; Benedictum, & Franciſcum de Gebelinis, Abſolonem a fornace, Nicolaum dictum Ritzo fabrum, Joannem & Simonem Fratres, & Inciſores hominum (*a*), Nicolaum depictorem, Joannem Stellam Lanarium, & quamplures alios homines Civitatis Venetiarum, quibus prenominatis & omnibus ſucceſſoribus ſuis damus, concedimus, & tribuimus nomine fraternitatis ſive Scholæ quandam partem domus noſtri ordinis poſitam ſuper canale majus verſus Eccleſiam in perpetuum, & irrevocabiliter, ut poſſint, & valeant in dicta parte domus fabricare edificare Cameras, ſive alia commoda facere pro utilitate, & commoditate dicte fraternitatis, ſive ſcholæ & feneſtras intus & extra in muros dicte domus noſtræ fieri facere a fundamento uſque ad primos trabes, ita tamen quod non ſit in periculum vel detrimentum partis ſuperioris dictæ domus noſtræ: Et ipſa Fraternitas, ſive gubernatores ipſius qui ſunt & erunt, tenentur & debeant muros dictæ domus noſtre a quatuor lateribus conſervare & manutenere in perpetuum omnibus ſuis ſumptibus, & expenſis a fundamento uſque ad primos trabes; & ipſe Dominus Provincialis, qui eſt, & pro tempore fuerit, teneatur, & debeat taliter, & tali medio dictam domum noſtram ſuis expenſis tenere, & cohopertam conſervare ne a pluvia aliquo tempore poſſint deſtrui res, ſive utenſilia ipſius fraternitatis ſive ſchole: Pro qua quidem parte domus dicta Fraternitas, ſeu gubernatores ipſius, qui ſunt & pro tempore erunt, tenentur ſolvere inperpetuum in octava S. Trinitatis Domino Provinciali vel Locotenenti, qui eſt, & qui pro tempore fuerit ducatos octo auri boni ponderis, & juſti pretii. Item pro augmentatione devotionis devotarum perſonarum ipſius fraternitatis volumus, & ordinamus in perpetuum, quod Presbyter vel Presbyteri noſtri ordinis preſentes & futuri ſeu alii capellani noſtri in hac domo commorantes tenentur & debeant pro ſæpedicta fraternitate ſingulis annis in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis a primis Veſperis uſque ad ſecundas incluſive divinum officium ſolemniter celebrare, & in die miſſam ſum-

(*a*) Fortaſſe ſculptores ſtatuarum.

ſummam cum Diacono & Subdiacono cantare, & etiam per totum annum omni tertia Dominica cujuslibet menſis cantare miſſam de Trinitate cum letania & proceſſione juxta conſuetudinem aliarum fraternitatum, ſeu ſcolarum Civitatis Venetiarum, niſi aliud feſtum impedierit: Et etiam duas miſſas de Spiritu Sancto bis in anno cauſa faciendi capitula ipſius Fraternitatis, & cum hæc ſingulis diebus lune per totum annum teneantur, & debeant dicere miſſam pro animabus defunctorum ipſius fraternitatis, & ut ipſi noſtri Sacerdotes ſeu Presbyteri promptiores ſint ad prædicta facienda. Volumus, ut gubernatores ipſius fraternitatis, qui ſint & qui erunt pro tempore, teneantur dare & ſolvere omni tertia dominica cujuslibet menſis noſtris Sacerdotibus libram unam parvorum, & in die Trinitatis ipſius Fraternitatis gubernatores tenentur dare Dom. Provinciali vel locotenenti, qui eſt & pro tempore fuerit, ſingulis annis panes duos, & cereum unum ponderis unius libre ad minus, & cuilibet fratri ordinis, qui pro tempore fuerit in domo noſtra, panem unum, & candellam unam ſecundum conſuetudinem aliorum confratrum ipſius Scholæ. Item volumus & ordinamus quod ſi continget aliquo tempore futuro, quod Dominus Provincialis non haberet proprios Sacerdotes in Eccleſia ſua S. Trinitatis, ſeu qui ſupraſcriptas miſſas dicerent pro fraternitate, ſive Schola, quod eo tunc gubernatores ipſius poſſint & debeant ſumere proprios Sacerdotes ipſius Fraternitatis, ut poſſint dicere miſſas ſuas ordinarias in Eccleſia noſtra, ut præmittitur, & ipſe Dominus Provincialis, qui pro tempore fuerit, debeat dicto presbytero ſeu presbyteris concedere & concedi facere omnia neceſſaria pro dicta miſſa dicenda ſeu miſſis dicendis. Item volumus, quod ſingulis annis, quando fit & fieri debet electio novi Guardiani, & ſociorum ſuorum tenentur & debeant vocare & vocari facere Dominum Provincialem, vel locum ejus tenentem, ut ſit ſimul cum electoribus, & quod ſemper eligant unum Theotonicum in ſocium cum quo Dominus Provincialis, vel ejus locum gerens, & fratres ſui poſſint loqui quod Italicum ignorent. Ita tamen, quod ille qui fuerit in officio per unum annum non poſſit eligi denuo, niſi tranſierint primo anni duo; Ita quod quilibet ſit particeps laborantium. Ne videamur immemores defunctorum damus, & concedimus ſæpedicte Fraternitati ſeu gubernatoribus ſuis præſentibus, & futuris imperpetuum ſpatium terræ quinque paſſuum longitudine & latitudine, quod eſt inter Eccleſiam & domum noſtram, ubi ſunt campane ut poſſint ſepelire corpora ſuorum defunctorum de dicta fraternitate, & facere ſepulchra, ſeu munumenta ſua, & dare debent Sacerdotibus noſtris pro quolibet funere ſolidos quinque, & medietatem ceræ juxta ritum & conſuetudinem aliarum Eccleſiarum in Venetiis, & ſi aliquis fratrum dictæ Fraternitatis de hoc ſæculo emigraret, & in ſuo teſtamento ordinaret tantum de ſuis bonis, quod deberet ſummi, & conduci unus manſionarius, ſeu Capellanus qui diceret, & dicere deberet pro anima ſua ſingulis diebus miſſam unam aut bis, aut ter in menſe, aut quotiens dictus decedens ordinaſſet in Eccleſia S. Trinitatis, quod tunc dictus Provincialis, qui pro tempore fuerit, vel ejus locum tenens teneatur & debeat concedere ſeu concedi facere dicto manſionario, vel capellano, ad hoc per fraternitatem deputato, omnia paramenta ad hoc neceſſaria, ſcilicet calicem, miſſale & cetera pro dicta miſſa dicenda, ſive miſſis dicendis, & fulcire Altare, vel altaria ſuis paramentis, ſic tamen intelligendo, quod dictus manſionarius, ſeu capellanus ſit bonus & honeſtus, ſive boni & honeſti, & bonæ famæ notificando illum, vel illos Domino Provinciali, qui pro tempore fuerit, aut loco tenenti, ut fiat bona & matura deliberatio pro ſumendo & inquirendo bonum & ſufficientem presbyterum & bonæ famæ, & Dominus Provincialis,

vel

vel ejus locum tenens non teneatur dare pro dicta miſſa, ſive miſſis candellas ſuas præter duplerium pro elevatione Corporis Chriſti: Poſtremo ſuper omnia volumus & ordinamus quod ſemper ſit firmum & ratum, quod ſi per aliquem modum, viam vel formam contingeret, quod dicta fraternitas, ſive ſchola deveniret, ſeu annihilaret; Ita quod nullus fratrum amminiſtraret, vel ammiſtrare vellet propter defectum confratrum ipſius Fraternitatis, quod tunc omnia quæ facta fuiſſent in dicta Schola ſive domo noſtra remaneant, & remanere debeant in Eccleſia S. Trinitatis, ideſt ordini S. Mariæ hoſpitalis Theutonicorum de Jeruſalem. Secus autem quod ſi contingeret, quod deficeret dicta Fraternitas propter defectum Domini Provincialis, vel alterius Fratris dicti Ordinis, & tunc nihil remaneat vel remanere debeat in dicta Eccleſia noſtra S. Trinitatis de rebus ipſius Fraternitatis ſive ſchole per aliquem modum, vel ingenium, ſed potius ipſe Dominus Provincialis cum ſuis fratribus teneatur ad reſtitutionem & ſatisfactionem omnium expenſarum factarum in dicta domo noſtra, ſive ſchola, & omnium damnorum & intereſſe. Ad hujus autem donationis conceſſionis ordinationis perpetuam firmitatem, & ſecuritatem memorate fraternitatis preſens privilegium fieri mandavimus, & ſcribi per Henricum Notarium domeſticum noſtrum, ſigillique provincialatus Lombardiæ ad æternam memoriam munimine roborari. Actum & datum Venetiis in domo noſtra apud S. Trinitatem Anno Nativitatis D. N. J. C. milleſimo quadringenteſimo vigeſimo. Indictione XIII. Die martis tertiodecimo menſis Februarii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Martini divina providentia Papæ quinti anno ſuo tertio preſentibus ibidem Nobilibus & honorabilibus Viris Joanne q. Theodorici Voyt de Salezyz Soffredizdam Domini Lutm de lapide de Alemania, Bartholemeo q. Domini Fantini de Canale de Venetiis, Presb. Joanne q. Otonis Capellano domus, Joanne q. Federici de Nuribergo familiari Domini Provincialis teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis & aliis.

Provincialis & Equites Theutonici livellant Sodalitio Sanctiſſimæ Trinitatis partem horti in qua poſſit extruere ædes ad propria officia ſtatuto annuo cenſu, aliiſque conditionibus.

B 1493. I. Januarii.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

IN Chriſti nomine Amen. Anno a Nativitate ejuſdem 1493. menſis Januarii die primo Indictione vero undecima Rev. in Chriſto pater D. Guilielmus de Unibligem digniſſimus Provincialis ordinis Beatæ Mariæ Jeroſolimitani Theutonicorum Balliviæ Longobardiæ, marchiæ Tarviſinæ, nec non regni totius Apuliæ, & viſitator ad preſens ac pro nunc totius regni Sciciliæ Ordinis prædicti, & ad preſens in Civitate Venetiarum reſidens in domo prædicti ordinis ſanctiſſimæ ac individuæ Trinitatis, & agens vice ac nomine totius prædictæ ejus domus Sanctiſſimæ Trinitatis Civitatis Venetiarum, ac ſucceſſorum in preſentia etiam cum voluntate, & conſenſu Rev. D. Juſti Stuller digniſſimi ad præſens Prioris domus Venetiarum ſanctiſſimæ ac individuæ Trinitatis prædicti ejus ordinis preſentis volentis, & conſentien-

tis, ac de omnibus, & ſingulis in preſenti livellationis Inſtrumento contentis, declaratis, promiſſis, & expreſſis penitus contentantis ac etiam Ven. Viri D. Joannis Krebel de phranchphordia digniſſimi ſanctæ prædictæ ejus domus ac Eccleſiæ, & prædicti eorum ordinis preſentis ſimiliter volentis, & conſentientis, ac de contentis in preſenti livellationis inſtrumento penitus contentantis habens libertatem & auctoritatem livellandi, & ad livellum perpetuale, ac emphitheoſim perpetua concedendi, ut clariſſime conſtat patentibus Bullis, ac litteris Rev. in Chriſto Patris D. Andreæ Grumbach hoſpitalis B. Mariæ Theutonicorum Jeroſolimitani Magiſtri datis in Arce ipſius horneck ſub anno Nativitatis Domini 1491. Die Jovis poſt Dominicam quaſi modo (*a*) geniti in ejus Cancellaria cum ejus bulla magna pendenti totius prædictæ ejus religionis in cera rubea incluſa in capſula lignea cum imagine B. Mariæ Virginis, & inſignibus ſuis ac religionis totius per me notarium infraſcriptum viſis, lectis, & clare intellectis, ac etiam Ducalibus litteris ſuper inde conceſſis per Sereniſs. D. Chriſtophorum Mauro olim inclyptum Venetiarum Ducem cum ejus excelſo Rogatorum conſilio, Datis Venetiis in Ducali Palatio ſub die 26. menſis Julii Indictione tertia anni 1470. per me notarium infraſcriptum ſimiliter viſis, lectis, & clare intellectis in quodam regiſtro carthæ pergamenæ ipſiusmet Rev. D. Guilielmi provincialis prædicti livellantis, per ſe ſuosque ſucceſſores dedit, & ad livellum perpetuale conceſſit & tenore preſentis publici inſtrumenti, ac per hoc preſens publicum Inſtrumentum dat, & concedit ſpectabilibus ac generoſis Viris DD. Marino Azalino digniſſimo guardiano ſcholæ, & confraternitatis Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſociis preſentibus & pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus, ac vice & nomine totius prædictæ eorum confraternitatis, & ſcholæ expreſſe recipientibus, ſtipulantibus, & ad livellum perpetuale conducentibus partem horti prædictæ eorum domus, videlicet eam partem, quæ confinat, & terminat cum via communi, & publica per quam itur ad Sanctum Gregorium, & verſus Doanam maris & ad Eccleſiam prædictæ Domus, & quæ eſt, ac jacet inter proprietates, & domos prædictæ ejus Domus ab utroque capite, quæ quidem pars horti, ſic ut ſupra nuper ad livellum perpetuale conceſſa, data, & accepta habet in longitudine, & per ſuam longitudinem paſſus ſexdecim intra muros vel circa per latitudinem vero, videlicet verſus occidentem, & verſus domos ac proprietates domus prædictæ conductas, & habitatas ad preſens per ſ. Aloviſium rubeum qu. ſ. Appollonii Rubei paſſus decem vel circa & verſus orientem, ac domos, & proprietates domus prædictæ tentas, conductas, & habitatas ad preſens per ſ. Rugerium ab Arpo paſſus ſeptem, ac pedes duos, intra murum dividentem totum prædictum eorum hortum a via communi prædicta, & incipiendo menſurare latitudinem prædictam paſſuum ſeptem, ac pedum duorum a muro prædicto viam ab horto dividentem uſque ad aliud caput juxta hortum prædictum eidem domui ſuæ reſtantem, cujus quidem oſreni, & horti totius, ſicut ſupra nuper ad livellum perpetuale conceſſi, & accepti hi dicuntur eſſe confines, videlicet ab una parte via communis prædicta verſus magazenos communis reſpiciens, ab alia parte reliquum horti reſtatis prædictæ ejus domui ab uno capite domus, & proprietas domus ejus prædictæ conducta ad preſens per præfactum ſ. Aloviſium rubeum qu. ſ. Appollonii, ab alio vero capite alia proprietas prædictæ ejus domus habitata & conducta ad preſens per præfactum ſ. Rugerium ab Arpo ſalvis tamen ſemper omnibus aliis melioribus, ac verioribus confinibus, ſi qui alii fortaſſis eſſent aut eſſe reperirentur, qui muri ab utroque capite poſiti & exiſtentes, & tam ad pre-

(*a*) Dominica *Quaſimodo* idem eſt ac Dominica in Albis ex eo, quod introitus Miſſæ incipit ab hoc verbo *Quaſimodo*.

preſens facti, & fabricati, quam in futurum & in proceſſu temporis conſtruendi, & faciendi; debent eſſe utrique partis communis; ea tamen lege, conditione, & expreſſo pacto, quia ſi contigerit, ac eisdem DD. Guardiano & ſociis ac ſucceſſoribus, ſeu prædictæ eorum confraternitati, & ſcholæ placuerit pro majori comoditate, & utilitate eorum fabricæ ibidem conſtruendæ de proximo attollere, & elevare muros prædictorum duorum capitum & utriusque ſeu alterius eorum ad majorem altitudinem quam ſit, & eſſe reperiatur ad præſens idem murus ab inde ſupra fabricandus, & conſtituendus, ſit, ac eſſe, & inteligi re vera & cum effectu debeat prædictæ ejus domus, & ad commodum & beneficium prædictæ ejus domus. Hoc item declarato & expreſſe appoſito, quod ſi ullo unquam tempore contigerit muros capitum prædictorum, & utriusque, ſeu alterius eorum deficere, & ruinam minari, ita quod fabricæ partis utriusque ſeu alterius earum paterentur damnum incomodum & periculum aliquod & neceſſarium eſſet illos reficere tunc refici, & reſtaurari debeant communibus partis utriusque expenſis, ita quod prædicta ea domus medietatem totius impenſæ in prædictis duobus muris faciendæ conferat, & contribuat, alteram vero medietatem præfacti D. Guardianus, & ſocii tam præſentes, quam futuri, ac prædicta eorum ſchola. Ad habendum, tenendum, fabricandum, meliorandum, ac jure emphitheotico cum ſupraſcriptis & infraſcriptis pactis, modis, declarationibus, & conditionibus, omnibus de cætero perpetuo poſſidendum, quod quidem livellum renovari debat ſingulis quibusque annis 29. & ſic poſtmodum ſucceſſive de ſingulis quibusque annis viginti novem in annos viginti novem perpetuis temporibus ſolventibus tamen ac ſolvere debentibus prefatis DD. Guardiano, & ſociis ac prædictæ eorum ſcholæ ſanctiſſimæ, ac individuæ Trinitatis eidem D. Provinciali, a ſucceſſoribus ſeu prædictæ ei domui pro ſingula livelli recognitione, & renovatione ſunalia duo ceræ albæ ponderis librarum duarum pro quolibet, & e converſo prefacti D. Marinus Azalino Guardianus & ſocii promiſerunt, & expreſſe ſe obligaverunt eidem D. Provinciali livellanti & ſucceſſoribus, ac prædictæ ejus domui ſanctiſſimæ Trinitatis Venetiarum dare, & reſpondere omni & quibus anno jure perpetualis livelli pro prædicto terreno, & horto ſic ut ſupra ſibi ad livellum perpetuale conceſſo, & dato Ducatos auri decem omni & quibus anno ſolvendos, reſpondendos & miniſtrandos eidem D. Provinciali & ſucceſſoribus, ac prædictæ ejus domui in feſto, ac ſolemnitate Sanctiſſimæ Trinitatis cuilibet anni incipiendo reſpondere & ſolvere livellum primi anni in feſto ac ſolemnitate Sanctiſſimæ Trinitatis anni 1494. & ſic poſtmodum ſucceſſive omni, & quolibet anno, ac de anno in annum in feſto ac ſolemnitate prædicta Sanctiſſimæ Trinitatis cuilibet anni ab inde in antea ſubſecuturo & inſuper ſalvis præmiſſis omnibus omni, & quolibet anno in ſignum recognitionis livelli ac terreni prædicti ſic ut ſupra nuper conceſſi dare, & reſpondere omni & quolibet anno in die ac feſto & ſolemnitate purificationis B. Mariæ Virginis eidem D. Provinciali, ac ſucceſſoribus, tam preſenti, quam abſenti unam candellam ceræ albæ ponderis librarum duarum, nec non candellam unam ceræ albæ D. Priori domus prædictæ tam præſenti tunc, quam abſenti ponderis libræ unius, & item cuilibet alteri religioſo prædicti ejus ordinis tantum ibidem tunc exiſtenti & preſenti unam candellam ceræ albæ ponderis dimidiæ libræ incipiendo dare, & reſpondere hujusmodi candellas in feſto ac ſolemnitate purificationis Beatæ Mariæ Virginis anni 1494. proxime futuro, poſtmodum ſucceſſive omni & quolibet anno in feſto ac ſolemnitate prædicta temporibus perpetuis ex prædictis ratione & cauſa. Hoc item declarato & expreſſe appoſito, quod prefatus D. Guardianus & ſocii, ac prædicta ejus ſchola teneantur & debeant,

& ita

& ita promiſerunt, ac expreſſe ſe obligaverunt propriis eorum laboribus, & impenſis fabricari & conſtrui facere unum murum qui claudat prædictum eorum hortum eidem domui ſuæ reſtantem incipiendo ab angullo muri domus habitatæ per ipſum ſ. Rugerium abarpo, & eundo recto tramite uſque ad murum ſacriſtiæ prædictæ & Eccleſiæ qui murus ſic ut ſupra fabricandus & conſtruendus ſit, ac eſſe debeat de uno lapide conſtructus & altior duobus pedibus, ac eminentior ſupra terram, quam ſit ac eſſe reperiatur ad preſens murus quod ſeparet, ac dividat terrenum prædictum ſic ut ſupra nuper ad livellum perpetuale conceſſum eisdem DD. guardiano & ſociis ac prædictæ eorum ſcholæ a via militari magiſtra, & communi reſpiciente verſus magazenos communis ſuperius nominatos, & hoc nominatum locu muri prædictæ declarans & volens inſuper prefatus D. Provincialis livellans quod prefati DD. guardianus & ſocii ac prædicta eorum ſchola fabricando ac fabricare volendo ſuper tereno prædicto ſic ut ſupra ad livellum perpetuale eisdem nuper conceſſo, non poſſint nec valeant ulterius progredi, nec ſe extendere cum muro eorum magiſtro verſus viam communem, & magazenos communis predictos, quod ſit murus ad preſens fabricatus & conſtructus; Hoc inſuper declarato & expreſſe appoſito, quod prefacti D. Guardianus & ſocii ac prædicta eorum ſchola non poſſint, nec valeant modo aliquo forma colore vel ingenio conficere in muro domorum prædictæ eorum ſcholæ brevi fabricando, & conſtruendo deo concedente, ac ſanctiſſima Trinitate verſus prædictum eorum hortum eidem, ac prædictæ ei Domui reſtantem feneſtras aliquas per quas videri, & inſpici poſſit in prædictum eorum hortum niſi feneſtras ad trabaturam tantummodo ſi vero feneſtras alias & alterius generis facere voluerint, tunc teneantur & obligati ſint tanto magis attolere & elevare murum, qui dividet prædictum eorum terenum ſic ut ſupra ad livellum perpetuale nuper eisdem conceſſum a prædicto ei horto ſibi ac prædictæ & domui reſtante. Ita quod ex illis & per illas inſpici non poſſit, nec videri in prædictum eorum hortum ſibi reſtantem & ſimiliter ſi teracias ſeu altanas conficere voluerint ſuper tectis prædictarum eorum domorum ſic ut ſupra brevi conſtruendarum illas conficere poſſint & libere valeant dum modo ex illis & per illas inſpici non poſſit, nec videre in prædictum eorum hortum ſibi reſtantem ut ſupra; cui hoc item pacto & conditione expreſſa quod ſi præfati D. Guardianus & ſocii, ſeu eorum ſucceſſores, aut prædicta eorum ſchola ullo umquam tempore vendere & alienare voluerint prædictum terrenum ſic ut ſupra nuper eisdem ad livellum perpetuale conceſſum & domos, ac fabricas ſuperinde conſtruendas & fabricandas in toto ſeu in parte tunc teneantur & obligati ſint prius denuntiare & notificare eidem D. Provinciali & ſucceſſoribus per diem quindecim ante & illi emere volenti dare, & vendere pro ducatis auri vigintiquinque minus quod ab aliis haberi, & inveniri potuerint quo quidem D. provinciali infra prædictum temporum, ac terminum dierum quindecim minime reſpondente ſeu emere nolente affirmante, tunc, & ego caſu eisdem DD. Guardiano & ſociis, ſeu prædictæ eorum ſcholæ & confraternitati Sanctiſſimæ Trinitatis licet & licitum ſit cuicumque alteri ipſi voluerint illas vendere & alienare, dummodo illas non vendant Duci, Comiti, Equiti, vel aliis hominibus & perſonis a jure expreſſe prohibitis, quam quidem terreni livellationem, conceſſionem mutuam promiſſionem obligationem & omnia ac ſingula ſupraſcripta & in preſenti inſtrumento, ac carta contenta præfactæ partes ambæ concordes nominibus prædictis promiſerunt & convenerunt ſibi utrique & viciſſim pactis, modis, declarationibus, & conditionibus ſupraſcriptis perpetuo firmam, ratam & gratam, ac firma, rata, & grata habere, tenere, attendere, facere, obſervare & ad unguem ac inviolabiliter adimplere, & non

non contrafacere, vel venire per ſe, vel alios aliqua ratione vel cauſa, forma, colore, vel ingenio de jure vel de facto ſub pena dupli totius & in quo vel de quo ullo modo contrafacerent per ſolemnem ſtipulationem, ſic ut ſupra ſibi utrique, & viciſſim nominibus prædictis promiſſa, & inſuper refectionis & emendationis danorum impenſarum, ac intereſſe litis & extra; quibus omnibus ſolutis refectis vel non nihilominus præſens terreni livellationis mutuæ promiſſionis & obligationis contractus cum omnibus & ſingulis in eo contentis declaratis promiſſis & expreſſis in ſuis firmitate, & robore permaneat. Obligantes præfatæ partes ambæ concordes nominibus prædictis ſibi utrique & viciſſim pro majori eſecutione & inviolabiliori præmiſſorum omnium, & ſingulorum obſervatione & pro præmiſſis omnibus, ac ſingulis ſic ut ſupra ſibi utrique & viciſſim nominibus prædictis promiſſis plenius attendendis, ac firmius & inviolabilius obſervandis ſe nominibus prædictis ac ſucceſſores ſuos & omnia, ac ſingula eorum & preſcriptarum eorum domus, provinciæ, confraternitatis & ſcholæ bona mobilia & imobilia preſentia & futura tam Venetiis, quam alibi uſque ad integram ſolutionem, finalem ſatisfationem, realem, effectualem, ac inviolabilem obſervationem omnium præmiſſorum. Renuntiantes exceptioni non ſic vel aliter celebrati contractus rei terreni livellationi conceſſioni mutuæ promiſſioni, & obligationi non ſic vel aliter nominibus prædictis, celebratis, rogatis, geſtis, & factis, privilegio fori, & omnibus, ac ſingulis aliis exceptionibus privilegiis, auxiliis & beneficiis, per quas vel quæ præmiſſis, vel aliquibus præmiſſorum poſſet aliquid quomodolibet excipi, obici, vel opponi; Actum Venetiis in confinio S. Gregorii in Domo reſidentiæ præfacti R. D. Provincialis & prædictæ ejus Domus Sanctiſſimæ Trinitatis, Preſentibus ſ. Paxio de monte frumentorum Mercatore, ſ. Ludovico Priviſano q. ſ. Jacobi, ſ. Rugerio Rubeo q. ſ. Ludovici, ſ. Antonio q. ſ. Rainaldi de Nurinbergo omnibus de contrata prædicta & aliis.

Ego Veſcuntius civis Venetus filius D. Joannis publicus Imperiali auctoritate notarius, & Judex ordinarius præmiſſis omnibus, ac ſingulis interſui, & rogatus ſcripſi ac publicavi, ſignumque meum apposui conſuetum.

Pius IV. Joannem Triviſanum Patriarcham Venetum hortatur, ut Seminarium Clericorum in urbe Veneta erigat, & poſſidentes beneficia Eccleſiaſtica ad opem erectioni conferendam compellat.

C. 1563. 14. Julii.

Ex Cataſtico Seminarii Veneti Patriarchalis.

VEnerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Comprobatis jam, & confirmatis, hujus Sanctæ Sedis auctoritate, editiſque atque in omnium notitiam perlatis Sacri Tridentini Concilii decretis, omnes jam Prælatos, pro officio ac munere, quod ſuſtinent, ſummo ſtudio curare neceſſe eſt, ut ea, quæ tam ſancte & ſalutariter in eo conſtituta fuerunt, Divini honoris, & Animarum ſalutis cauſa, in ſuis Eccleſiis fideliter exequantur, ac ſervent: ſecus enim ſi fieret, quod abſit, inanis, & inutilis tantæ Synodi, tot annorum labor fuiſſet; nec Deo poſſet, nec Hominibus eſſe purgatus, quiſquis tam ſalubria & tamdiu bonorum omnium votis optata ſanandis Eccleſiæ malis remedia, in uſum adducere negligeret, diutiusve differret. Cum igitur

tur hoc cogitemus, ſi decreta Concilii in iſta inclyta, & a nobis eximie dilecta Civitate ſervari cæperint, fore, ut Civitates ejus ditioni ſubjectæ exemplum ipſius ſequantur. Fraternitatem tuam hortandam in Domino duximus, & monendam, ut officii ſui memor ipſa decreta ſedulo exequatur. Illud in primis curare te volumus, & vehementer mandamus, atque præcipimus ut Seminarium iſtic ex ipſius Concilii præſcripto, primo quoque tempore inſtituas, omnes, & ſingulos, qui beneficia, & redditus Eccleſiaſticos, in Civitate, ac Dioceſi tua obtinent, cujuscumque ſint generis, & ordinis juxta Concilii Conſtitutionem, ad conferendum tantum, quantum ad domum Collegii ædificandam, & ad alimenta Puerorum, atque omnium, qui ibi alentur, cæteroſque ſumptus opus fuerit compellendo. Qua quidem re nihil inſtitui poſſe conſtat utilius, nec magis ubique his temporibus neceſſariam. Nec verò dubium eſt nobis, quin, ſi opus fuerit, paratum tibi ad hanc rem tam piam, & tam utilem futurum ſit auxilium dilectorum filiorum, Nobilis Viri Ducis, & Senatus Veneti, cum eos noverimus ad omnia, quæ vel ad Dei honorem, vel ad Patriæ ſuæ comodum pertinent, egregiè propenſos, & eximia erga Sanctam hanc Sedem pietate, & reverentia præditos. Ita ergò & ad hanc rem, & ad alias, quæ ad reformationem pertinent perficiendas dilectiſſime Frater, incumbe, ut pro loco, in quo es conſtitutus aliis exequendorum Concilii Decretorum exemplum præbeas; ac non modo a nemine te ſuperari patiaris, ſed ſi qui ſegniores ſint, tua eos ſedulitate, & diligentia incitas, quo nihil potes Deo gratius, neque te dignius facere.

Dat. Romæ, apud Sanctum Marcum, ſub anulo Piſcatoris die XIIII. Julii M.D.LXIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Antonius Florebellus Lavellinus.

Gregorius XIII. Joanni Treviſano Patriarchæ Venetiarum mandat ut ſubſidia Seminario debita ab iis, ad quos pertinet, per omni ſtudio exigat.

D 1584. 25. Aprilis.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

Gregorius Papa XIII.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchæ Venetiarum.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Fraternitatis tuæ diligentiam, in procurando iſtic Viſitationis Apoſtolica executione adhibitam plurimum in Domino comendamus. Ut autem Clericorum Seminario debita ſubſidia ab iis, ad quos pertinet ſicut par eſt ſubminiſtrentur, Tibi per preſentes mandamus ut perſonas eccleſiaſticas tam ſeculares quam cujusvis Ordinis Regulares, & Pia loca quæcumque Civitatis & Diocæſis Venetiarum quæ ad contribuendum Seminario prædicto tenentur; non tamen ea, quæ per Sedem Apoſtolicam ab onere hujuſmodi ſunt exempta per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia oportuna juris & facti remedia ad contributionem pro eorum rata loco & tempore faciendam, auctoritate noſtra compellas: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Tuſculi, ſub Anulo Piſcatoris, die xxv. Aprilis MDLXXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

Joan-

Joannes Triviſanus Patriarcha Venetiarum ex beneficiis Presbyteralibus Parœciarum tertium, vel quartum Veneto Seminario Clericorum applicat, & unit, quæ unio Apoſtolicæ ſedis authoritate confirmatur.

E

1585. 13. Februarii Unio 1. Maii Confirmatio.

Ex Cataſtico Veneti Seminarii Patriarchalis.

JOannes Triviſanus J. U. D. Miſeratione Divina Patriarca Venetiarum Dalmatiæque Primas. Cum Clericorum Seminarium a nobis juxta Sacroſancti Concilii Tridentini formam ſuperioribus annis erectum hucuſque piorum hominum eleemoſinis & dimidia decima a Clero, & Monaſteriis Monialium hujus diœceſis, ex conventione per aliquos tantum jam tranſactos annos ſubminiſtrata, ſubſtentatum fuerit; Cumque eodem ad extremum pene diſcrimen ob maximam paupertatem adducto Sanctiſſimus D. N. litteris ſuis xxv. Menſis Aprilis proxime præteriti in forma brevis emanatis, nobis mandaverit, ut ad illi ſubſidia debita exigenda, pro alimentis, ei impoſterum præſtandis, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris & facti remedia deveniamus, quorum ſubſidiorum nomine dimidia ipſa Decima iterum exigenda decernitur. Cumque hoc illis ad quos pertinet, ex jam orta animorum comotione, ac perturbatione intollerabile eſſe videatur; Idcirco nos, & eos omnes, quibus illud ſolvendi munus incumbit, ab hujuſmodi onere ſublevare, & ſeminario quamprimum nobis licuerit, ex ipſius ſacri Concilii Tridentini decreto proſpicere cupientes, quo ſupradictam portionem, ex fructibus omnium beneficiorum detractam illi applicare, nec non aliqua beneficia ſimplicia, cujuſcumque dignitatis, & qualitatis fuerint non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, & conſuetudine etiam inmemorabili, eidem Seminario unire, & incorporare jubemur, piorum ac prudentium virorum ob ipſius Cleri renitentiam, adhibito Conſilio cum nulla alia ratione, melius atque oportunius, id fieri poſſe videamus, quam ſi aliqua beneficia ſimplicia, Presbiteralia nuncupata, in Eccleſiis Parochialibus hujus Civitatis exiſtentia, quandocumque vacare contigerit, eidem Seminario, ſine tamen Divini Cultus præjudicio, applicemus, & incorporemus: Cumque ad illud agendum litteris etiam Congregationis Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium curam Epiſcoporum gerentium admoniti, & incitati fuerimus, omni meliori modo, quo fieri potuit ipſi Sacro Concilio inhærentes & prædictis Illuſtriſſimis Cardinalibus obtemperantes, ad hoc ut Seminarium ali, & conſervari, & fructus, qui ab eo merito expectantur, ab omnibus percipi valeant; præterea verò, ut omnia beneficia hujus Diœceſis, ab ipſius dimidiæ decimæ perpetua ſolutione aliquando liberentur, ex beneficiis presbiteralibus Eccleſiarum Parochialium hujus Civitatis, ubi tria fuerint tertium; ubi vero quatuor, quartum, cum omnibus redditibus, utilitatibus, & emolumentis, illis quomodocumque ſpectantibus, ſi modo vacent; ſin autem quandocumque per ceſſum vel deceſſum aut alias vacaverint, eidem Seminario perpetuo unimus, aplicamus, & incorporamus, quorum certi redditus, detractis expenſis, ſupplendo Divino Cultui, & aliis illis incumbentibus neceſſariis dimidiæ De-

cimæ prædictæ ſummam conſtituere valeant; idque ad ipſius Concilii normam, quibuſcumque non obſtantibus; & niſi aliter Sanctiſſimo D. N. cujus arbitrio conſtitutionem hanc noſtram ſubjicimus viſum fuerit.

Datum in Noſtro Patriarchali Palatio die XIII. Menſis Februarii M.DLXXXV.

Sixtus Papa V.

Venerabili Fratri Joanni Patriarchæ Venetiarum.

VEnerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem: Rationi congruit, & convenit æquitati ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu litteræ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem felicis Recordationis Gregorio XIII. prædeceſſori noſtro, pro parte tua expoſito, quod cum alias, ex conventione per aliquot annos jam effluxos dimidia Decima a Clero, & Monaſteriis Civitatis, & Diocæſis Venetiarum pro ſubſtentatione Alumnorum Seminarii in dicta Civitate juxta decreta Concilii Tridentini erecti ſubminiſtrata & occaſione ſolutionis dimidiarum decimarum hujuſmodi magna conquæſtio, ac perturbatio exorta fuiſſet, Tu quieti & paci conquerentium hujuſmodi, ac alia ratione dicti Seminarii ſubventioni, providere intendens ex omnibus & quibuſcumque Parochialibus Eccleſiis Civitatis & Diocæſis prædictarum in quibus tria tertium, & in quibus quatuor fuiſſent quartum perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, cum univerſis & ſingulis illorum fructibus, redditibus, obventionibus, & emolumentis, ex eis quomodolibet provenientibus, quæ tunc vacabant, & inpoſterum per ceſſum vel deceſſum, aut alias quomodocumque, & qualitercumque vacarent prædicto Seminario donec eorum fructus redditus, & proventus, ex quibus detracta aliqua eorum parte, pro ſupportandis illorum oneribus ſummam, aut valorem hujuſmodi decimæ conſtituerent, tam tua ordinaria auctoritate, quam vigore dicti Concilii, univeras, annexueras, & incorporaveras prout in tuis litteris patentibus plenius dicebatur contineri, & in eadem diſpoſitione ſubjuncto, firmiora eſſe ea, quibus Sedis Apoſtolicæ intervenit auctoritas, eidem Gregorio prædeceſſori, pro parte tua humiliter ſuplicato, quatenus dicti Seminarii utilitati annuere de benignitate Apoſtolica dignaretur, Idem prædeceſſor tibi ſpecialem gratiam facere volens, tuis in ea parte ſuplicationibus inclinatus, ſub Datum videlicet Nonas Martii Pontificatus ſui anno XIII. unionem, annexionem, & incorporationem per te factas, ac inde ſequta quecumque perpetuò approbavit, & confirmavit, omneſque, & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint, in eiſdem ſupplevit; non obſtantibus, ejuſdem Prædeceſſoris regula de unione committenda ad partes, vocatis intereſſe habentibus, & aliis vocandis, nec non piæ memoriæ Clementis P. P. VII. etiam Prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, quæ inter alia, cavetur, quod beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia in Parochialibus hujuſmodi conſiſtentia, uniri, annecti, incorporari, neque alicui pio loco aſſignari poſſint, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam in Conciliis Generalibus, vel provincialibus, quomodolibet editis & edendis, privilegiis quoque, indultis, & aliis litteris Apoſtolicis Dominio Venetorum, aut Superioribus dictæ Civitatis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, ea vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe dero-

derogavit , cæteriſque contrariis quibuscumque : Ne autem de approbatione confirmatione, defectuum ſuppletione , & derogatione dicti Gregorii prædeceſſoris , pro eo quod ſuper illis ipſius prædeceſſoris , ejus ſuperveniente obitu , litteræ confectæ non fuerint valeat quomodolibet hæſitari , Tuque illarum fruſtreris effectum ; volumus, & eadem autoritate decernimus, quod approbatio, confirmatio , defectuum ſuppletio, & derogatio a dicta die Nonas Martii ſuum ſortiantur effectum , perinde ac ſi ſuper illis ipſius prædeceſſoris litteræ, ſub ejuſdem diei data, confectæ fuiſſent , prout ſuperius enarratur. Quodque preſentes litteræ ad probandam plene approbationem , confirmationem , defectuum ſuppletionem , & derogationem , ubique ſufficiant ; nec ad id probationis alterius adminiculus requiratur.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die prima Maii MDLXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Sixtus V. aſſignat Seminario Patriarchali Venetiarum ad decennium ducatos mille de Camera ſuper fructibus Monaſterii Sancti Spiritus Venetiarum.

F 1585. 4. Decembris.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam . Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem meritis licet imparibus , divina diſpoſitione vocati gratos Domino , & uniuſcujuſque Reipublicæ Chriſtianæ utiles, & fidelium animarum ſalutiferos fructus , qui ex litterarum ſtudiis provenire noſcuntur, intra cordis noſtri arcana revolventes ad ea per quæ Seminariorum quorumlibet , & illorum perſonarum manutentioni, & ſubventioni, ac pro oneribus illis incumbentibus facilius ſupportandis commoditati valeat ſalubriter provideri libenter intendimus , ac in his providentiæ noſtræ partes , prout opportunum fore conſpicimus , favorabiliter impertimur. Cum utique ſicut accepimus , ad imbuendam & informandam bonis moribus, chriſtiana diſciplina , & ingenuarum artium ſtudiis, juventutem Civitatis Venetiarum , quam pro ſingulari erga nos & ſedem Apoſtolicam devotione præcipua quadam charitate complectimur, in ea Seminarium Puerorum clericali militiæ aſcribi cupientium , juxta formam Concilii Tridentini auctoritate ordinaria , jampridem erectum & inſtitutum fuerit, & tamen de redditibus, pro illius conſervatione, & perſonarum inibi degentium congrua ſubſtentatione neceſſariis ſatis ei provideri nondum potuerit: Clerum autem Venetiarum qui redditus Eccleſiaſticos ſatis tenues habet onerare minime expediat, & plura in vicinis Diœceſibus conſiſtentia beneficia ſicuti hactenus præcipue in favorem alterius ſeminarii in eadem Civitate auctoritate Apoſtolica erecti factum eſt illi uniri & annecti ſine multorum querelis & magno incomodo vix poſſint , mirum videri non debet, ſi tradita nobis a Deo de bonis Eccleſiaſticis, & redditibus diſponendi poteſtate utendo, prout æquitas ac rerum temporum & locorum ſuadet opportunitas in pios hujuſmodi uſus & ad ſublevandas primò dicti Seminarii neceſſitates transferimus quod alterius loci pii opulentis redditibus abbundantis Monaſterium per Priorem gubernari ſoliti, videlicet Sancti Spiritus Vene-

Venetiarum Ordinis Sancti Auguſtini Canonic. Regul. uſibus etiam habita ratione numeri perſonarum, quæ inibi aluntur, in illorum comodorum aliorumque onerum ipſi Monaſterio incumbentium non modo minimè neceſſarium ſed plane ſupervacaneum videtur. Nos itaque qui dudum inter alia voluimus, ſtatuimus, & ordinavimus, quod litteræ reſervationis, & aſſignationis, etiam motu proprio cujusvis penſionis annexæ ſuper alicujus beneficii fructibus expedire non poſſint niſi de conſenſu illius, qui dictam penſionem perſolvere tunc haberet primo dicto ſeminario ac dilectis filiis illius Rectori & perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut comodius ſubſtentare valeant de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ac ſingulares perſonas primodicti Seminarii, a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ab jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam ſed ex mera noſtra liberalitate, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine primo dicto Seminario penſionem annuam, ab omni, & quocunque onere ordinario, & extraordinario, etiam pro Cruciata ſancta, & expeditione contra Turcas, alioſve Infideles ſeu hæreticos, aut alios hoſtes, etiam pro tutione fidei Catholicæ & ad inſtantiam dilectorum filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Venet. ſeu aliorum Principum; aut ex quacumque cauſa etiam graviori urgentiſſima, aut etiam motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam conciſtorialiter nunc & pro tempore impoſitis, nec non belli, peſtis, grandinis, tempeſtatis, ſiccitatis, inundationis, concurſus millitum, depopulationis, agrorum devaſtationis, aut amiſſionis fructuum, vel cujusvis alterius ſiniſtri, & ineſcogitabilis, ac evenire inſoliti caſus fortuiti eventus, liberam, immunem, & exemptam mille ducatorum auri de Camera, ſuper dicti Monaſterii, illiusque menſæ conventualis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis univerſis etiamſi ſuper illis aliæ penſiones annexæ aliis quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis, aut ſimilibus ſeminariis, aliiſque Collegiis; ſeu locis piis etiam cujuscumque & ſummæ aſſignatæ ſint primodicto Seminario, illiusque Rectori, ſeu adminiſtratoribus pro tempore exiſtentibus, vel eorum Procuratori, ad hoc ab eis ſpeciale mandatum habenti per dilectos filios modernum, ac pro tempore exiſtentem Priorem, & Conventum ejusdem Monaſterii annis ſingulis, pro una videlicet in Domini Noſtri Jeſu Chriſti a proxime futura incipiendo nativitate & altera medietas penſionis mille ducatorum hujusmodi in B. Johannis Baptiſtæ Nativitatum feſtivitatibus ad decem annos integros a Data preſentium numerandos, & niſi interim de congruis redditibus primodicto Seminario ſatis proviſum fuerit etiam deinde ad noſtrum, & Sedis præmiſſæ beneplacitum integre perſolvendam, & per Rectorem, ſeu adminiſtratores pro tempore exiſtentes prædictos etiam una cum quibusvis beneficiis Eccleſiaſticis primodicto Seminario pro tempore forſan unitis, annexis, & incorporatis, nec non penſionibus annuis, ſuper quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis illi pro tempore aſſignatis etiam ſi interim durante decennio, & beneplacito prædictis unionibus, annexionibus, & incorporationibus ipſis de quibusvis beneficiis vacantibus, aut vacaturis in favorem prædicti Seminarii quavis auctoritate factis, aut faciendis ſuos plenarios effectus ſortitis redditus annuos illius augere, & ad quamvis ſummam excreſcere contigerit percipiendam, exigendam, & levandam ac in primodicti Seminarii illiusque alumnorum, & officialium uſus, & utilitatem convertendam dicta Apoſtolica auctoritate, tenore preſentium reſervamus, conſtituimus, & aſſigna-

gna-

gnamus. Decernentes modernum, & pro tempore exiſtentem Priorem, & Conventum prædictos ad integram ſolutionem penſionis mille ducatorum hujusmodi primodicto Seminario, Rectori, ſeu adminiſtratoribus, vel procuratori prædictis decennio & beneplacito hujusmodi donantibus, ac alias ut præfertur, nullo alio a nobis, aut Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris deſuper expectato mandato, remotaque omni, & quacumque exceptione, dilatione, vel excuſatione faciendam efficaciter, obligatos fore, nec prædictam penſionem mille ducatorum ex predictis aliisve cauſis, etiam urgentiſſimis in toto, vel parte ceſſari, aut extingui, ſeu ad minorem ſummam reduci, annullari, vel invalidari, preſentesque revocari, ſeu de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quod ii, quorum intereſt, vocati, & auditi non fuerint, aut dictorum Prioris, & Conventus conſenſus non interceſſerint & in prejudicium juris, illis acquiſiti ac ex minus juſta, & legitima, vel nulla prorſus exiſtente cauſa, aut ea non probata, & verificata emanaverint, vel alio quòvis pretextu, ſeu quæſito colore, vel ingenio notari, impugnari aut ad terminos juris reduci unquam poſſe, ſed primodicto Seminario, ac alumnis, cæteriſque perſonis prædictis æque ſuffragari debere, ac ſi ipſa penſio mille ducatorum conciſtorialiter, ac de Conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium reſervata fuiſſent ſique in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos ſublata eis, & eorum cuilibet quavis judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & deffiniri debere, nec non irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his a quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac volentes, & eadem Apoſtolica auctoritate ſtatuentes, quod illi ex Priore & Conventu prædictis, qui in dictis feſtivitatibus vel ſaltem intra triginta dies illarum ſingulas inmediate ſequentes penſionem mille ducatorum hujusmodi, per eos tunc debitam, non perſolverint cum effectu, lapſis diebus eisdem ſententiam excomunicationis incurrant, a qua donec primodicto Seminario, vel Procuratori prædicto, de penſione mille ducatorum hujusmodi tunc debita integre ſatisfactum, aut alias ſecum, vel cum dicto Procuratore, ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Si verò per ſex menſes dictos triginta dies immediate ſequentes, ſententiam ipſam, animo (quod abſit) ſuſtinuerint indurato, ex tunc effluxis menſibus eisdem, dicto Monaſterio perpetuo privati exiſtant, illudque vacare cenſeatur eo ipſo. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchæ Venetiarum & Archiepiſcopo Capuano, ac Epiſcopo Veronenſi per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus quatenus ipſe, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, vel alios faciant auctoritate noſtra, penſionem mille ducatorum hujusmodi primodicto Seminario vel Procuratori prædicto juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis, & decreti prædictorum continentiam, & tenorem ad decemnium, & beneplacitum hujusmodi integre perſolvi, & nihilominus quoslibet ex Priore, & Conventu hujusmodi, quos excomunicationis ſententiam incurriſſe eis conſtiterit quoties ſuper hoc pro parte primodicti Seminarii fuerint requiſiti, tandem Dominicis & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis, dum inibi major Populi multitudo ad Divina convenerit, excomunicatos publice nuncient, & faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius eccitari donec primodicto Seminario vel procuratori prefato de penſione mille ducatorum hujusmodi per eos tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſique excomunicati ab hujusmodi excomunicationis ſententia abſolutionis beneficium evenerint obtinere, Contradictores, per Cenſuram Eccleſiaſticam auctoritate noſtra prædicta appellatione poſtpoſita compeſcendo non obſtantibus volun-

luntate priori, ſtatuto, & ordinatione noſtris prædictis ac noſtro de non tollendo jure quæſito, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non Monaſterii, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Monaſterio & ordini, illiusque Priori, & Conventui, cæteriſque ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis clauſulis, & decretis, etiam motu, & poteſtatis plenitudine prædictis ac conciſtorialiter ſeu ad eorumdem Ducis, & Reipublicæ, vel aliorum Principum, inſtantiam conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione, de illis, illorumque tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa individua, ac ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu alia quævis expreſſio habenda, aut alia aliqua requiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariiſque quibuſcumque, aut ſi Priori & Conventui prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum; quod ad preſtationem, vel ſolutionem penſionis alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici ſuſpendi vel excomunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia Sedis Indulgentia generali, vel ſpeciali cujuscumque tenoris exiſtat, per quam preſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat, & quomodolibet differri, & de qua cujusque toto tenore habenda ſit in litteris noſtris mentio ſpecialis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, decreti, voluntatis, ſtatuti, mandati, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXV. Tertio Nonas Decembris. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Clemens VIII. aſſignat Seminario Patriarchali Venetiarum penſionem ſcutorum trecentorum ſuper fructibus Eccleſiæ Hierapetrenſis & Sithienſis.

G

1593. 31. Januarii.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex comiſſo nobis deſuper Paſtoralis officii debito, ad ea, per quæ perſonarum Ecceleſiaſticarum quarumlibet præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium indemnitati, exonerationi, nec non illarum etiam quæ in Seminariis puerorum Eccleſiaſticis, pro pueris ibidem pro tempore degentibus, recte pieque in liberalibus artibus, & Dei timore inſtituendis, ac educandis inſudantium manutentioni & ſubventioni valeat ſalubriter providere libenter

in-

intendimus in hisque providentiæ noſtræ partes, prout opportunum fore conſpicimus favorabiliter impartimur. Hinc eſt, quod nos, qui dudum inter alia voluimus, & ordinavimus, quod litteræ reſervationis & aſſignationis etiam motu proprio cujusvis penſionis annuæ, ſuper alicujus beneficii fructibus expediri non poſſent, niſi de conſenſu illius, qui dictam penſionem perſolvere tunc haberet, quique hodie Hierapetrenſi & Sithienſi Eccleſiis (a) invicem unitis, quibus bonæ memoriæ Sophianus Epiſc. Hierapetrenſis & Sithienſis dum viveret præſidebat, per obitum D. Sophiani Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtitutis de perſona dilecti filii Alexandri electi Hierapetrenſis & Sithienſis nobis, & fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepto de fratrum eorumdem conſilio per alias noſtras providimus præficiendo ipſum illis, in Epiſcopum & Paſtorem Volentes Priorem, & Conventum Monaſterii per Priorem gubernari ſoliti Sancti Spiritus Venetiarum Ordinis S. Auguſtini in ſolutione penſionis annuæ mille ducatorum auri de Camera, ſuperdicti Monaſterii illiusque menſæ Conventualis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, deventionibus, & emolumentis univerſis dudum per fel. Rec. Sixtum Papam V. Prædeceſſorem noſtrum, modo, & forma infraſcripto Seminario Puerorum Eccleſiaſtico Venetiarum illiusque tunc exiſtentibus Rectori, & Adminiſtratoribus motu proprio Apoſtolica auctoritate reſervatæ de cætero facienda in aliqua parte ſublevare, ac eidem Seminario & dilectis filiis illius Rectori, & adminiſtratoribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne propterea minimum diſpendium patiantur, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ac gratiam facere ſpecialem ipſosque Priorem & Conventum, nec non Rectores, & Adminiſtratores nunc, & pro tempore exiſtentes, illorumque omnium ſingulares perſonas, a quibusvis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine, quavis ratione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant ad effectum preſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes motu ſimili non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ peticionis inſtantiam, ſed de mera noſtra liberalitate, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine penſionem prædictam ab omni & quocumque ordinario, & extraordinario onere etiam pro Cruciata ſancta & expeditione contra Turcas, aliosque infideles, & hereticos, aut alios hoſtes etiam pro tuitione fidei Catholicæ etiam ad dilectorum filiorum Nobilium Virorum Ducis & Reipub. Venetorum ſeu aliorum Principum inſtantiam aut ex quacunque cauſa, etiam graviori & urgentiſſima, aut eiam motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam conciſtorialiter nunc, & pro tempore impoſitis; nec non belli, peſtis, grandinis, tempeſtatis, ſiccitatis, inundationis, incurſus militum, depopulationis agrorum devaſtationis, aut amiſſionis fructuum vel cujusvis alterius quantumvis ſiniſtri & inexcogitabilis, atque evenire inſoliti caſus fortuiti eventu liberum, immunem, & exemptum, etiamſi ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis prædictis, aliæ penſiones annuæ, aliis quibuscunque perſonis eccleſiaſticis, aut ſimilibus Seminariis aliisque Collegiis ſeu locis piis etiam cujuscunque quantitatis, & ſummæ aſſignatæ eſſent eisdem Seminario, illiusque Rectori ſeu Adminiſtratoribus pro tempore exiſtentibus, vel eorum Procuratori ad id ab eis ſpecialiter mandatum habenti, pro tunc, & pro tempore exiſtentem Priorem dicti Monaſterii & Conventus prædictos annis ſingulis pro una videlicet in Domini Noſtri Jeſu Chriſti, a tunc proxime

(a) Hierapetra quæ & aliquando Hierapitna civitas Epiſcopalis in regno Cretæ ad meridionalem plagam. Urbs Sithienſis latine Cyreum in ipſa Inſula Cretæ.

xime futura incipiendo, & alia medietatibus penſionis hujusmodi in B. Joannis Bapt. Nativitatum feſtivitatibus ad decem annos integros a Dat. litterarum Prædicti Prædeceſſoris, deſuper confectarum computandos & niſi interim de congruis redditibus Seminario prædicto ſatis proviſum foret, etiam deinde ad prædictorum Prædeceſſoris, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſub excommunicationis ſententia, & deinde privationis pœna integre perſolveri, ut per Rectorem, ſeu adminiſtratores pro tempore exiſtentes prædictos etiam una cum quibusvis beneficiis, eidem ſeminario pro tempore forſan unitis, annexis, & incorporatis, nec non penſionibus annuis ſuper quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, illi pro tempore aſſignatis etiamſi interim durantibus decemnio, & beneplacito prædictis unionibus, annexionibus, & incorporationibus de quibusvis beneficiis Eccleſiaſticis vacantibus, aut vacaturis in favorem dicti Seminarii, quavis auctoritate factis aut faciendis ſuos plenarios defectus ſortitis, redditus annuos illius augeri, & ad quamvis ſummam excreſcere contingeret, percipiendam, exigendam, & levandam ac in dicti Seminarii & illius Alumnorum officialium, & Miniſtrorum pro tempore exiſtentium uſus, & utilitatem convertendam per eumdem Predeceſſorem, motu ſimili, apoſtolica auctoritate predicta per quasdam ſuas litteras reſervatam, conſtitutam, & aſſignatam, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur, quoad ſummam trecentorum ſcutorum monetæ, in Civitate Venetiarum curſum habentes duntaxat ex nunc, prout ex ea die, qua dicti decem anni finiti, & elapſi forent, & non antea eadem penſione tamen, quoad reſiduum ad dictæ Sedis beneplacitum, ſalva, & inlæſa remanente dicta Apoſtolica auctoritate, tenore preſentium caſſamus, & nihilominus loco ſummæ ex dicta penſione, ſic caſſatæ, eidem Seminario aliam penſionem annuam, ut prædictam liberam, immunem, & exemptam, aliorum ſcutorum trecentorum ſimilium ſuper Hierapetrenſis, & Sithienſis menſarum Epiſcopalium fructibus redditibus, & proventibus ad alios decem integros annos ex nunc inchoandos duntaxat duraturam, quæ etiam ex nunc ipſis Seminario & Rectori, & Adminiſtratoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, vel eorum Procuratori ad hoc ab eis ſpeciale mandatum habenti, prædictum Alexandrum electum, & ſucceſſores ſuos dictarum Eccleſiarum Præſules ſeu adminiſtratores, qui durantibus ultimo dictis decem annis extiterint, annis ſingulis in dicta Civitate pro una videlicet in B. Joannis Baptiſtæ & altera medietatibus penſionis per preſentes reſervatæ & Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nativitatum feſtivitatibus hujusmodi ſolvi debeat, ac poſtquam primodicti decem anni decurſi fuerint, ex tunc, & non antea in locum ſummæ penſionis ni caſſatæ hujusmodi ſubintret, & per Rectorem, & Adminiſtratores nunc, & pro tempore exiſtentes hujusmodi, etiam una cum quibusvis beneficiis eidem Seminario unitis annexis, & incorporatis nec non penſionibus annuis ſuper quibusvis fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis Eccleſiaſticis, illi aſſignatis aliisque ut præfertur, percipi, exigi, & levari, ac in dicti Seminarii, & illius alumnorum, officialium, & Miniſtrorum prædictorum uſus & utilitatem converti poſſet Apoſtolica auctoritate & tenore preſentium & premiſſorum reſervamus conſtituimus, & aſſignamus decernentes, Alexandrum Electum, & Succeſſores prædictos, ad integram ſolutionem dictæ penſionis per preſentes reſervatæ prædictis Seminario ac Rectori, & Adminiſtratoribus pro tempore exiſtentibus tempore præmiſſo durante, ac alias, ut præfertur nullo alio a nobis, aut Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris deſuper expectato mandato remotisque omnibus, & quibuscunque exceptione, dilatione vel excuſatione faciendis efficaciter obligatos fore nec penſionem per preſentes reſervatam hujusmodi, ex prædictis aliisque cauſis etiam urgentiſſimis, in toto vel parte, caſſari, aut

extingui ſeu ad minorem ſummam reduci, annullari, vel invalidari, preſentesque revocari, nec de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis, vitii, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut ad terminos juris reduci unquam poſſe, ſed Seminario ac Alumnis cæteriſque perſonis prædictis, æque ſuffragari debere, ac ſi penſio per preſentes reſervata hujusmodi conſiſtorialiter de conſenſu Venerabilium fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium reſervata fuiſſet ſicque in præmiſſis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & deffiniri debere nec non irritum & inane quicquid ſecus ſuper id a quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac volentes & eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuentes quod ſi Alexander Electus, aut aliquis ex ſucceſſoribus prædictis in dictis feſtivitatibus vel ſaltem intra triginta dies, illarum ſingulas immediate ſequentes penſionem per preſentem reſervatam hujusmodi non perſolverit cum effectu lapſis diebus eisdem illi ingreſſus Eccleſiæ interdictus exiſtat, cujus interdicti relaxationem is donec Seminario, & rectori & Adminiſtratoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, vel eorum Procuratori prædictis de penſione per preſentes reſervata hujusmodi ſibi tunc debito integre ſatisfactum, aut alias ſecum vel cum dicto eorum Procuratore, ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit prætenquam in mortis articulo conſtitutas nequeat obtinere; ſi verò per ſex menſes dictos triginta dies immediate ſequentes ſub hujusmodi interdicto, animo quod abſit, permanſerit indurato, ex tunc effluxis menſibus eisdem, a regimine, & adminiſtratione dictarum unitarum Eccleſiarum ſuſpenſus exiſtat eo ipſo, non obſtantibus, priori voluntate, & ordinatione prædictis, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati penſiones annuas ſuper fructibus menſarum Epiſcopalium, niſi ex ceſſionis, aut alia probabili cauſa reſervari prohibentes, & quibusvis aliis conſtitutionibus ordinationibus Apoſtolicis nec non dictarum Eccleſiarum unitarum etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuscunque aut ſi Alexandro Electo & ſucceſſoribus prædictis, vel quibusvis aliis comuniter aut diviſim minime teneantur & ad id compelli non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem vel qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel ſpeciali cujuscunque tenoris exiſtat per quam preſentibus non expreſſa effectus hujusmodi gratie impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, caſſationis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, Decreti, voluntatis & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contravenire; Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac B.B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1593. pridie Kalendas Februarii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Litteræ Apoſtolicæ Clementis VIII. pro uniendis Beneficiis ſimplicibus Seminario uſque ad ſummam Ducatorum mille de Camera.

H 1594. 16. Septembris.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

Clemens P. P. VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit Paſtoralis noſtri muneris ratio, ut Seminariorum puerorum Eccleſiaſticorum commoditatibus libenter conſulamus. Accepimus ſiquidem nuper, quod Seminarium puerorum Eccleſiaſticorum Civitatis Venetiarum, Patriarchale nuncupatum, in quo triginta ſex clerici nunc aluntur, cum tamen ex viſitationis Apoſtolicæ decreto ſeptuaginta duo ali deberent, ac ſacris litteris & bonis moribus inſtituuntur, nullum certum redditum, præter ducatos centum quinquaginta monetæ illarum partium ex ſimplici beneficio in Eccleſia de Coronis, olim ipſi Seminario apoſtolica auctoritate unito, provenientes, ac penſionem mille ducatorum aurei de Camera, ſuper fructibus Menſæ Conventualis Canonicorum Regularium S. Spiritus ejuſdem Civitatis. per fel. Rec. Sixtum Papam V. prædeceſſorem ad decemnium, & deinde ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, donec de congruis redditibus ipſi Seminario ſatis proviſum fuerit, reſervata: Ex quibus nos ſuperioribus menſibus ſumma ducatorum trecentorum caſſavimus, quæ tamen caſſatio, a lapſu dicti decemnii effectum ſortitur totidemque eidem Seminario ſimiliter ad decemnium, ſuper menſæ Epiſcopalis Sithienſis, & Hierapetrenſis fructibus reſervavimus. Cum autem decemnium reſervationis primodictæ penſionis, anno proxime futuro expiret, & valde expediat pro manutentione dicti Seminarii, unde perſonæ ſacris litteris inſtructæ, eccleſiarum illarum partium ſervitio valde utiles, & neceſſariæ prodeunt, ut illis de congruis redditibus opportune provideatur. Nos de tua prudentia fide, & integritate plurimum in Domino confiſi, tibi eidem Seminario, tot beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica quocunque nomine nuncupentur; quorum fructus, redditus, & proventus, ad ſummam prædictam mille Ducatorum non ultra aſcendat, nunc, & pro tempore ubicunque in Dominio Venetorum per ceſſum, vel deceſſum, aut quamcunque dimiſſionem vel amiſſionem illa obtinentium, etiam in quocunque menſe nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervato, non tamen per obitum apud Sedem, nec per reſignationem in manibus noſtris vacantia; auctoritate noſtra apoſtolica, perpetuò uniendi, & incorporandi, ita ut liceat, ejuſdem Seminarii Rectoribus propria auctoritate, beneficiorum pro tempore ipſi Seminario vigore preſentium per ſe unitorum poſſeſſionem, dicti Seminarii nomine apprehendere, ac retinere, ac congruis, & aſſuetis eorumdem beneficiorum ſupportatis oneribus, reſiduos illorum fructus, redditus, & proventus percipere, exigere, & levare, ac in præfati Seminarii uſus, & utilitatem convertere libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium, plenam, & Apoſtolicam facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes uniones per te vigore preſentium quandocumque faciendas uſque ad ſummam prædictam duca-

ducatorum mille perpetuo validas fore, & perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, perinde ac ſi uniones hujuſmodi a nobis factæ fuiſſent præſenteſque litteras de ſubreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu, etiam ex eo, quod intereſſe habentes, vocati, & auditi non fuerint, notari, aut alias impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controverſiam revocari, minime poſſe, nec debere; ſicque per quoſcumque judices ordinarios, & Relegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentare non obſtantibus Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus, a jure permiſſis fieri prohibentis, ac noſtris de unionibus committendis ad partes vocatis quorum intereſt, ac de exprimendi vero valore beneficii, cui aliud uniri peteretur aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Privilegiis quoque Indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum cuicunque perſonæ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis ac innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenoris hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod quotieſcumque unio beneficiorum hujuſmodi in toto, vel in parte fiet, poſtquam tamen facta, & ſortita fuerit effectum, penſionis ſumptæ ſuper fructibus tam menſæ Conventualis Canonicorum Regularium Sancti Spiritus, quam menſæ Epiſcopalis Sithienſis, & Hierapetrenſis, ut præfertur, reſervatæ pro concurrente quantitate fructuum dictorum beneficiorum eo ipſo ceſſet & extincta ſit, & ceſſare, & extincta eſſe intelligatur, ita tamen ut ſupradicta menſa Conventualis Canonicorum Regularium S. Spiritus, deinde menſa Epiſcopalis Sithienſis & Hierapetrenſis, a ſupradictarum penſionum onere, & ſolutione omnino libera remaneat, & remanere cenſeatur.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris die XVI. Septemb. 1594. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Clemens VIII. Seminario Patriarchali Venetiarum adnectit Prioratum S. Julianæ Villæ Urbani, & alia duo ſimplicia beneficia in Diœceſi Patavina poſita.

I

1595. 2. Junii.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam; Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem divina diſpoſitione vocati, ex ſuſceptæ ſervitutis officio votis illis, per quæ Seminariorum Clericorum ſtatui, & opportunæ ſubventioni valeat ſalubriter providere libenter annuimus prout conſpiſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus Eccleſia

Prioratus nuncupata Sanctæ Julianæ (a) villæ Urbani ac unum in de Tribano, & alterum in de Conigliana locorum Eccleſiis Paduanæ Dioceſis perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica Clericatus nuncupata quæ bon. mem. Bartholomeus Epiſcopus Caſtellanenſis in commendam ad ejus vitam, ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica, dum viveret obtinebat commenda hujusmodi per obitum dicti Bartholomei Epiſcopi qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, ceſſante adhuc eo, quo ante commendam ipſam vacabat modo vacaverint, & vacent ad preſens pro parte dilectorum filiorum Rectorum, ſeu adminiſtratorum Seminarii Patriarchalis nuncupati puerorum Eccleſiaſtici Venetiarum aſſerentium Eccleſiæ S. Julianæ, & beneficiorum prædictorum & illis forſan annexorum fructus, redditus, & proventus Dugentorum quinquaginta ducatorum auri de camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſuplicatum quatenus eccleſiam S. Julianæ & beneficia predicta eidem Seminario unire, annectere, & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia noluimus quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis unire tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum æſtimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus comiſſio fieret ad partes vocatis quorum intereſſet Rectores, & Adminiſtratores præfatos & illorum ſingulos a quibusvis excomunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis cenſuris, & pœnis ab jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos cenſentes; nec non verum, & ultimum Sanctæ Julianæ & beneficiorum prædictorum vacationis modum etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, ac ejusdem Seminarii fructuum reddituum, & proventuum, unum annuum valorem præſentibus pro expreſſis habentes hujusmodi ſuplicationibus inclinati eccleſiam S. Julianæ, quæ ſine cura, & beneficia hujusmodi, quæ omnia perſonalem reſideatiam non requirunt quovismodo, & ex cujuscunque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujusvis de illis in dicta Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factum aut beneficia ipſa per aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate conlati vacent, etiamſi illa ſine cura Eccleſiaſtica hujusmodi tanto tempore vacaverint, quod eorum conlatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ac ſine cauſa Eccleſiaſtica, & beneficia predicta diſpoſitione Apoſtolica ſpecialiter vel generaliter reſervata exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo pendeat indeciſa; dumodo tempore Datarum præſentium, non ſit in eis alicujus ſpecialiter jus quæſitum, cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis prædicto Seminario Apoſtolica auctoritate, tenore preſentium, perpetuo unimus annectimus, & incorporamus ita, quod liceat illius Rectoribus ſeu Adminiſtratoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ſine cura Eccleſiaſtica, & beneficiorum eorumdem, ac annexorum ſuorum quantumcumque corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe vel alium, ſeu alios eorum ac dicti Seminarii nomine, propria auctoritate apprehendere & apprehenſam perpetuò retinere fructus quoque redditus

(a) Prioratus S. Julianæ olim fuit Monaſterium Ordinis S. Benedicti, inter cujus Priores adnumeratur Gualpertinus Muſſatus poſtea Prior S. Juſtinæ Patavinæ. De eo Cavatius in Hiſt. Cœnobii S. Juſtinæ pag. 127. & Ughahellius Chron. lib. IV.

ditus proventus, jura, obventiones, & emolumenta inde provenientia quæcumque percipere, exigere, levare, & recuperare, locare, ac in ejuſdem Seminarii uſus, & utilitatem convertere diocæſani loci, vel cujusvis alterius licentia deſuper minime requiſita. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus jure permiſſis fieri prohibentes nec non fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuscumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, ſibi faciendis, de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpecialis, vel generalis dictæ Sedis, aut legatorum ejus litteras impetraverint, etiamſi per eas, ad inhibitionem, reſervationem, & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem litteras, & proceſſus habentes per eaſdem ac inde ſequta quæcumque ad ſine cura Eccleſiam, & beneficia predicta volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſequtionem beneficiorum aliorum præjuditium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, & indulgentiis ſpecialibus vel generalibus quorumcumque bonorum exiſtant, per quæ preſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valent quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus autem quod propter unionem annexionem, & incorporationem predictas ſine cura Eccleſia, & beneficia hujusmodi, debitis non fraudentur obſequiis, ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta, & inſuper ex nunc irritum decernimus & innane ſi ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario continere; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1595. VI. Kalend. Julii Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Ludovicus Taberna Legatus Apoſtolicus Seminario Patriarchali Venetiarum unit Beneficia S. Hermachoræ de Conchis, S. Nicolai de Faverigo, & Sancti Martini de Arſego Patavinæ diœceſis.

K. 1595. 24. Junii.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

LUdovicus Taberna Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Laudenſis ac in toto Sereniſſimo Dominorum Venetorum Dominio Nuncius Apoſtolicus ad perpetuam rei memoriam. Dudum Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter Dominus Clemens divina Providentia Papa VIII. per ſuas in forma Brevis ſub anulo Piſcatoris expeditas litteras, nobis, & pro tempore exiſtente in dicto Sereniſſimo Venetorum Dominio Nuncio, plenam & amplam facultatem conceſſit, & impartitus fuit tot beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica, quo-

quocunque nomine nuncupentur, quorum fructus redditus, & proventus, ad ſummam mille ducatorum auri de Camera & non ultra aſcendant, pro tempore, ubicumque in prædicto dominio per ceſſum, vel deceſſum aut quamcunque dimiſſionem vel ammiſſionem illa obtinentium, & in quocumque menſe, etiam ſanctitati ſuæ, & Sedi Apoſtolicæ reſervato, non tamen per obitum apud Sedem prædictam nec per reſignationem in manibus ejuſdem Sanctitati ſuæ vacantia, Seminario Puerorum Eccleſiaſticorum Civitatis Venetiarum Patriarchali nuncupati auctoritate Apoſtolica perpetuo uniendi & incorporandi. Decernentes uniones vigore earumdem litterarum quandocunque faciendas uſque ad ſummam prædictorum ducatorum mille perpetuo validas fore, & perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, perinde ac ſi uniones hujuſmodi a Sanctitate ſua factæ fuiſſent, ac alias prout in eiſdem litteris, quarum tenorem, hic de verbo ad verbum pro inſerto habere volumus, plenius continetur. Cum autem poſtmodum ſicut accepimus rurales & ſine cura Eccleſiæ Sanctorum Hermacoræ, & Fortunati delle Conche, (a) ac S. Nicolai de Faverigo, nec non perpetuum ſimplex beneficium Clericati nuncupati in Eccleſia S. Martini dell' Arſigo (b) Paduanæ Diocæſis quæ bon. mem. Reverendiſſimus D. Aloyſius de Benedictis Epiſcopus Caſtellanatenſis, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Reverendiſſimi Domini Aloyſii, qui de preſente menſe Junii extra Romanam Curiam diem clauſit extremum vacaverint, & vacent ad præſens. Nos volentes mandato prædicti Domini Noſtri Domini Papæ obtemperare, ac facultate nobis conceſſa uti Eccleſiis, ac beneficiis prædictis, ſic ut præmittitur vacantia quorum ac illis forſan annexorum inſimul redditus, & proventus, centum Ducatorum auri in auro de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum ut aſſeritur, non excedunt, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Seminario juxta formam prædictarum litterarum Apoſtolicarum tenore preſentium perpetuo unimus, & incorporamus, ita ut liceat, ejuſdem Seminarii Rectori propria auctoritate Eccleſiarum ac beneficii prædictorum ut præmittitur, per nos unitorum poſſeſſionem dicti Seminarii nomine apprehendere, & retinere, nec non conſuetis earumdem Eccleſiarum ac beneficii ſupportatis oneribus, reſiduos illorum fructus, redditus, & proventus percipere, exigere, & levare ac in prædicti Seminarii uſus, & utilitatem convertere. Quocirca Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Paduano, ſeu ejus in ſpiritualibus Reverendo Vicario generali committimus, & mandamus quatenus, per ſe, vel alium, ſeu alios preſentes noſtras litteras & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Rectoris prædicti Seminarii fuerit requiſitus publicando eique in præmiſſis efficacis deffenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra imo verius Apoſtolica, eaſdem præſentes, & in eis contenta firmiter obſervari. Non permittentes rectorem prædictum deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque oportuna juris, & facti remedia compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando & reaggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Nonobſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omni-

(a) Conche Rus eſt ad ripam Fluvii Bachilionis, cujus Parochialis Eccleſia olim Divis Martyribus Hermagoræ & Fortunato dedicata erat; ea poſtmodum everſa Procuratores D. M. de citra ibidem Eccleſiam erexerunt anno 1645. Divo Dominico dicatam.

(b) Arſego, latine Arſicus, Rus eſt in Agro Patavino.

omnibus illis, quæ prælibatus Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa in dictis ſuis litteris voluit non obſtare cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod propter rationem hujuſmodi Eccleſiæ ac Clericatus prædictis debitis non fraudentur obſequiis, nec cultus minuatur divinus, ſed illorum debita ac ſolita onera ſupportentur, ac ex nunc irritum, & inane decernimus ſi ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Venetiis in Palatio Apoſtolico apud S. Franciſcum a Vinea die 24. Junii MDLXXXXV. Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Papæ Clementis VIII. Anno Quarto.

Eodem anno die 2. Julii pari diplomate beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupata in S. Michaelis de Brendulo (Brendole) S. Quirici de Leonico (Lonigo) Parochialibus Eccleſiis Vicentinæ Dioceſis quæ Aloyſius de Benedictis Epiſcopus Caſtellamatenſis, dum viveret obtinebat, idem Legatus Veneto Seminario univit; pariterque anno 1556. die xxv. Martii Seminario univit ſimplicia beneficia eccleſiaſtica Clericatus nuncupata in S. Fidentii de Megliadino (quam Portinarius lib. ix. aſſerit olim fuiſſe Collegiatam per ſex Canonicos adminiſtratam, & in qua quieſcit corpus S. Fidentii Epiſcopi Patavini, vocaturque (vulgò *S. Fenzo de Mejain*) S. Thomæ de Corte (vulgò de Corte quæ nunc eſt Archipresbyteralis & Collegiata) S. Jacobi Ageris Equorum (vulgò *Arzer de Cavalli*) & S. Juſtinæ de Pernumia (Rus non longe a Monte Silici, Oppidum olim munitiſſimum) Parochialibus Eccleſiis Paduanæ Dioceſis.

Antonius Maria Gratianus Epiſcopus Amerinus in Dominio Venetorum Nuntius Apoſtolicus Ludovici Tabernæ ſucceſſor. Eodem citato anno 1596. die VII. Septembris pari modo univit Seminario perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica Clericatus nuncupata in S. Quirici de Lonigo S. Mariæ de Malo, S. Mariæ de Barbarano, S. Mariæ de Poiana & S. Mariæ de Preſſana Parochialibus Eccleſiis Vicentinæ Dioceſis. Anno deinde inſequenti 1597. die 15. Aprilis alia perpetua ſimplicia eccleſiaſtica beneficia Clericatus nuncupata nempe primum in S. Michaelis de Brendula, ac primum S. Floriani de Zumella & quartum S. Petri de Roveredo Parochialibus Eccleſiis Vicentinæ Dioceſis Veneto Seminario univit.

Pro-

Procuratores deputati a Maximiliano Duce Auſtriæ Magno Magiſtro Ordinis Theutonicorum ejus nomine vendunt Prioratum S. S. Trinitatis Venetiarum pro erigendo Seminario Patriarchali Clericorum, venditionem approbante Clemente Papa VIII.

L. 1595. 30. Auguſti Venditio.

1595. 10. Octobris Confirmatio.

Ex Cataſtico Seminarii Patriarchalis Venetiarum.

Inſtrumentum inter D. D. Franciſcum Oranum, Petrum Ragnum, & Baptiſtam Bernerium Procuratores Sereniſſimi Arciducis Auſtriæ Magni Magiſtri Religionis Theutonicæ, & Reverendiſſimum D. Laurentium Prezzatum Procuratorem Illuſtriſſimi Patriarchæ Venetiarum circa Prioratum Trinitatis Venetiarum.

1595. 30. Auguſti.

IN nomine Domini Amen. In preſenti publico inſtrumento cunctis ubique evidenter pateat, & ſit notum; quod anno a Nativitate Domini Milleſimo Quinquageſimo Nonageſimo quinto Indict. VIII. Die verò trigeſimo menſis Auguſti Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patri & Domini noſtri Clementis Divina providentia Papæ VIII. Anno ejus quarto. In mei Notarii Publici, teſtiumque infraſcriptorum, ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum preſentia præſens, & perſonaliter conſtituti.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Pater Dominus Franciſcus Oranus ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditor, & admodum Reverendus D. Petrus Ragnus Elæemoſynarius, ac Magnificus & R. D. Jo: Baptiſta Bernerius Mantuanus Secretarius in Curia Ceſareæ Majeſtatis ſubſtitutus ab Illuſtriſſimo D. Leonardo ab Harrach libero Barone dictæ Ceſareæ Majeſtatis Procuratores Sereniſſimi D. Maximiliani ab Auſtria Electi Regis Poloniæ Archiducis, nec non Religionis, ſeu Militiæ Ordinis B. Mariæ Teuthonicorum Pruſſiæ adminiſtratoris, ac per Germaniam, & Italiam magni Magiſtri, prout de eorum mandato, & ſubſtitutione reſpective factis conſtat mandato facto Hoſtadii die vigeſimo primo Menſis Auguſti 1593. & fide ſubſtitutionis ſupradictæ, per Dominum Gerardum Raguetum, Sacri Palatii Apoſtolici Notarium, quod, & quam, mihi Notario conſignarunt ſubſequentes &c.

Nos Maximilianus Dei gratia Electus Poloniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Charinthiæ, Carniolæ, Urtemburgh &c. Superioris Magiſtratus, Ordinis Theutonici in Pruſſia Adminiſtrator; Ejuſdemque per Germaniam, & Italiam Magiſter, Comes Habſpurgh, ac Tirolis preſentibus hiſce, manus noſtræ ſubſcriptione, ſigilloque noſtro corroboratis notum facimus & atteſtamur. Cum vocatum ante annum, Inclyti noſtri ordinis B. Mariæ Theutonicorum Prioratum S. Trinitatis Venetiis ab aliquot annis, contra ordinis ſanctiones a Lippomanis poſſeſſum Nobili nobis dilecto Sforzæ Comiti de Porcia contuliſſemus, fuiſſetque ea occaſione nobis, a Venetorum Republica mota difficultas, eo quod nollent a nobis de eo proviſum ad illius

lius poſſeſſum admittere, Nos honorabilem, fidelem, ſincere nobis Petrum Ragnum noſtrum Eleemoſynarium ad Sanctiſſimum D. N. Summum Pontificem, tanquam ſupremum omnium Religionum caput, & Judicem, nec non veram Juſtitiæ ancoram obligaſſe, ut adhibito Cæſareæ Majeſtatis Oratoris, nec non Franciſci Orani Auditoris in Curia Romana conſilio, & opera apud Sedem Apoſtolicam inſtaret humiliter quovis & collatio noſtra facta de dicto Prioratu illæſa prorſus ab omnibus perſiſteret. Cum vero ſanctitas ſua nobis ſignificari curaverit, ſe ejus eſſe conſilii, & propoſiti, quo Venetorum pro ſua benigna in eos affectione deſiderio aliqua in parte ſatisfieret, ut pro dicto Prioratu, ac juribus noſtris in eum ab ipſis aliquam pecuniæ ſummam acciperemus, ſuper id noſtrum petens reſponſum. Nos præhabita matura ſuper hoc deliberatione, & conſilio, proprio ac totius dicti Ordinis nomine ob filialem noſtram ac ejusdem in ſuam Sanctitatem obſervantiam, nec non pro ſincera noſtra in Venetorum Republicam benevolentia, ut omnis diſſidii inter nos, & ipſos occaſio abſcindatur, in ſupradictam ſuæ ſanctitatis mentem, ac propoſitionem de accipiendo pro dicto Prioratu, ejus juribus, & pertinentiis, prout nunc reperitur conſtituens certam aliquam ſummam pecuniæ conſenſum præbuiſſe, prout virtute præſentium, ex plenaria poteſtate, & auctoritate noſtra, qua ut Magnus Ordinis D. Mariæ Theutonicorum per Germaniam & Italiam Magiſter fungimur, præbemus, ac conſentimus. Ac proinde cum neceſſe ſit alicui Nos poteſtatem, & facultatem tradere, qui de hoc negotio & dicta ſumma agere, & concludere valeat; Nos præfatum Magnificum & Generoſum fidelem nobis dilectum Leonardum ab Harrach liberum Baronem Ceſareæ Majeſtatis ad ſummum Pontificem deſtinatum Oratorem, atque eumdem devotum nobis dilectum Franciſcum Oranum, nec non prædictum honorabilem devotum fidelem dilectum noſtrum Eleemoſinarium Petrum Ragnum hac in re pro noſtris Commiſſariis, ac Procuratoribus legitimis conjunctim elegiſſe, & conſtituiſſe, prout eos, in virtute harum litterarum expreſſe eligimus, & conſtituimus. Dantes, & tradentes eis prædicta auctoritate quam in hac parte, ut ſupra habemus licentiam, facultatem, & auctoritatem in dicto Prioratus noſtri Veneti negocio de dicta pecuniæ ſumma, deque ejus ſpecificatione, & aſſignatione noſtra, & Ordinis noſtri nomine coram ſua Sanctitate, ac ubi opus erit agendi, contractandi, & concludendi noſtrum jus, in eo quod habemus proponendi, & proſequendi in pacto declarandæ ſummæ compromittendi in unum, aut plures, & ab arbitris declaratam, vel alio modo oblatam, compoſitam, aut judicatam pecuniæ ſummam pro dicto Prioratu & juribus ſuis, ut ſupra, laudandi, & acceptandi, deque ea illis numerata Venetos, vel quorum intererit quietandi, & finem faciendi. Inſuper dictum Prioratum & jus Ordinis noſtri in eo Venetorum Reipublicæ invicem dictæ ſummæ numerandi, cedendi, & tradendi, ac ſi ita opus fuerit, ſibi unum, vel plures, quos voluerint idoneos, cum eadem prorſus, quam illis damus poteſtate, & facultate in dicto negocio ſubſtituendi, denique omnia, & ſingula agendi & exequendi, quæ in hujusmodi rebus facere poſſunt, ac debent, qui omnibus neceſſariis mandatis, ac facultatibus, ad hujusmodi rem ſuffulti ſunt; Volentes hic omnes clauſulas, & omnia puncta haberi pro expreſſe poſitis, quæ ad preſentem rem, & hujusmodi actus requiruntur, aut deſiderari poſſunt juxta legem præſcriptam, & conſtitutiones tam generales quam particulares ejusque loci, non ſecus ac ſi eæ vel ea huic paginæ de verbo ad verbum inſerta eiſent. Promittentes pro nobis, ac ſucceſſoribus noſtris magnis Magiſtris quicquid prænominati noſtri Commiſſarii & Procuratores, in dicti Prioratus negocio, ac dictæ pecuniæ ſummæ determinatione, ac aſſignatione determinaverint & concluſerint, aut concluſum approbaverint illud to-

tum Nos, ordinem, & ſucceſſores noſtros pro legitime facto, determinato, & concluſo habituros, & ratificaturos eſſe, nec quicquam adverſus illud unquam oppoſituros. Quæ omnia ſupradicta volumus omni meliori modo, forma, & via, quibus melius fieri poteſt de jure, vel de conſuetudine ſcripta, & apta eſſe; In quorum omnium fidem, ac robur has propria manu ſubſcripſimus, ſigillique noſtri appenſione corroborari juſſimus. Actum Hoſtadii Die XXI. Menſis Auguſti Anno 1593.

Maximilianus.

Cyprianus Mamineorum manu propria.

Tenor vero fidei ſubſtitutionis ſequitur, & eſt talis, videlicet:

Fidem facio Ego Notarius infraſcriptus qualiter Die VII. Octobris 1594. Conſtitutus Romæ in Palatio ſuæ ſolitæ habitationis ſito in Regione Arenulæ nuncupato Il Palazzo di Capo di ferro Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus D. Leonardus ab Harrach Baro, Orator Cæſareæ Majeſtatis apud S. D. N. Maximiliani Electi Poloniæ Regis Archiducis Auſtriæ Magiſtri Ordinis Theutonici in Pruſſia, ejuſdemque per Germaniam, & Italiam Adminiſtratoris, Procurator Conſtitutus ab eodem Sereniſſimo Maximiliano, ſub die 21. Auguſti 1593. prout in litteris patentibus ejuſdem Sereniſſimi Maximiliani, manu D. Cipriani de mandato dicti Sereniſſimi Maximiliani ſolito ſigillo ſigillatis, quas ego Notarius vidi, & legi vigore poteſtatis, & facultatis ſubſtituendi in eiſdem litteris appoſitæ, & dicto Illuſtriſſimo Domino Procuratori conceſſæ ſponte ſubſtituit, & in ejus locum poſuit Illuſtriſſimum Dominum Joannem Baptiſtam Bernerium Cæſareæ Majeſtatis Secretarium abſentem ad omnia, & ſingula in dictis patentibus litteris, ſeu ejus mandato procuræ contenta agendi &c. Ponens &c. Transferens &c. Proteſtans &c. ſuperquibus &c. & alias prout in actis &c. ad quæ &c. & in fidem hac die V. Septemb. 1593. Ita eſt. Ego Gerardus Raquettus Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Notarius ex una. Nec non Reverendiſſimus Pater Dominus Laurentius Prezzatus in utriusque ſignat. S. N. PP. Referend. Procurator, ut aſſeruit, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Laurentii de Priolis Patriarchæ Venetiarum, prout docuit per litteras miſſivas ſibi directas Datas Venetiis die 21. Menſis Julii 1595. quas mihi Notario conſignavit tenoris ſubſequentis videlicet a Tergo. All'Illuſtriſſ. e Molto Reverendo quanto fratello Monſig. Abate Prezzato Referendario di N. S. Intus vero.

Illuſtriſſ. e molto Rev. quanto fratello per queſta mia dò auttorità a V. S. di poter trattare appreſſo S. Santità, & con qualunque altra perſona le coſe del mio Seminario di Venezia, & far tutte quelle promeſſe, & obligazioni, che foſſero neceſſarie per il negocio introdotto del Priorato della Trinità, & per ogni altra coſa appartenente ad eſſo Seminario: la qual letteta le fervirà, come ſe le foſſe ſtata fatta commiſſione generale per man di Nodaro con tutte le clauſule neceſſarie, & ſe farà biſogno eſpedir commiſſione per man di Nodaro V. S. me ne dia aviſo, che a tempo debito le farò capitar tutto quello che ella ricercherà, & a V. S. mi raccomando. N. S. la conſervi. Di Venezia il dì 21 di Luglio 1595. Di V. S. Illuſtriſſ. & Molto Rev. quanto Fratello. Il Patriarca. Ex altera parte ſponte &c. Omni meliori modo &c. In primis ſalvo ſemper & reſervato beneplacito & conſenſu S. D. N. PP. ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ & non alias aliter, nec alio modo, de quo proteſtati fuere in primis iidem Illuſtriſſimus & Rev. D. Franciſcus Oranus, Petrus Ragnus, & Jo: Baptiſta Bernerius Procuratores antedicti, & dicto procuratorio nomine Prioratum Sanctiſſimæ Trinitatis præfati Ordinis B. Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ, quem olim obtinebat in commendam Eques Petrus Lippomanus, & per illius obitum extra Romanam Curiam de menſe

ſti Auguſti anni præteriti 1591. defuncti vacantem, & quemadmodum vacat ad preſens, ac omnia jura & actiones in illo, & ad illum quomodolibet competentia dicto Magno Magiſtro; Excepta Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ (a) ſita in Civitate Patavii, & Collegio Albertanorum cum omnibus eorum fructibus, juribus, & actionibus, emolumentis annexis, & connexis, ac dependentibus quibuſcumque quæ Eccleſia & Collegium ſub preſenti ceſſione nullatenus comprehendantur, nec comprehendi debeant & non alias ceſſerunt & renunciaverant Seminario Puerorum dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Patriarchæ in Civitate Venetiarum dudum electo Abate dicto R. P. D. Laurentio Prezzato, ejuſdem Reverendiſſimi D. Patriarchæ Procuratore, una mecum Notario infraſcripto, uti publica, & authenticea perſona pro dicto Seminario, & Reverendiſſimo D. Patriarcha ejuſque ſucceſſoribus in eo preſentibus & dictis nominibus acceptantibus, & legitime ſtipulantibus dictum Seminarium, & pro eo dictum Dominum Patriarcham in omne locum, jus, & privilegium dicti Sereniſſimi D. Magni Magiſtri etiam cum clauſula conſtituti, & facultatem ingrediendi poſſeſſionem corporalem dicti Prioratus, & retinendi aliis facultatibus, ad id quomodolibet neceſſariis, & opportunis, ad habendi, utendi, fruendi, prout de re ſimili facere poteſt, ſolet, & debet: Cujus quidem Prioratus exceptis dictis Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ, & Collegio, ac aliis prædictis ad hoc, ut eadem auctoritate, & beneplacito Sanctiſſimi accedente, perpetuo uniatur eidem Seminario, atque illi incorporetur, ſuppreſſioni, diſmembrationi, & extinctioni & aliis exequatur, juxta formam ſuplicationis deſuper ſignatæ vel ſignandæ habere pure, & ſimpliciter conſenſerunt, ſub pactis tamen, obligationibus, & conditionibus infraſcriptis videlicet:

Primo quod Idem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Patriarcha, & Adminiſtratores Seminarii hujuſmodi, teneantur, & obligati ſint ſolvere prædicto Sereniſſimo Magno Magiſtro, vel ejus legitimo Procuratori ſive Procuratoribus in Civitate Venetiarum Ducatos quatuordecim mille monetæ Venetæ ad rationem librarum ſex, & quatuor ſolidorum ejuſdem monetæ pro quolibet ducato infra tres annos ab hodie proximos, ut ſequitur finiendos, & interim ad beneplacitum prædicti Illuſtriſſimi D. Patriarchæ, & Adminiſtratorum ſupradicti Seminarii, & quod interea iidem Illuſtriſſimus D. Patriarcha, & Adminiſtratores teneantur ſolvere eidem militiæ, & ordini, & pro eis dicto Sereniſſ. Magno Magiſtro pro fructibus & loco intereſſe decurrendis, & debendis, ducatos ſeptingentos ejuſdem monetæ ſinguló quolibet anno, & hoc donec dicti ducati quatuordecim mille per totum triennium proximum ſoluti fuerint integre hoc modo, videlicet medietatem dictorum fructuum ſeu intereſſe in feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti a prima proxima incipiendo, & alteram medietatem in feſto S. Jo: Baptiſtæ tunc ſubſequente & ſic de anno in annum, & feſto in feſtum etiam pro rata non ſoluta donec dicti ducati quatuordecim mille realiter ſoluti fuerint.

Secundo, quod omnes & ſinguli fructus prefati Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis a die vacationis ejuſdem, & a die obitus prædicti D. Equitis Petri Lippomani cedere debeant prout dicti D.D. procuratores ex nunc ceſſerunt eidem Seminario quod, & deputatos, ſeu Adminiſtratores conſtituerunt procuratores in rem propriam ad illos exigendos & recuperandos de quibus exactis, & recuperatis quietandi & alios actus deſuper opportunos gerendi, & exequendi conſtituerunt, & deputarunt, quorum omnium fructuum a die obitus dicti Petri Lippomani citra decurſorum cauſa, & occaſione prædictus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Patriarcha, & Adminiſtratores Seminarii teneantur

(a) Eccleſia Patavina S. Mariæ Magdalenæ Collegium eſt Societatis Jeſu.

ſolvere ducatos ſimiles tres mille hoc modo videlicet, Ducatos mille ejuſdem monetæ, vel eorum valorem per totum menſem Septembris prediſto D. Petro Ragno ſeu ejus Procuratori hic Romæ libere. Reliquos vero ducatos bis mille præſatæ monetæ per totum menſem Oſtobris proximi futuri ad arbitrium prædiſti D. Petri vel hic Romæ, aut alibi, ubi ipſe ordinabit libere.

Item quod omnia paramenta pro Miſſis, & aliis divinis officiis celebrandis, & omnia ornamenta argentea præfati Prioratus Sanſtiſſimæ Trinitatis videlicet Duo candelabra, una crux, duo calices, unum Thuribulum ſeu incenſerium, una paxe, ſint, & eſſe debeant ejusdem Sacræ Religionis. Ita tamen quod liceat eidem Sereniſſimo Magno Magiſtro ſive Magnifico D. Petro Ragno Procuratori ſive alias, & ejus procuratoribus, ſeu Agentibus illa propria auſtoritate accipere, auferre, & quo voluerint aſportare, ſeu aſportari facere, & ſi quæ ſint ornamenta argentea alterius generis teneantur conſignare prædiſto Sereniſſimo Magno Magiſtro vel ejus Procuratori, ad omnem illorum, vel cujuslibet ipſorum ſimplicem requiſitionem libere alias de quibus.

Præterea partes præfatæ convenerunt quod prædiſtus Illuſtriſſimus D. Patriarcha, & Adminiſtratores Seminarii hujusmodi pro adimplemento & inviolabili obſervatione omnium & ſingulorum ſupraſcriptorum teneantur præſtare in fide juſſores MM. DD. de Ortis Mercatores in eadem Civitate Venetiarum exiſtentes, vel alias perſonas poſſidentes bona ſtabilia ſub Dominio & Juriſdiſtione Sereniſſimorum D.D. ab Auſtria hinc, & per totam Decimamquintam diem ſupradiſti Menſis Septembris proxime futuri Inſtrumentumque hujusmodi obligationis, & fidejuſſionis, intra diſtum tempus, in publicam & authenticam formam dare, prout ſupradiſti DD. Procuratores hinc inde quibus ſupra nominibus, attendere, adimplere, dareque & conſignare, ac ſolvere, ſolvique, dari, & conſignari facere, ut ſupra conventum extitit promiſerunt, & convenerunt ſingula ſingulis congrue referendi, & adaptandi alias voluerunt diſtos eorum Principales hinc inde teneri ad omnia damna de quibus pro quibus omnibus, & ſingulis ſupradiſtis obſervandi iidem Procuratores diſtos eorum Principales, ac illorum ſucceſſores, ac bona omnia in forma Cameræ Apoſtolicæ cum clauſulis citra renunciandi cuicumque appellationi conſentientes relaxationi mandati executivi unica citatione præcedente obligarunt Jurarunt taſtis in animas diſtorum eorum principalium, præſata omnia, & ſingula attendere, & obſervare velle ſuper quibus omnibus, & ſingulis petitum fuit a me Notario infraſcripto, unum, vel plura, publicum, ſeu publica fieri, atque confici inſtrumentum, & inſtrumenta.

Aſtum Romæ in Palatio ejusdem R. P. D. Franciſci Orani ſito in regione Arenulæ preſentibus ibidem Magnifico & R. D. M. Antonio Lanfranco Veronenſe, & D. Jacobo Fabrino Florentino teſtibus vocatis habitis ſpecialiter atque rogatis.

Signum Notarii. Ego Franciſcus Belgius Cur. Cameræ Apoſtolicæ Notarius de præmiſſis rogatus, præſens inſtrumentum ſubſcripſi, & ſignavi rogatus &c.

Legalitas.

Nos Camillus Burgheſius Prothonotarius Apoſtolicus Sanſtiſſimi D. N. Papæ nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis auditor. (a) Univerſis, & ſingulis has preſentes legalitatis litteras viſuris. — Notum facimus & atteſtamur ſupradiſtum D. Franciſcum Belgium de ſupradiſto Inſtrumento rogato, & qui illud, ut ſupra ejus propria manu ſubſcripſit, & ſuo ſigno ſignavit, fuiſſe, & eſſe Curiæ Noſtræ

Nota.

(a) Camillus Burgheſius poſtea S. R. E. Cardinalis demum Paulus V. Pontifex Maximus.

Notarium publicum fidelem, legalem, & authenticum ejusque publicis ſcripturis in judicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe & de preſenti indubiam adhiberi fidem. In quorum fidem has preſentes fieri, & per Notarium noſtrum publicum ſubſcribi ſigillique noſtri fecimus impreſſione muniri.

Datum Romæ, ex Ædibus noſtris ſub eisdem anno, Indictione, & Pontificatu, quibus ſuper, Die vero XVI. Septembris.

Marcus Antonius Brun. Not.

Locus Sigilli.

Bulla Clementis Papæ VIII. in qua concedit Seminario Prioratum Trinitatis, comprobans ſupraſcriptum Inſtrumentum actum cum Auſtriacis.

1595. 13. Novembris.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei &c. Romanus Pontifex in ſupremæ dignitatis culmine, & poteſtatis plenitudine conſtitutus ad ea, per quæ ſublatis contentionum, & diſcordiarum, quæ inter quaslibet perſonas oriri formidantur, occaſionibus, & materiis, ac perſonarum earum de concordia valeat ſalubriter provideri, nec non Seminariorum, & aliorum locorum eccleſiaſticorum ad juventutis religioſam educationem, ac in diſciplinis eccleſiaſticis, & aliis ſalutaribus ſcientiis inſtructionem inſtitutorum, ſubventioni, & comoditatibus conſulitur paterna caritate libenter intendit & in his paſtoralis officii ſui partes favorabiliter interponit, prout in duo conſpicit ſalubriter expedire. Cum itaque ſicut accepimus Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis Venetiarum Hoſpitalis Hieroſolimitani Sanctæ Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ, quem q. Petrus Lippomanus Clericus in commendam ad ejus vitam ex conceſſione Apoſtolica dum viveret obtinebat; commenda hujusmodi per obitum dicti Petri, qui extra Romanam Curiam de menſe Augusti anno Domini 1592. diem clauſit extremum ceſſante adhuc eo, quo, ante commendam ipſam vacabat modo vacare noſcatur ad præſens ac inter dilectos filios Nobiles Viros Ducem & Rempublicam Venetiarum; nec non Magiſtratum dicti Hoſpitalis deſuper pro eo quod Dux, & Republica de dicto Prioratu dum pro tempore vacat, non niſi perſonæ ſibi fideli, & devotæ, ac Civitatis ſeu ſtatus Venetiarum indigenæ provideri debere; Magiſter vero prædictus de illo ad ſui libitum, in favorem cujuscunque perſonæ ſibi gratæ, libere diſponere poſſe prætendunt, contentionis materia facile oriri poſſet, & ſi in dicto Prioratu ordo, eſſentia, & dependentia, regulares dicti Hoſpitalis, perpetuo ſupprimerentur, & extinguerentur, ac Prioratus hujusmodi, illiusque Eccleſia, ædes, ædificia, prædia, poſſeſſiones, bona, proprietates, jura, & actiones quæcumque demptis tamen preceptoria, & bonis infraſcriptis Seminario puerorum Eccleſiaſtico in Civitate Venetiarum pro Decretorum Concilii Tridentini exequtione pridem erecto, & inſtituto etiam perpetuo reſpective concederentur, unirentur, & incorporarentur, ac pro indemnitate dicti Hoſpitalis, dilecti filii Rectores ejusdem Seminarii quatuordecim mille ducatos monetæ Venetæ infra triennium proximum, vel ad aliud brevius tempus, arbitrio Venerabilis Fratris Laurentii Patriarchæ Venetiarum, vel tot bona ſtabilia in partibus Germaniæ ſita, ex quibus noningenti ducati ſimiles quotannis percipi poſſint hoſpitali, ſeu ejus Magiſtro, ad hoc, ut ex illis alias ejusdem Hoſpitalis Prioratus in dictis Germaniæ partibus, erigi, fundari, & inſtitui poſſit, dare & conſi-

conſignare, & donec aſſignatio hujuſmodi fiat ſeptingentos ducatos hujuſmodi quotannis ſolvere, ac pro ſecuritate, & cautela dicti Hoſpitalis Mercatores Venetiarum Ottho vulgariter nuncupatos, aut aliam perſonam quæ bona competentia in Dominio Auſtriacorum poſſideat arbitrio ejuſdem Magiſtri in cautionem, & fidejuſſores ſimiliter dare tenerentur, omneſque & ſinguli fructus dicti Prioratus hactenus quomodolibet decurri eidem Seminario, ſub onere tamen Hoſpitali ſeu Magiſtro preſcriptis tres mille ducatos hujuſmodi mille videlicet per totum menſem Septembris preſentis anni, reſiduum vero per totum menſem Octobris immediate ſubſequentis ſolvendi cederent omnia vaſa & alia ſupellectilia dicti Prioratus, Crux videlicet, duo Calices, Turibulum, Pax, & alia ornamenta Hoſpitali preſcripto, pro Eccleſiæ Prioratus erigendi hujuſmodi, illiuſque Sacriſtiæ uſibus competerent quemadmodum inter preſcriptas partes ſicut etiam accepimus, jam conventum, & concordatum eſt, prout in Inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur, contineri. Ex hoc profecto dictum Seminarium hujus acceſſionis beneficio non mediocre adiumentum in ſupportandis illius oneribus reciperet, nec propterea dicto Hoſpitali aliquid inferretur detrimentum litibuſque & controverſiis deſuper orituris ſalubri ſatis ratione conſultum foret. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes vocatis quorum intereſſet decrevimuſque & declaravimus intentionis noſtræ eſſe quod deinceps, per quamcumque gratiam ſeu litteras Apoſtolicas a nobis emanatas nulli jus ſibi quæſitum quomodolibet tolleretur, præmiſſis ut par eſt pro ipſarum partium pace, & tranquillitate opportune providere volentes, ac dilectos filios preſcripti Seminarii Rectores, & eorum ſingulos a quibuſvis, excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ab jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie, abſolventes & abſolutos fore cenſentes. Nec non verum, & ultimum primodicti Prioratus vacationis modum etiam ſi ex illo quævis generalis reſervatio etiam in corpore juris clauſa reſultet preſentibus pro expreſſo habentes motu proprio, non ad dictorum Rectorum, ſeu alicujus eorum, vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de liberalitate, & ex certa ſcientia deliberationeque mentis noſtræ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in primodicto Prioratu, cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus, proventus ſexcentorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum, ut ſimiliter accepimus non excedunt: Quovis modo, & ex cujuſcumque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis de illo in dicta Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam aut conſtitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Execrabilis aut aſſequutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii, ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ac primodictus prioratus diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatus exiſtat, & ad illum conſueverit quis per Electionem aſſumi eique cura Juriſdictionalis immineat ſuper eo quoque inter aliquos lis cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo dummodo tempore Datæ preſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus quæſitum, ac in illius Eccleſia, domibus, ædificiis, & pertinentiis quibuſcunque Ordinem, omnemque ſtatum, eſſentia, & dependentias regulares ejuſdem Hoſpitalis cum ad hoc prædicti Magiſtri, & dilectorum filiorum Conventus Hoſpitalis hujuſmodi expreſſus accedat aſſenſus Apoſtoli-

ex auctoritate tenore præſentium perpetuo ſupprimimus, & eſtinguimus, necnon primodicti Prioratus, Eccleſiam, ædes, & ædificia prædicto Seminario etiam perpetuo concedimus ac primodictum Prioratum illiusque prædia, poſſeſſiones, terras, proprietates, jura, & actiones, aliaque bona quæcumque in quibusvis rebus, & ubicunque locorum conſiſtentia & quovis nomine nuncupata eidem Seminario: Ita quod prædicti, & pro tempore exiſtentes dicti Seminarii Rectores, ac Adminiſtratores, per ſe vel alium, ſeu alios, eorum & dicti Seminarii nomine illorum omnium, & ſingulorum corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem libere etiam ex nunc apprehendere & apprehenſum perpetuo retinere: Fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta inde provenientia quæcunque Diocæſani loci, vel cujusvis alterius licentia deſuper minime requiſita percipere, exigere, levare, locare, arredare, ac in dicti Seminarii uſus & utilitatem convertere valeant auctoritate & tenore præſcriptis ſimiliter perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus. Quodque Eccleſia, & bona quæcunque primodicti Prioratus, indulgentiis exemptionibus, & gratiis omnibus, ſicut ipſa ante ſuppreſſionem hujusmodi, potiebantur, & gaudebant, potiri, & gaudere poſſint pariter perpetuo concedimus, & indulgemus; Ita tamen quod preſcripti Rectores in præmiſſorum recompenſam quatuordecim mille ducatos dictæ monetæ in emptionem tot proprietatum, & bonorum ſtabilium intra fines Germaniæ pro fundatione & dotatione novi Prioratus omnino convertendos penes perſonam fide, & facultatibus idoneam de communi partium conſenſu eligendam, nec inde niſi pro emptione bonorum hujusmodi facienda amovendos infra triennium proximum vel aliud brevius tempus, arbitrio dicti Laurentii Patriarchæ realiter deponere, ſeu ad eumdem effectum tot bona ſtabilia in partibus Germaniæ conſiſtentia, ex quibus noningenti ducati dictæ monetæ, quolibet anno percipi, & exigi poſſint realiter, & cum effectu dare, & conſignare, & donec hujusmodi depoſitum, ſeu conſignatio fiat eidem Hoſpitali ad uſum tamen, & comodum futuri Prioratus, erigendi hujusmodi Prioratus octingentos ducatos hujusmodi ſingulis annis, perſolvere, ac pro ſecuritate, & cautela ipſius Hoſpitalis dictos Mercatores, aut aliam perſonam, quæ bona compeтentia in dominio Auſtriacorum poſſideat arbitrio ipſius Magiſtri, in cautionem, & fidejuſſores ſimiliter dare, omnesque tamen & ſinguli fructus primodicti Prioratus hactenus quomodolibet decurſi eidem Seminario ſub onere termille ducatos Magiſtro, ſeu Hoſpitali preſcriptis mille videlicet per totum menſem Septembris præſentis anni reſiduum vero per totum menſem Octobris inmediate ſubſequentis ſolvendi cedere, vaſa vero & ſupellectilia argentea pro Eccleſiæ Prioratus erigendi hujusmodi illiusque ſacriſtiæ uſibus competere omnino debeant. Liceat inſuper prefato Laurentio Patriarchæ tamquam prædicti Seminarii Adminiſtratori, & ſucceſſoribus ſuis Eccleſiæ Venetiarum Præſulibus pro tempore exiſtentibus quotieſcunque eis beneviſum & comodum fuerit, ad domos & ædes Seminarii hujusmodi ac in aliqua earum parte idonea, & commoda, & per dictum Laurentium Patriarcham eligenda diverſorio nuncupanda, audientiam ab illo, & ſucceſſoribus ſuis prædictis poſtulantium commoditate præſtare inibique habitare, & reſidere, nec deſuper per prædictl Seminarii Rectores ſeu Adminiſtratores aliquo modo impediri, ſeu moleſtari poſſint, volentes, & declarantes nihilum preceptoria Lambertorum, ſeu Collegium Lambertorum Domus B. Mariæ Magdalenæ Paduanæ nuncupatæ ejusdem Ordinis alias per piæ memoriæ Paulum Papam III. etiam Prædeceſſorem noſtrum pro erectione Collegiorum Societatis Jeſu Paduani & Venetiarum ſuppreſſam, & extinctam, illiusque bona fructus, redditus, & proventus ab ea dismembrata, & eisdem Collegiis aplicata & conceſſa; ac terrenum,

renum, & ſitum cum Eccleſia Humilitatis, & aliis ædificiis inibi conſtructis, ad primodictum Prioratum ſeu Hoſpitale Venetiarum alias pertinentia, & dudum per fel. mem. Pium Papam IIII. ſimiliter prædeceſſorum noſtrum, eidem ſocietati pro dicto Collegio Venetiarum poſtea in domum profeſſam, cum translatione illius fructuum ad dictum Collegium Paduarium conceſſa, & aſſignata, ſub unione annexione, & incorporatione noſtris, & aliis præmiſſis minime conprehendi; ſed ſuppreſſiones, extinctiones, diſmembrationes, aplicationes, conceſſiones de illis ad favorem Collegiorum, & domus profeſſæ hujusmodi factas ſalvas eſſe nec non dilectis filiis Heredibus q. Joannis Lippomani ſuper Jurepatronatus per eos ſuper primodicto Prioratu prætenſo, & quibus nuperrime per dilectos filios Magiſtros Hieronimum Pamfilium, & Franciſcum Manticam Capellanos noſtros, & cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, quibus negotium de Jurepatronatus hujusmodi cognoſcendi, commiſeramus juspatronatus ad primodictum Prioratum nulliter competere nobis relatum fuit & aliis cauſam ab eisdem heredibus pro tempore habituris; ita quod de cætero ipſi heredes, & ab eis cauſam habituri dictum Juspatronatus nullatenus pretendere, a quocunque Judice Ordinario, vel delegato, quovis pretextu, & occaſione audiri poſſint ſilentium perpetuo imponentes ac decernentes ſuppreſſionem, extinctionem, annexionem, & incorporationem noſtras omniaque alia & ſingula præmiſſa, ac preſentes litteras nullo unquam tempore, ex eo quod cauſæ, propter quas emanarunt, in conſilio, ſeu capitulo Generali, vel Conventu dicti Hoſpitalis, ſeu coram loci ordinario, & etiam tanquam a dicta Sede delegato vel alibi examinatæ, verificatæ & approbatæ aut Capitulum, Conſilium & Conventus hujusmodi, vel quicunque alii intereſſe habentes, ſeu pretendentes vocati non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, neque in eis tractatus & quæcumque ſolemnitates, & alia de jure, conſuetudine, vel privilegio ſeu juxta ſtatuta, ſtabilimenta, privilegia indulta Hoſpitalis hujusmodi ſeu quorumcunque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum literas, & conſtitutiones deſuper editas, vel alias quomodolibet requiſita, & in ſimilibus neceſsaria intervenerint, ſeu etiam enormis, & enormiſſima & totalis læſionis aut alio quovis pretextu cauſa, vel occaſione quantumcumque notabili & juridica etiam ad terminationem juris reduci, ſeu adverſus illa quomodocunque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari poſse uniuscujusque ſub quibusvis ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, a nobis ſeu quibusvis aliis Romanis Pontificibus ſimiliter Prædeceſsoribus noſtris, & dicta Sede, ſeu etiam pro tempore exiſtentibus Magiſtris, & Adminiſtratoribus a generali Conſilio, Capitulo, & Conventu Hoſpitalis hujusmodi pro tempore emanatis, ſeu emanandis comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt toties in validiſſimum & priſtinum, & eum in quo antequam emanarunt quomodolibet erant ſtatum, reſtituta, repoſita & plenarie reintegrata ac etiam ſub Data per quoscunque intereſse habentes eligenda de novo conceſsa validaque & efficacia fore, & eſse ac vim validi, efficacis, & oneroſi contractus inter Religionem, & Hoſpitale, ac Magiſtrum, Capitulum, & Conventum ex una, nec non Seminarium hujusmodi ex altera partibus, rite, & recte uniti, & ſtipulati, ac etiam utriusque jurati habere, & obtinere, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri, & partibus ipſis perpetuo ſuffragari in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi conſiſtorialiter, & de Fratrum noſtrorum conſilio unanimi conſenſu ac totius Capituli generalis, & Conventus Hoſpitalis hujusmodi conſenſu, debitis tractatibus ſolemnitatibus & aliis ad id requiſitis plene ſervatis, & adhibitis, emanaſsent

ſicque

ſicque & non aliter, per quoſcunque Judices, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores & S. R. E. Cardinales ſublata eis & eorum cuilibet quacunque aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & deffiniri debere Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, voluntate, decreto, ac declaratione Prioribus noſtris, primodictique Prioratus fundatione, & erectione, nec non Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis ac Sanctæ memor. Bonifaci Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, ac quibusvis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus dictique Hoſpitalis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Hoſpitali, & ab eo dependentibus, Prioratibus, & membris, nec non Magiſtro, & Conventu prædictis, ac illius fratribus in genere, vel in ſpecie per Sanctæ memor. Joannem XXII. Martinum V. Eugenium IV. Paulum II. Pium etiam II. Innocentium VIII. Alexandrum VI. Julium ſimiliter II. Leonem X. Clementem VII. Paulum IIII. Pium IIII. Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. Gregorium XIIII. & quoſcunque alios Romanos Pontifices, itidem Prædeceſſores noſtros, & nos, ac Sedem prædictam etiam de S. R. E. Cardinalium Conſilio ex cauſis tunc expreſſis, & etiam conſiſtorialiter propoſitis, & diligenter examinatis etiam per modum ſtatuti perpetui, & ordinationis etiam motu pari, ac de ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritationibus, & aliis decretis etiam ſi in eis caveatur expreſſe, quod Prioratus, & alia beneficia dicti Hoſpitalis, tam ex ſui inſtitutione quam ſtabilimentorum diſpoſitione ſupprimi, & ad ſecularitatem reduci, autem in perpetuorum beneficiorum Eccleſiaſticorum... Clericis ſæcularibus conferri, ſeu de illis per alium quam dicti Hoſpitalis Magiſtrum & aliter quam in favorem Fratrum ejusdem Hoſpitalis diſponi quodque Juspatronatus & præſentandi perſonas idoneas, ad Prioratus membra, & alia beneficia, ac locum Hoſpitalis hujusmodi niſi ratione fundationis, aut dotationis ſaltem ad tertiam partem illorum fructuum nullatenus reſervari poſſint, & eo caſu liceat Magiſtro, & Conventui prædictis, ſi dicta eorum beneficia & loca Hoſpitalis hujusmodi a dicto Jurepatronatus liberare voluerint, aut dotantibus bona reſtituere, ſeu illorum præcium perſolvere ac ex tunc Prioratus membra, & beneficia hujusmodi conferre eisdem ſtatutis, ſtabilimentis, privilegiis, & indultis ac in eis contentis quibuscunque etiam vigore clauſulæ implicitæ derogationis ultra quod ſupplicatione vel cædula motus proprii, deſuper ſignata expreſſum fuerit etiam per quaſcunque litteras Apoſtolicas etiam quasvis clauſulas generales, vel ſpeciales derogatoriarum derogatorias efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia decreta, vel quacumque verborum expreſſione in ſe continentia nullatenus derogari nec derogatum cenſeri poſſit niſi illorum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertus ac hujusmodi derogationes conſiſtorialiter, ac de dictorum Cardinalium conſilio, cum expreſſione cauſarum propter quas emanarunt ſtabilimentis privilegiis, & conſuetudinibus prædictis ac deſuper confectis litteris contentarum factæ; ac etiam per trinas litteras eumdem tenorem in ſe continentes tribus diſtinctis vicibus Magiſtro, & Conventui preſcriptis legitime intimatæ & inſinuatæ fuerint, ac tunc demum ipſi Magiſtro, & Conventui ad parendum litteris derogationum hujusmodi, & ſuper illis decretis proceſſibus illorumque executoribus, & ſubſequto-

ribus eorumque mandatis, & monitionibus minime teneantur ſed litterarum hujusmodi exequtionem omnino impedire nec ratione reſiſtentiæ hujusmodi Cenſuris Eccleſiaſticis, per eosdem executores pro tempore latis innodari poſſint & alias in contrarium quomodolibet forſan conceſſis. Quibus omnibus etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum mentio facienda foret illis alias in ſuo robore permanſuris, motu, & ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuscumque aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, ſeu comendis ſibi faciendis de Prioratibus hujusmodi ſpeciales vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ ſedis, vel legatorum ejus litteras impetrarunt etiam ſuper eas ad inhibitionem reſervationem, & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum; Quas quidem litteras, & inde ſequta quæcumque ad primodictum Prioratuum volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequtionem Prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuslibet aliis Privilegiis, & indulgentiis ac litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant per quæ preſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit de verbo ad verbum in noſtris litteris mentio ſpecialis; volumus autem quod Laurentius Patriarcha prædictus infra quinquennium a Data præſentium computandum quinque mille ducatos dictæ monetæ in reparationem dicti Prioratus, illiusque ædium, domorum, & aliorum ædificiorum reſtaurationem de ſuo proprio perſolvere omnino debeat, & teneatur, ac propter unionem annexionem, & incorporationem prædictas eccleſia primodicti Prioratus debitis non fraudetur obſequiis, ſed illius congrue ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, conceſſionis, unionis, annexionis, incorporationis, declarationis, impoſitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere vel auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ 1595. Sexto Idus Octobris Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Breve Clementis Papæ VIII. in quo concedit Veneto Patriarchæ, ut poſſit cenſus efficere, livella, alienationes, & ſimilia, ad hoc ut a Seminario poſſit ſolvi pretium Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis.

1596. 26. Martii.

Clemens Papa VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum in unione per nos noviſſime facta Seminario Puerorum Eccleſiaſticorum in Civitate Venetiarum inſtituto, Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis Ordinis, ſeu Hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum ejusdem Civitatis Venetiarum certo tunc expreſſo modo vacantis inter alia voluerimus, ut Seminarium prædictum intra trium annorum ſpacium Ducatos quatuordecim mille Monetæ Venetæ in ere-

erectionem alterius Prioratus in partibus Germaniæ faciendi, erogandos Magno Magiſtro & Conventui dicti Ordinis, ſeu Hoſpitalis, & interim ducatos ſeptingentos, pro fructibus annuatim ſolvere teneretur. Cumque ad prædictos quatuordecim mille, & alios bis mille ducatos ſimiles, quos pro expeditione Bullarum ſuper dicta unione, ſuplemento trium millium ducatorum pro fructibus decurſis ejuſdem Prioratus dictis Magiſtro Magno, & Conventui, ex ſimili voluntate noſtra ſolutorum Seminarium prædictum ære alieno contracto expoſcunt congerendos, nulla oportunior ratio iniri poſſit, quam vel aliquot annuos cenſus redimibiles, ſuper ejuſdem Prioratus bonis conſtituere, vel aliqua ex eiſdem bonis alienare. Nobis propterea dicti Seminarii Rectorum & gubernatorum nomine fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ejuſdem Seminarii comodo, & utilitati quantum cum Domino poſſumus libenter proſpicientes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per preſentes committimus, & mandamus ut præmiſſis omnibus mature perpenſis, & diligenter conſideratis aliqua bona ſtabilia, ſeu cenſus, vel livella, aut alias proprietates, tam ex preſenti Prioratu quam ex aliis dicto Seminario unitis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus perſonis, in perpetuum pariter vendere, & alienare, ex quibus ſumma ſexdecim millium ducatorum hujuſmodi congeri poſſit, ac ſuper his unum vel plura inſtrumenta cum quibuſvis obligationibus etiam in forma Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Quarentigre aut alii Juris validioris, pro locorum conſuetudine renuntiationibus, clauſulis & decretis in ſimilibus apponi ſolitis, celebrare, & pro emptoris, vel emptorum bonorum hujuſmodi ſecuritate alia etiam ipſius Seminarii bona univerſa ſtabilia, & mobilia in hujuſmodi forma obligare, & hypotecare aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna facere, libere, & licite valeant auctoritate noſtra Apoſtolica licentiam & facultatem concedas. Nos enim emptorem ſeu emptores bonorum prædictorum vigore præſentium cum ſuo decreto alienandorum ad probandum ſeu verificandum, in quos uſus pecuniæ, per eos in eorumdem bonorum emptionem erogatæ converſæ fuerint minime teneri, vel obligatos fore, nec ad id quoque quavis auctoritate cogi vel compelli poſſe; ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ſublata eis, vel eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & deffiniri debere, ac irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, & nihilominus bonorum venditiones, & alienationes hujuſmodi, ſic, ut prefertur faciendas, ſi, & poſtquam factæ fuerint, ex nunc prout ex tunc, & e contra Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque Apoſtolicæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus ac omnes, & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem ſupleamus, non obſtantibus fel. recor. Pauli II. & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Seminarii, & Prioratus predictorum, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Martii 1596. Pontificatus noſtri anno quinto.

A tergo. Venerabili Fratri Laurentio Patriarchæ Venetiarum.

Electio, & Deputatio Dominorum de Otths in Depoſitarios Ducatorum Quatuordecim millium facta a Seminario, & a Procuratore Sereniſſimi Arciducis Auſtriæ.

1596. 25. Septembris.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1596. Indictione IX. die vero Mercurii 25. Menſis Septembris. Cum alias auctoritate Apoſtolica Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis Venetiarum Ordinis Theutonicorum fuerit perpetuo unitus Seminario Patriarchali Venetiarum certis conditionibus tunc expreſſis, prout in litteris Apoſtolicis ſub Data Romæ VI. Idus Octobris 1595. expeditis latius apparet, & inter alias Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa VIII. cum dictis litteris decreverit, ut Rectores Seminarii prædicti infra Triennium perſolvere debeant quatuordecim mille ducatos monetæ Venetæ Ordini, ſive Religioni prædictæ in emptionem tot proprietatum, & bonorum ſtabilium intra fines Germaniæ pro fundatione & dotatione alterius novi Prioratus ejusdem Ordinis, in illis partibus erigendi omnino convertendos, & quod interim penes perſonam, fide, & facultatibus idoneam communi partium conſenſu eligendam realiter deponi deberent, ad effectum prædictum ita ut inde amoveri non poſſint, niſi pro hujusmodi bonorum emptione fuerit pariter diſpoſitum, ut donec perſolvantur quatuordecim millia ducati quotannis Rectores Seminarii prædicti perſolvere debeant 700. ejusdem monetæ.

Propterea ad effectum prædictum Coram me Notario, & Teſtibus infraſcriptis conſtituti Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Petrus Ragno Procurator Sereniſs. Maximiliani Arciducis Auſtriæ tamquam Magni Magiſtri Ordinis Theutonicorum cujus mandatum infra erit regiſtrandum, ex una. Et Clariſs. D. Ioannes Baptiſta Contarenus Gubernator Seminarii Patriarchalis ab Illuſtriſs. D. Laurentio S. R. E. Cardinali Priulo Deputatus ex altera; communi conſenſu, & concordi animo elegerunt, & deputarunt Magnificos D. D. Hyeronimum, & Chriſtophorum de Otths Mercatores Germanos Venetiis comorantes, & eorum quemlibet in ſolidum in Depoſitarios, penes quos actuale Depoſitum ſummæ prædictæ quatuordecim millium ducatorum fieri debeat, una, vel pluribus vicibus, ita ut pecunia ſic depoſitata, a manibus prædictorum D. D. Depoſitariorum amoveri non poſſit, niſi pro emptione bonorum ſtabilium in partibus Germaniæ pro erectione, & dotatione Novi Prioratus facienda. Inſuper ſpeciali pacto partes prædictæ convenerunt, ut ſi integra ſumma quatuordecim millium Ducatorum non fuerit una vice depoſitata & perſoluta pro ea tamen portione qua fuerit factum Depoſitum intelligatur, & ſit diminuta penſio annua ſcutorum 700. ad rationem quinque pro centenario, nec Seminarium prædictum cogi poſſit ad perſolvendam aliquam penſionem pro rata ſummæ Depoſitatæ. Inſuper dictus Illuſtriſs. D. Petrus nomine Procuratorio quo ſupra auctoritate ſubſtituendi ſibi attributa concedit ſpecialem facultatem, & auctoritatem nomine Sereniſs. Arciducis Magni Magiſtri Ordinis Theutonicorum Illuſtr. D. Bernardino de Rubeis Secretario Suæ Cæſareæ Majeſtatis & Magnifico D. Julio de Parr in ſolidum qui depoſito faciendo aſſiſtant & de ſumma eorum conſenſu & aſſiſtentia penes predictos D. D. Depoſitarios depoſitata in forma debita quo ſupra nomine Seminarium prædictum & ejus Rectores, & Gubernatores quietandi, & pro rata & portione quantitatis depoſitatæ penſionem ſeptingentorum

rum

rum ducatorum diminuendi & moderandi & de non petendis paciſcendis in forma debita, neceſſaria, & opportuna, cum obligationibus, & renunciationibus, nec non ſtatutis temporibus integram penſionem 700. ducatorum ſive aliam pro ratam diminutam & moderatam a Rectoribus Seminarii exigendi, & de exactis quietationem faciendi, & liberandi, & pro ut idem Illuſtriſs. D. Petrus in preſentia mei Notarij, & Teſtium infraſcriptorum recepit in tot aureis, & argenteis monetis ducatos 350. debitos ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ proxime decurſum eidem Reverend. D. Joanni Mozzanegæ Vicario Generali nomine Illuſtriſs. Patriarchæ pro Seminario perſolutos, de quibus, tam dictum Seminarium, quam eorum Rectores nomine procuratorio quo ſupra quietavit, & quietat. Rogantes me Notarium hoc preſens publicum conficere inſtrumentum.

Tenor Mandati Procuratorii ſupradicti.

1596. 21. Julii.

NOS Maximilianus Dei gratia Electus Rex Poloniæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carintiæ, Carniolæ ac Urtimbergh, & Generalis Magiſtratus Ordinis Theutonici Adminiſtrator ejusdem per Germaniam, & Italiam Magiſter, & Comes Haſpurg, & Thiroli preſentibus hiſce, manus noſtræ ſubſcriptione, ſigilloque noſtro corroboratis, notum facimus, & atteſtamur; poſteaquam in negocio Prioratus Inclyti Ordinis B. Mariæ Theutonicorum S. Trinitatis Venetiis exiſtentis a Sanctiſſimo D. Summo Pontifice deciſio, & compoſitio facta ſit inter nos, ordinemque noſtrum ab una, & Seminarium Venetum ab altera parte, ut in Inſtrumento celebrato Romæ ſub die 30. Auguſti anno 1595. manu D. Franciſci Belgii Notarii Apoſtolici latius patet; Proinde cum neceſſe ſit, Nos alicui poteſtatem, & facultatem tradere cupientes, qui de hac inveſtitura inſtituenda, pecuniaque acceptanda cum Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Laurentio Cardinali Priulo Patriarcha Venetiarum, aut dicti Seminarii Procuratoribus, agere, & concludere valeat. Honorabilem, Devotum nobis fidelem dilectum ælemoſinarium necnon prothonotarium Apoſtolicum Petrum Ragnum, hac in re pro noſtro Commiſſario, ac Procuratore legitimo elegimus, & conſtituimus, Dantes & tradentes ei prædicta auctoritate noſtra, quam in hac parte ſuper habemus, licentiam facultatem, & auctoritatem agendi, tractandi, & concludendi circa depoſitionem quatuordecim millium Ducatorum, ſeu inveſtituram faciendam, ut in Inſtrumento habetur. Item ut poſſit, & valeat recipere a Procuratoribus Seminarii, vel ab aliis illorum nomine quietantiamque facere ſuper trecentis & triginta ducatis monetæ Venetæ debitis ad feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ proxime decurſum, & ultra, usque ad præfatam ſolutionem quatuordecim millia ducatorum ac ſi ita opus eſſe videbitur, tibi unum vel plures, quos voluerit idoneos cum eadem prorſus, quam illi damus poteſtate & facultate in dicto negocio ſubſtituendi, denique omnia, & ſingula agendi, ac exequendi, quæ in hujusmodi rebus facere poſſunt, & debent, qui omnibus neceſſariis mandatis, & facultatibus ad hujusmodi rem ſuffulti ſunt: Volentes hic omnes clauſulas & omnia puncta haberi pro expreſſe poſitis, quæ ad præſentem rem & hujusmodi actus requiruntur, aut deſiderari poſſunt juxta legum præſcripta, & conſuetudines tam generales, quam particulares cujusque loci, non ſecus ac ſi ea, vel ea, huic paginæ de verbo ad verbum inſerta fuiſſent: Promittens pro nobis, ac ſucceſſoribus noſtris

Ma-

Magnis Magiſtris, quicquid prænominatus Noſter Commiſſarius in dicti Prioratus negocio, & dictæ pecuniæ ſummæ determinatione, ac aſſignatione determinaverit, & concluſerit, aut concluſum aprobaverit: Illud totum, Nos, Ordinem, & noſtros ſucceſſores pro legitime facto, determinato, & concluſo, habituros, & ratificaturos eſſe, nec quicquam adverſus illud unquam oppoſituros. Quæ omnia ſupradicta noluimus, omni meliori modo, forma, & via, quibus melius fieri poteſt, de jure vel de conſuetudine ſcripta & acta eſſe. In quorum omnium fidem, ac robur majus, has propria manu ſubſcripſimus, ſigillique noſtri appenſione corroborari juſſimus. Maximilianus.

Locus Sigilli.

Ad Mandatum Sereniſs. D. Electi
Joannes Dhirardus &c.

Actum Venetiis in Domo habitationis ſupradicti Magnifici D. Julii de Parr de Confinio S. Mariæ Formoſæ: Præſentibus ad prædicta D. Raphaello Paſcul de Codroi, & D. Luca Martii de Goritia q. D. Marci Antonii. Teſtibus rogatis.

Hyeronimus Luranus Notarius qui ſupra de præmiſſis rogatus, in fidem ſubſcripſit &c.

Quietatio facta Seminario a D. Petro Ragno Procuratore Sereniſſimi Maximiliani de Ducatis 11765. groſſ. 10. ad bonum computum Ducatorum quatuordecim millia debitorum pro Prioratu Sanctiſs. Trinitatis pro totidem exburſatis in officio Cecchæ.

1597. 30. Octobris.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem 1597. Indictione x. Die vero Sabati xi. Menſis Octobris, licet alias ſub die 15. Septembris 1596. in actis mei Notarii Infraſcipti Illuſtr. & admodum R. D. Petrus Ragno Procurator Sereniſs. Maximiliani Archiducis Auſtriæ tamquam Magni Magiſtri Ordinis Theutonicorum ex una, & Clariſs. Joannes Baptiſta Contarenus Gubernator Seminarii Patriarchalis Veneti ab Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Laurentio S.R.E. Cardinali Priuli Patriarcha Venetiarum Deputatus partibus ex altera, elegerint communi conſenſu magnificos D. D. Hieronimum, & Chriſtophorum de Otthis Mercatores Germanos Venetiis degentes in Depoſitarios, penes quos annuale Depoſitum fieret ducatorum quatuordecim milla monetæ Venetæ a Seminario prædicto ex diſpoſitione Apoſtolica propter unionem Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis Venet. perſolvendorum ordini antedicto Theutonicorum pro emptione tot bonorum ſtabilium in partibus Germaniæ pro erectione, & dotatione alterius novi Prioratus facienda, nihilominus, cum communi dictarum partium conſenſu dignis de cauſis, eorum animum moventibus fuerit in publico ærario Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ vulgariter nuncupato *la Cecca* per prædictum Clariſs. D. Joannem Baptiſtam Contarenum nomine prædicti Seminarii factum Depoſitum actuale cecchinorum aureorum 4665. & monetæ

netæ argenteæ juſti ponderis ducatorum 3761. groſſ. 15. ex venditione bonorum Seminarii prædicti facta D. Joanni Muranæ exactorum, quæ omnis monetarum ſumma juxta communem valorem, nunc currentem, nempe ad rationem librarum x. ſolidos 12. pro quolibet cecchino, cum augmento monetæ ad rationem groſſorum 18. pro centenario aſcendit ad ducatos 11765. groſſos x. prout de actuali Depoſito partes prædictæ conſtare dixerunt in partita ipſius cecchæ hinc inferius regiſtrata, propterea idem Illuſtriſs. & admodum R. D. Petrus Ragno procuratorio nomine quo ſupra perſonaliter conſtitutus coram me Notario & Teſtibus infraſcriptis de ſumma prædicta ducatorum 11765. groſſorum x. ad bonum computum ducatorum 14000. depoſitatorum pro ſumma prædicta liberavit, & liberat, ac Rev. D. Joanne Mozanega Vicario Generali prælibati Illuſtriſs. Card. preſente, & acceptante, mihique Notario publico uti publicæ, & autentichæ perſonæ promiſit, & promittit quod Seminarium prædictum ullo unquam tempore de ſumma prædicta ſic depoſitata, judicialiter, vel extra judicialiter moleſtabitur, quinimo, ſolemni ſtipulatione præmiſſa pactum de ulterius non petendo ſummam predictam nomine procuratorio dicti Sereniſs. Magni Magiſtri, totiuſque Ordinis Theutonicorum fecit, & facit ac expreſſe & ſpecifice paciſcitur cum renuntiationibus, & obligationibus quibuſcumque etiam extrictiori forma Cameræ Apoſtolicæ apponendi, & quandocumque extendendi, propterea idem Illuſtriſs. D. Petrus auctoritate qua ſupra, pro pecuniis, ſic depoſitatis, & juxta comunem, & nunc currentem valorem redactis ex communi conſenſu ad ducatos 11765. groſſos x. diminuit penſionem 700. ducatorum quotannis per Seminarium perſolvendorum ad rationem quinque pro centenario eamdemque penſionem reductam ad Ducatos 111. groſſos 6. quotannis juxta litteras Apoſtolicas in duabus ratis perſolvendi donec reſiduum integræ quantitatis 14000. ducatorum fuerit perſolutum, vel actualiter in ærario prædicto Sereniſs. Reipublicæ Venetæ juxta formam alterius partitæ depoſitatum quam preſentem quietationem, & omnia in prædicto Inſtrumento contenta, præfatus Illuſtriſs. Domin. Petrus quo ſupra nomine promiſit habere firmam, ratam, & gratam eique nullo unquam tempore contravenire aliqua ratione vel cauſa, ſub obligatione omnium bonorum nomine quo intervenit præſentium & futurorum ſuper quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis rogatus fui.

Ego Notarius hoc preſens publicum conficere inſtrumentum.

Cle-

Clemens VIII. Laurentio Priolo Patriarchæ Venetiarum electo Cardinali indulget, ut ſummam quinque millium ſcutorum, quam in reſtauratione Seminarii impendere tenebatur infra quinquennium, quandocumque ipſi commodum fuerit, impendat.

1599. 21. Maii.

Ex Cataſtico Seminarii Veneti Patriarchalis.

Clemens Papa VIII.

Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Circumſpectionis tuæ in nos, & Apoſtolicam Sedem meritis inducimur, ut illa tibi libenter concedamus, quæ tuis comoditatibus fore conſpicimus opportuna. Alias ſiquidem cum nos in Prioratu Sanctiſſimæ Trinitatis Venetiarum olim Oſpitalis Hieroſolymitani Sanctæ Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ, tunc certo modo vacante, ac in illius Eccleſia, domibus, ædificiis, & pertinentiis quibuscumque ordinem ſtatum eſſentiam, & dependentiam regulares ejusdem Oſpitalis illius Magiſtri & Conventus accedente conſenſu Apoſtolica auctoritate perpetuo ſuppreſſiſſemus, & & extinxiſſemus ipſum Prioratum, ac ejus Eccleſiam, ædes, & ædificia cum illius prœdiis poſſeſſionibus Terris, proprietatibus, juribus, actionibus cæteriſque bonis quibuscumque Seminario Puerorum Eccleſiaſtico in Civitate Venetiarum, pro Decretorum Concilii Tridentini exequtione pridem electo, & inſtituto perpetuo conceſſiſſemus, univiſſemus, & incorporaviſſemus, voluimus inter cætera, quod tu tunc nondum ad Cardinalatus dignitatem aſſumptus, ſed tamen Eccleſiæ Patriarchalis Præſul infra quinquennium a Data litterarum, tunc ſuper præmiſſis confectarum computandi quinque millia Ducatos monetæ Venetiarum in reparationem dicti Prioratus illiusque ædium domorum, & aliorum ædificiorum reſtaurationem ſuo proprio omnino perſolvere deberes, & tenereris, ac alias prout in litteris noſtris Apoſtolicis deſuper ſub Data VI. Idus Octobris Pontificatus noſtri anno quarto expeditis, latius continetur. Cum autem ſicut nobis nuper ſignificaſti, tibi qui poſtea ad Cardinalatus ſublimitatem evectus fuiſti pro ratione Dignitatis hujusmodi majora quam antea expenſarum onera, atque ordinarii redditus ſupportandi ſint ac preterea in reſtaurationem Eccleſiæ, & Palatii Patriarchalis ingentes impenſas exponere cogaris; Et propterea non ſolum prædictam ſummam Ducatorum quinque millium in reſtaurationem Prioratus illiusque ædium, domorum, & ædificiorum juxta voluntatem noſtram prædictam exponere adhuc non potueris, nec infra ſpatium dicti quinquennii cujus finis prope eſt, exponere poſſe ſperes, quinimo gravi ære alieno gravatus reperiaris & quia ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat ſeminarium prædictum, ex retardatione reſtaurationis Prioratus, & ad vim prædictarum nullum patiuntur incommodum, aut detrimentum, cum illius Rectores, & alumni in Domibus cujusdam monaſterii per ſe obtenti in oppido Muriani comode habitent, & ex domibus dicti Prioratus, in quibus hujusmodi reſtauratio facienda eſſet, pro annuo affictu ſumma ducatorum circiter ducentorum auri de camera perficiant, ex qua quasdam penſiones ab eodem Seminario perſolvendas perſolvunt. Tu propterea cuperes tempus

quin-

quinque annorum tibi ad hujuſmodi reſtaurationem dictorum Prioratus, & ædium faciendam præfixum ad aliquod tempus prorogari, ac alias tibi ut infra per nos benigne indulgeri. Et ideo nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur circumſpectionis ſuæ commodis quantum in Domino poſſumus benigne proſpicere, atque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ac litterarum predictarum tenore preſentibus pro expreſſo habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati. Tibi ut ſummam quinque millium Ducatorum prædictam in prioratus, & ædium prædictarum reſtauratione infra terminum dicti quinquennii nondum elapſum exponere non tenearis, nec ad id a quocumque quavis auctoritate invitus cogi, vel compelli poſſis ſed quandocumque tibi commodum fuerit, id exequtioni demandare valeas auctoritate Apoſtolica tenore preſentium concedimus & indulgemus. Et nihilominus ſi antequam hujuſmodi inſtaurationem facias ut in ea ſummam prædictam exponas & ab humanis decedere contigerit niſi tu heredibus tuis id expreſſe mandaveris, ipſos heredes ad hujuſmodi inſtaurationem faciendam & ſummam prædictam quinque millium ſcutorum in eam erogandam minime teneri, nec obligatos fore declaramus, ſed te quatenus præmiſſa nullo tempore commode adimplere potueris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ac ipſos heredes tuos, niſi tu illis hoc onus reliqueris ab hujuſmodi ſolutione facienda ex nunc gratioſe abſolvimus & liberamus. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos & cauſarum Palatii Apoſtolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus promiſſis, & quibusvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac ejuſdem Seminarii, & juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus etiam ut in eventum quod tu vivens prædictos quinque mille Ducatos in reſtaurationem ædium ſupraſcriptarum non expoſueris, aut heredibus tuis id non injunxeris tui in predicto Patriarchatu Venetiarum Succeſſores eoſdem quinque mille Ducatos de eorum propriis redditibus in reſtaurationem hujuſmodi juxta priorem voluntatem noſtram erogare omnino teneantur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Maii 1599. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Marcus Veſtrius Barb.

IN Chriſti nomine amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſſimo ſexcenteſimo Indictione XIII. Die vero Lunæ vigeſimo Menſis Martii. Cum alias Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis de Venetiis Ordinis Theutonici fuerit auctoritate Apoſtolica unitus Seminario Patriarchali Venetiarum cum omnibus membris juribus, & privilegiis, & prout latius in litteris Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ VIII. ſub plumbo eſpedictis die ... 1596. cumque tam vigore litterarum prædictarum, quam etiam conventionis initæ inter procuratores Sereniſs. Maximiliani Archiducis Auſtriæ Magni Magiſtri ordinis antedicti equitum Theutonicorum Pruſſiæ una, & inter procuratorem Reverendiſs. D. Patriarchæ Venetiarum, & Seminarii Patriarchalis ex altera, ſtipulato per D. Franciſcum Belgium Curiæ Romanæ Notarium ſub die 30. Auguſti 1595. ſumma quatuordecim millium ducatorum monetæ Venetæ ſit a Seminario perſolvenda ordini prædicto pro erigendo alio Prioratu ſub Dominio Sereniſs. Archiducum Auſtriæ. Verum quia ex dictis litteris appoſtolicis conſenſus etiam conventus generalis dictæ militiæ expreſſe requirebatur ſuper præmiſſis, nec hactenus idem conſenſus haberi potuerit cum

cum vere conventum non habeat, & difficilimum ſit omnes dictæ millitiæ equites ſimul ad id congregare; propterea nunc fuit hucusque eidem ordini debite ſatisfactum, ſed ad ejus favorem jam fuit factum depoſitum ducatorum undecim millium ſexingentorum ſexaginta quinque groſſos 10. in officio Cechæ Sereniſs. D. Venet. nunc vero cum ad inſtantiam Sereniſs. Maximiliani magni Magiſtri Sanctiſſimus D. Noſter per ejus litteras in forma brevis ſub anulo piſcatoris expeditas ſub Datum Tuſculi Die 23. Octobris 1599. expreſſe derogaverit conditioni prædictæ conſenſus conventus generalis & in ejus locum conſenſum Sereniſs. Magni Magiſtri & Millitum Provinciæ Auſtriæ ſufficere declaraverit & pecunias depoſitatas ad effectum illas convertendi in emptionem bonorum ſtabilium pro novo prioratu ut ſupra erigendo cum conſenſu prædictorum Sereniſs. Magni Magiſtri, & equitum Auſtriæ & levare decreverit & prout latius in eis. Cumque pro præmiſſorum debita executione Venetias ſe transtulerit Illuſtr. & admodum R. D. Antonius de Ortono eques Ordinis prædicti & comendator Friſiaci Cariciæ, & præſentaverit primum literas patentes Sereniſs. Archiducis Maximiliani magni Magiſtri, nec non locum tenentis Balliæ Auſtriæ & aliorum Millitum integrum conventum, & congregationem Balliæ ſive provinciæ ejuſdem ordinis conſtituentium ſubſcriptas manu & firmatas ſigillo ejuſdem Sereniſs. Maximiliani ac ſubſcriptas pariter per octo alios milites cum eorumdem ſigillis pendentibus, & expeditas in bergomeno ſub datum Neoſtadii die prima Auguſti 1598. per quas unionem ut ſupra Seminario factam de Prioratu Sanctiſſimæ Trinitatis approbant, laudant, & ratificant, & confirmant in omnibus juxta conventionem factam ſub rogitu prædicti Franciſci Belgii nec non alias litteras antedicti Sereniſs. Magni Magiſtri, & conventus Auſtriæ ſubſcriptas, & ſigillatas ut ſupra in carta bombicena ſub eadem Die prima Auguſti 1598. Neoſtadii expeditas quibus unanimiter conſtituunt verum certum & legitimum procuratorem Illuſtr. & admodum Rev. Dom. Marquardum libero Baronem ab Ech, & Nungertpach comendatorem Labaſcentem & balliæ Auſtriæ locum tenentem ad exigendum ſummam prædictam quatuordecim millium Ducatorum, & de exactis quietandum, & alia neceſſaria faciendum cum facultate etiam ſubſtituendi alterum cum eadem poteſtate nec non alias litteras patentes ſub rogationis factæ per antedictum Illuſtr. & R. D. Marquardum procuratorem in perſonam prædicti Illuſtr. & R. D. Antonii ab Ortono preſentantis cum clauſulis neceſſariis & opportunis pro legitima ſubrogatione & cum eadem poteſtate eidem D. procuratori principali a Sereniſs. Magno Magiſtro & conventu Baliæ Auſtriæ conceſſa ſub rogitu Creulkeri Notarii Imperialis Cameræ Spirenſis Mergenthemii die 15. Februarii 1600. ſtipulatas cum legalitate, & recognitione Illuſt. DD. Cancellarii & Conſiliariorum Sereniſs. Archiducis Magni Magiſtri & ſigillo ejuſdem roboratas quæ ſane omnia jura per me Notarium fuerunt viſa, & lecta, & in fine preſentis inſtrumenti erunt regiſtranda, & penes R. R. D. D. Gubernatores Seminarii antedicti originalia erunt ad futuram rei memoriam & ad omnem bonum finem conſervanda. Volens itaque R. D. Presb. Cæſar Forana Collegiatæ & Parochialis Eccleſiæ S. Marinæ Plebanus, & Gubernator Seminarii Patriarchalis tam pro ſe, quam pro aliis DD. Gubernatoribus pro quibus de ratho in forma promiſit ſatisfacere antedicto Ill. ordini Theutonico de Ducatis 14000. Venetorum ut ſupra debitis, & Seminarium antedictum a debito & interuſurio liberare ceſſit primo & conceſſit Abbatiæ Theutonicæ & Ill. ducatos 11765. groſſos 2. aliàs in officio Cechæ Sereniſs. Dominii Venetiarum depoſitatos ſub die 21. Octobris 1597. & de quibus facta fuit tunc quietatio in forma debita per Illuſtrem & R. D. Petrum Ragno protonotarium Apoſtolicum & Sereniſs. Maximiliani Archi-

chi-

[illegible] & Magni Magiſtri Ordinis Theutonici elemoſinarium procuratorem ad id ſpecialiter deputatum ſub rogitu q. D. Hieronimi Lurani Not. publici Venetiarum ſub Die .... nec non ceſſit & conſignavit alios Ducatos 300. alias ad favorem Seminarii per Clariſs. D. Petrum Raimundi depoſitatos in eodem officio Cechæ ſub die 28. Januarii 1598. per magnificum D. Bartholomeum Bontepello a Calice nuncupatum mercatorem Venetiarum a prædicto D. Antonio procuratore ſubſtituto in depoſitarium nominatum ellevandos periculo ipſius procuratoris, & ordinis antedicti abſque aliquo Seminarii damno libere prout ad omnem ipſius D. Bartholomei beneplacitum elevari & in ipſo officio Cechæ conſenſu elevan[illegible] preſtare ſe obtulit dictis nominibus reſiduum pariter dictæ ſommæ ducatorum 14000. quod ducatorum 1934. groſſos 14. predicti D. Gubernatores realiter & actualiter depoſitarunt penes eumdem D. Bartholomeum depoſitarium ſub modis & formis antedictis de pecuniis nomine Seminarii acceptis ad effectum prædictum a quodam benevolo poſtea ſatisfaciendo ex diſtratione bonorum Seminarii facienda juxta alias litteras in forma Brevis a Sanctiſſimo Domino Noſtro conceſſas, qui magnificus D. Bartholomeus Bontepellus ut ſupra depoſitarius ellectus in meis actis Not. ſub die preſenti confeſſus eſt habere & tenere penes ſe pro vero reali & actuali depoſito ducatos 2234. groſſos 14. in tot monetis aureis & argenteis juſti ponderis juxta communem valorem partim ex officio Cechæ per eum ellevatum, & partim a DD. Gubernatoribus numeratos ad quas pecunias ſolvendas & abſque ulla exceptione exburſandas ad omne beneplacitum antedicti Dom. Antonii ab orton procuratoris ſubſtituti, ſive alterius legitimæ perſonæ pro prædicto ordine militiæ Theutonicæ intervenientis obligavit ſe ipſum & ejus bona [illegible] in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ [illegible] ac jurans &c. conſentiendo &c. juxta morem Romanæ Curiæ extendendum ita tamen ut ante ſolutionem, & exburſationem prædictam accedat conſenſus RR. DD. Gubernatorum Seminarii antedicti, & non aliter nec alio modo. Poſtquam Illuſt. D. Antonius ab orton procurator ſubſtitutus ut ſupra nomine Sereniſs. Magni Magiſtri & conſenſus Baliæ Auſtriæ Ordinis Theutonici loco conventus generalis auctoritate S. D. N. ſubrogati de omni, & integra ſumma ducatorum 14000. eidem ordini occaſione unionis Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis factæ per Seminarium debita ut ſupra in officio Cechæ & in manibus Bartholomei Bontempelli depoſitata fecit finem & perpetuam quietationem Seminario Patriarchali & eidem gubernatori preſenti, & pro eo acceptanti, & Solemniter & expreſſe quietavit & quietat ac ab omni, & quacumque obligatione tam ex conventione Romæ inita, & ex litteris Apoſtolicis ſive alias quomodolibet prædictum vel alia quacumque occaſione proveniente Seminarium liberavit & liberat ſub quovis protextu, vel quæſito colore ſuper Prioratu antedicto unito vel pro ſumma ducatorum 14000. militia Theutonica ſive habentes cauſam ab ea moleſtare vel inquietare Seminarium prefactum ſpecifice & ſtricte promittit ſeque ac procuratorem principalem ac Sereniſs. Magnum Magiſtrum conventumque Baliæ Auſtriæ conſtituentes & omnem ordinem Theutonicorum ejuſque bona ubilibet exiſtentia in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ obligat quinimo quaſcumque moleſtias occaſione prædictorum forſan inferendas in ſe ſuſcipere & Seminarium antedictum propriis expenſis defendere, & manutenere ſub eadem forma promittit & obligat, & de pecuniis ut ſupra depoſitatis & ſolutis ordinem prædictum ſatisfactum fuiſſe de omni & quocumque debito per Seminarium antedictum contracto pactumque de ulterius non petendo ſoli interponit omneſque clauſulas, & renunciationes in ſimilibus quietationis abſolutionis, & liberationis contratibus appoſuit conſuetas pro appoſitis ad favorem Seminarii eſſe voluit. Preterea factis com-

I 2. putis.

putis de ſuis interuſuriis ſive penſionibus juxta bullas apoſtolicas perſolvendis cum Seminarium antedictum remaneat ſub debito ducatorum 130 ſupraſcriptus D. Gubernator actualiter pro integra ſatisfactione, & reſiduum promiſit eidem D. Petro Ragno procuratori ut ſupra ſive alio legitimo intervenienti perſolvere per totum menſem Aprilis venturum de bonis Seminarii, pro quibus dictus D. Petrus una cum antedicto D. Antonio nunc pro eo ut ex tunc Seminarium in forma debita quietarunt, & de omnibus etiam interuſuriis ſive penſionibus perpetuam quietationem fecerunt declarando etiam omnes proviſiones prodia ſive interuſuria ex nunc ceſſare, nec quicquam petere vel pretendere in futurum. Promittentes ſupradicta firmiter attendere, & obligantes ſe; Ideo cum omnibus bonis nominibus quibus interveniunt preſentibus & futuris, denique, cum ſumma ducatorum 14000. ſit juxta litteras appoſtolicas in emptionem bonorum ſtabilium, in Dominio Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ erroganda pro religione Theutonica pro majori Seminarii cautione idem Illuſtr. & R. D. Antonius procurator ut ſupra ſubſtitutus ſpecialiter & expreſſe promiſit & obligat non ellevare ab officio Cechæ, nec è manibus magnifici D. Bartholomei depoſitarii pecunias prædictas niſi ad effectum unico conteſtu convertendi in emptionem bonorum ſtabilium ut ſupra, & ante ellevationem prædictam conſignare RR. DD. Gubernatoribus Seminarii alias patentes litteras Sereniſs. Archiducis Magni Magiſtri, & conventus Baliæ Auſtriæ ſuper errogatione dictorum Ducatorum 14000. in emptionem bonorum ſtabilium cum ſpecifica expreſſione eorumdem bonorum prioratus novi errigendi, ac aliis debite exprimendis ſuper quibus omnibus & eorum ſingulis omnes antedicti, & eorum ſinguli promiſerunt obſervare, & ideo obligaverunt omnia bona ſua dictis nominibus preſentia, & futura. Rogantes me Notarium ut hoc preſens conficerem inſtrumentum.

Actum Venetiis in domo habitationis Illuſtr. & Reverendiſs. D. Matthei tunc Patriarchæ Venetiarum de confinio S. Pauli preſentibus ad prædicta admodum Rev. D. Joanne Muzaega Protonotario Apoſtolico & D. Jo: Jacobo de capo q. D. Emilii teſtibus rogatis.

Sequitur tenor ſupradictarum litterarum, & patentium.

CLEMENS PAPA VIII.

AD futuram rei memoriam cum nos alias Prioratum Sanctiſſimæ Trinitatis Venetiarum olim ordinis militiæ Beatæ Mariæ Theutonicorum ſuppreſo ibidem ordine, & eſſentia regulari dictæ millitiæ Seminario Puerorum Eccleſiaſtico in eadem Civitate inſtituto perpetuo univerimus, ac inter alia voluerimus, & ordinaverimus ut juxta quamdam conventionem inter procuratores dilecti filii nobilis viri Maximiliani Archiducis Auſtriæ, præfatæ militiæ Magni Magiſtri & Procuratores dicti Seminarii initam a Rectoribus dicti Seminarii intra terminum [illegible] annorum quædam pecuniarum ſumma in compenſatione bonorum dicti Prioratus perſolveretur, & ea ſumma in loco tuto ejuſdem Civitatis Venetiarum deponeretur ad effectum illam in emptionem aliquorum bonorum ſtabilium inſolidis, temporali Dominio Archiducum Auſtriæ ſubjectis, [illegible] atque ibidem alium Prioratum pro dicta Militia erigendi, nec ex dicto loco depoſiti niſi pro ſimili emptione, & erectione faciendis, & cum conſenſu Magni Magiſtri, & conventus dictæ Militiæ amo- [illegible]

fieri poſſet, ac alias prout in noſtris deſuper expeditis litteris plenius continetur. Cum autem ſicut nuper accepimus militia prædicta Beatæ Mariæ Theutonicorum conventum non habet & difficillimum ſit ſimul milites magnæ Crucis ejuſdem militiæ ad hunc effectum congregare interim verò pecuniæ præſcriptæ depoſitatæ reperiantur ſine aliquo fructu, nec ſtante decreto noſtro predicto inde amoveri poſſint, licet occaſio illas inveſtiendi facile ſe ſe offerre poſſet. Propterea pro parte dicti Maximiliani Magni Magiſtri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune provider de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur litterarum noſtrarum preſcriptarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, ac dictæ militiæ indemnitati conſulere volentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati harum ſerie decernimus, volumus, & ordinamus ut pecuniæ ſic ut prædicitur depoſitatæ cum conſenſu dicti Magni Magiſtri, & Militum Provinciæ Auſtriæ dictæ Militiæ loco conventus ſupraſcripti, quem ad hoc ſufficere declaramus, ad effectum tamen illas in emptionem bonorum ſtabilium pro novo hujuſmodi Prioratu erigendo in locis dicti Dominii unico contextu convertendi & non alias recipi poſſint, & ſuper hoc opportunam tam procuratoribus dicti Magni Magiſtri, quam rectoribus dicti Seminarii licentiam concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die 23. Octob. 1599. Pontificatus noſtri anno octavo.

M. Veſtrius Barbianus.

Nos Maximilianus Dei gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, & Wirtenbergæ, Magni Magiſtratus Theutonici Ordinis in Pruſſia adminiſtrator ejuſdemque per Germaniam, & Italiam Magiſter comes Habſpurgi & Tyrolis etiam. Nec non Marquardus liber Baro de Eck ac Hungerſpach comendator Labacenſis, & locum tenens Baliæ Auſtriæ item Antonius de Orzon Comendator in Freyſach, Franciſcus Formentin Comendator S. Dominicæ, Federicus de Hermenſtain Comendator Medlicenſis, Joannes Franciſcus Herezenkrafft, Joannes Georgius de Baſſey, Martlebius Pettinger, & Gotfridus Schrottembach, omnes Beatæ Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ equites de more ſimul congregati; ac totam congregationem ſeu conventum, aut capitulum Baliæ Auſtriæ repreſentantes. Notum facimus, & atteſtamur præſentibus litteris noſtris quod habita notitia eorum, quæ noſtro inclytique ordinis noſtri nomine ſcitu, aut juſſu inter RR. Franciſcum Oranum Sacri Palatii Rotæ cauſarum auditorem Romæ, Joannem Baptiſtam Bernerium Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Secretarium, & Petrum Ragnum Prothonotarium Apoſtolicum atque noſtri Magni Magiſtri eleemoſinarium tanquam legitimos mandatarios & procuratores noſtros totiuſque ordinis noſtri rite conſtitutos ab una & Rev. Laurentium Prezzatum Referendarium Apoſtolicum ac Illuſt. Reverendiſs. q. D. Laurentii Prioli S. R. E. Cardinalis, & Patriarchæ Venetiarum Seminariique Patriarchalis Veneti Procuratorem ab altera partibus in cauſa, & controverſia Prioratus Sanctiſs. Trinitatis Incliti Ordinis noſtri in Urbe Veneta cum Seminario Patriarchali componenda, & concordanda geſta tractata, acta, & tranſacta & a nobis ſupra memorato Magno Magiſtro noſtri litteris ſigilloque approbata, & confirmata ſunt; Nunc denuo hiſce litteris noſtris ex ſuperabundanti totius ordinis, ac noſtrorum omnium, & ſingulorum nomine, unanimiter approbamus, laudamus, ratificamus, & confirmamus Promitentes pro nobis ſucceſſoribuſque noſtris, nos ea omnia, quæ a ſupraſcriptis noſtris totiuſque ordinis noſtri procuratoribus acta, tractata, & concluſa fuerunt prout in inſtrumento concordiæ deſuper Romæ anno 1595. die xxx. Auguſti celebrato, & manu

Fran-

Franciſci Belgii Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarii conſignato, latius continetur, nunc & perpetuo firma, rata grataque approbata, & confirmata habituros, nec ullis unquam futuris temporibus, quovis jure, aut pretextu reſervato irrita futuros in cujus rei teſtimonium ac majorem corroborationem, Nos ſupra nominatorum ſinguli haſce litteras noſtrarum manuum ſubſcriptione, ſigillorumque appenſione munivimus.

Datum Neoſtadii (a) prima die menſis Auguſti Anno Domini 1598.

Maximilianus.

Locus ſigilli Sereniſſimi Magni Magiſtri.

Locus ſubſcriptionum prædictorum equitum in lingua Theutonica cum ſigillis pendentibus.

Nos Maximilianus Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Carinthiæ, Styriæ, ac Wirtenbergæ, Magni Magiſtratus Theutonici ordinis in Pruſſia Adminiſtrator, ejuſdemque per Germaniam & Italiam Magiſter, Comes Habſpurgi, & Tyrolis &c. notum teſtatumque facimus harum præſentium vigore; Cum poſt factam a Sanctiſſimo D. D. Clemente VIII. Pontifice maximo deciſionem, ac conventionem inter Nos, ordinemque noſtrum S. Mariæ Theutonicorum ab una, & Seminarium Patriarchale Venetum ab altera partibus in cauſa Prioratus S. Trinitatis quondam ordinis noſtri in Urbe Veneta exiſtentis quemadmodum ex Inſtrumento ea de re anno 1595. die xxx. Auguſti Romæ edito & manu Franciſci Belgii Curiæ Romanæ Notarii conſignato latius patet noſtro totiuſque ordinis noſtri nomine Rever. ac nobili noſtro fideli dilecto Marquardo libero Baroni ab Ech & Hungerſpach Comendatori Labacenti & Baliæ Auſtriæ locum tenenti plenariam poteſtatem dederimus ea omnia, quæ ad integram abſolutionem & concluſionem dicti negotii requirebantur atque neceſſe erant, cum ipſo Seminario ejuſve Procuratoribus non ſolum ad exitum perducendi concludendique, ſed etiam ubi res ita poſtularet alios in ſuum locum cum eadem facultate ſubdelegendi, & conſtituendi quod nunc denuo pro majore robore ipſiuſque cauſæ certitudine, una cum R. R. ac devotis nobis fidelibus dilectis Antonio de Orton Comendatore in Ereyſach, Franciſco Formentin Comendatore S. Dominicæ, Friderico de Heſmſtain Comendatore Medlicenſi, Joanne Franciſco Herozenkraffe, Joanne Georgio de Praſſey, Hartebio Pettinger, & Gotofrido Schrottenbach omnibus B. Mariæ Theutonicorum Pruſſiæ equitibus de more ſimul congregatis totamque congregationem ſeu conventum ſive capitulum Baliæ Auſtriæ repreſentantibus eumdem Marquardum ab Ech noſtrorum omnium & ſingulorum totiuſque incliti ordinis noſtri nomine in prædicta cauſa Prioratus mandatarium ſeu legitimum procuratorem ſive commiſſarium vel actorem noſtrum creamus, ordinamus, & conſtituimus concedentes atque tradentes eum plenam ſufficientem, & omnimodam poteſtatem non tantum, quod de ſumma illa quatuordecim millium ducatorum conventa adhuc deponendum, ac perſolvendum reſtat noſtro ordiniſque noſtri nomine accipiendi & de ea quitandi verum etiam quicquid ad finiendam & perſolvendam hanc cauſam reliquum eſt atque inveſtituram faciendam pertinet plenarie, & abſolute agendi, tractandi, perficiendi, & concludendi, & quotieſcumque opus fuerit, alium in ſuum locum cum eadem poteſtate ſubſtituendi. Promittentes pro nobis ſupranominatis omnibus & ſingulis ſucceſſoribuſque noſtris quicquid hic

(a) Plures extant in Germania hujus nominis Urbes, hanc autem eſſe puto, quæ in inferiori Auſtria ſita eſt leucas octo a Vienna diſtans.

procurator noſter vel per ſe, vel legitimum ſubdelegatum ſuum in univerſo hoc Prioratus & pecuniæ negotio egerit ſtatuerit determinaverit approbaverit, concluſerit, & confirmaverit, Nos ordinem ſucceſſoreſque noſtros idipſum, tamquam legitime factum determinatum, concluſum, ratum, gratum & confirmatum perpetuo habituros nec umquam revocaturos eſſe. In cujus rei fidem, ac teſtimonium haſce literas omnes, & ſinguli noſtrarum manuum ſubſcriptione ſigillorumque appenſione munivimus.

Actum Neuſtadii prima die Auguſti Anno 1598.

Maximilianus.

Locus ſigilli Magni Magiſtri.

Locus ſigillorum ſupraſcriptorum equitum ac ſubſcriptionum in lingua Theutonica.

Admodum Rever. & Illuſt. D. Marquardus liber Baro de Oſtch Hungerpach eques magni ordinis Theutonici Pruſſiæ Comendator Labacenſis, & S. Dominicæ & Baliæ Auſtriæ locum tenens &c. Uti legitimus procurator conſtitutus a Sereniſs. Maximiliano Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ Magni magiſtratus Theutonici ordinis in Pruſſia Adminiſtratore, & per Germaniam & Italiam magiſtro Comite Habspurgii & Tyrolis cum interventu & conſenſu admodum Rev. & Illuſt. D.D. equitum dicti Ordinis totam congregationem convocatam, & capitulum Baliæ Auſtriæ repreſentantium ad agendum, procurandum, exequendum, perficiendum, & concludendum ea omnia quæ ad integram abſolutionem, & concluſionem negotii tractati cum Seminario Patriarchali Venetiarum requiruntur & neceſſe erunt in cauſa Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis dicti Ordinis Theutonici in Urbe Venetiarum exiſtentis, ut in inſtrumento ea de re Romæ celebrato anno 1595. die 30. menſis Auguſti in executione deciſionis, & conventionis factæ per Sanctiſſimum DD. Clementem VIII. Pontificem maximum in dicta cauſa manu D. Franciſci Belgii Curiæ Romanæ Notarii cum facultate ſubdelegandi, & ſubſtituendi alios in locum ſuum cum omnimoda poteſtate non ſolum de illa ſumma 14000. ducatorum conventa adhuc deponendum, & perſolvendum reſtat, levandi acceptandi, & quietandi, verum etiam quicquid ad finiendum & abſolvendum dictam cauſam reliquum eſt atque inveſtituram faciendi pertinet, plenarie, & abſolute tractandi & expediendi cum promiſſione habendi firmum ratum & gratum quicquid actum & exequtum fuerit per dictum D. equitem Marquardum & ſubſtituendos ab eo & ut latius patet ex patentibus litteris expeditis Neuſtadii die prima Auguſti Anno 1598. ſubſcriptis manu propria prelibati Sereniſs. Archiducis Maximiliani ac ejus ſigillo ſigillatis nec non per ipſos admodum R.R. & Illuſt. DD. equites ſubſciptis, & ſigillatis ad quos relatio habeatur. Et nequiens majoribus impeditus perſonaliter Venetias ſe conferre ad peragendum ſibi impoſita ut ſupra omni quo potuit meliori modo tam de jure quam de conſuetudine ſubſtituit, & loco ſuo poſuit, & delegavit admodum Rev. & Illuſt. D. Antonium de Orzono equitem dicti Ordinis Theutonici, & Comendatorem Friſaci Carinthiæ abſentem veluti preſentem ad agendum, & procurandum, finiendum & complendum pecunias levandum, quietantiam recepturum & quamcumque finem remiſſionem faciendum & omnia alia & ſingula quæ ipſemet facere poſſit ſi perſonaliter intereſſet etiam ſi talia forent, quæ magis ſpeciale mandatum requirerent, quam præſentibus ſit expreſſum quod pro expreſſo habere voluit promittens mihi infraſcripto Notario uti publicæ perſonæ preſenti, & ſtipulanti vice & nomine quorum intereſt omnia agenda & procuranda per ſupraſcriptum D. procuratorem ſubſtitutum habere firma, rata, ac grata ſub obligatione omnium bonorum dicti

Or-

Ordinis Theutonici præſentium & futurorum. Acta fuerunt hæc Mergenthemii (*a*) xv. Februarii anno a reſtituta ſalute 1600. Indictione Romana 13. Preſentibus infraſcriptis teſtibus habitis, vocatis, & rogatis.

Ego Johannes Chreulzerus Imperiali auctoritate publicus & in Camera Ceſarea Immatriculatus & approbatus Notarius D. Rogatus ſupraſcriptum Inſtrumentum ſubſtitutionis procuratoriis coram teſtibus infraſcriptis fideliter in notam ſumpſi publicavi, & requiſitus in hanc formam redegi, & relevantibus cauſis impeditus per alium fide dignum ingroſſare curavi meque in fidem manu propria præfixo ſigno tabellionatus conſueto ſubſcripſi. &c.

Joannes Creulzerus Notarius qui ſupra manu propria ſubſcripſi.

Quoniam de legalitate Notariorum ob locorum diſtantiam ſepenumero dubitari ſolet. Ideo nos Cancellarius & Cancellarii Sereniſs. noſtri Archiducis Maximiliani & Magni Magiſtri ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum etiam tenore præſentium fidem indubiam Facimus, & ſincere atteſtamur ſupradictum Notarium Joannem Creulzerum legalem publicum, & in Imperiali Camera Spirenſi immatriculatum authenticum bonæ famæ conditionis & opinionis eſſe cujus publicis & authenticis ſcripturis hic & ubique locorum plena adhibeatur fides ac tuto adhiberi poteſt & debet. In quorum fidem hæc manus propriæ ſubſcriptione, & ſigilli Sereniſſimi noſtri Archiducis & Magni Magiſtri impreſſione ex ſpeciali conceſſione corroboravimus.

Datæ ex oppido Sereniſs. noſtri Mergenthemii 15. Februarii Anno 1600.

Ego Leonardus Rithaimerus Sereniſs. Archiducis Maximiliani & Magni Magiſtri & Cancellarius Juris Utriuſque Doctor fateor atteſtor, & confirmo omnia contenta in preſenti hoc meo ſyngrapho.

Locus ſigilli Sereniſs. Magni Magiſtri.

Idem ego fateor & atteſtor Joannes Jacobus Harolt U. J. D. Sereniſs. a Conſiliis ita eſſe manu propria & fateor atque atteſtor.

Idem & ego Georgius Har U. J. D. Sereniſs. Conſiliarius manu propria fateor & atteſtor.

IN Chriſti nomine Amen. Ego Gaſpar de Berthis in Berthis Echg Notarius Imperialis & Cancellarius Illuſtriſs. Comitatus Goritie &c. Notum facio, & ſincere atteſtor quibuscumque præſentes viſuris, & lecturis qualiter admodum Rev. & Illuſt. D. Marquardus liber Baro de Echg & Nungns pacho Eques infraſcripti Ordinis Theutonici Commendator Laybacenſis & Baliæ Auſtriæ locum tenens &c. uti procurator, & legitimus interveniens conſtitutus a Sereniſs. Maximiliano Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Corniolæ, & Witembergæ &c. Magni Magiſtri Theutonici ordinis in Pruſſia Adminiſtratore ejusdemque per Germaniam & Italiam Magiſtro comitto Haſpurghi, & Tyrolis &c. cum interventu, & conſenſu etiam admodum R. Illuſtr. D.D. Equitum dicti Ordinis totam congregationem conventum ſeu capitulum Baliæ Auſtriæ repreſentantium ad agendum, procurandum, ſolicitandum, perficiendum, & complendum ea omnia, quæ ad integram abſolutionem, & concluſionem negotii tractati cum Seminario Patriarchali Venetiarum requirantur, & neceſſe erunt in cauſa Prio-

(*a*) Marientas ſeu Marieſtad Civitas in Provincia Franconiæ ſex milliaribus a Wurtzbourg diſtat inter Konigshofen, & Weickersheim. In ejus oppido reſidet Magnus Magiſter per Germaniam, & Italiam Ordinis Theutonici, qui ſubeſt Magno Magiſtro Pruſſiæ. Vide Topographiam Franconiæ Zegleri, Dictionarium Geographicum D. Le Martinier, Petrum Dusburgium in Chronic. Pruſſiæ, & alios.

Prioratus Sanctiſſimæ Trinitatis olim dicti Ordinis Theutonici in Urbe Venetiarum exiſtentis ut in inſtrumento ea de re anno 1595. die xxx. menſis Auguſti Romæ celebrato in executionem deciſionis, & conventionis factæ per Sanctiſſimum D.D. Clementem VIII. Pontificem maximum in dicta cauſa manu D. Franciſci Belgii Curiæ Romanæ Notarii cum facultate ſubdelegandi, & ſubſtituendi alios in locum ſuum cum omnimoda poteſtate non ſolum de illa ſumma 14000. ducatorum contenta adhuc deponendum & perſolvendum reſtat levandi acceptante, & quietandi verum etiam quiquid ad finiendum, & abſolvendum dictam cauſam reliquum eſt atque inveſtituram faciendum pertinet plenarie & abſolute tractandi, & expediendi cum promiſſione habendi firmum ratumque quicquid actum & executum fuerit per dictum D. Equitem Marquardum & ſubſtituendos ab eo, & ut latius patet ex patentibus literis ſub dato Neuſtadii prima die Auguſti Anno 1598. ſubſcriptis manu propria prælibati Sereniſs. Archiducis Maximiliani, & ejus ſigillo ſigillatis, necnon per ipſos admodum RR. & Illuſt. D.D. Equites ſubſcriptis, & ſigillatis per me Cancellarium viſis & lectis nequiens moribus impeditus perſonaliter Venetias ſe conferre ad peragendum ut ſupra & præcipue ad levandum modo quamdam ſummam denariorum de dictis juribus e manibus Magnifici D. Bartholomei de Calice mercatore Venetiarum, omni quo potuit meliori modo ſubſtituit & loco ſui poſuit mediantibus ſuis litteris manu propria ſubſcriptis & ejus ſigillo ſigillatis directis mihi Cancellario ſub dato Laybaci die 29. menſis Maii nuperime evoluti admodum R.D. Presb. Petrum Ragnum prælibati Sereniſſimi Archiducis Maximiliani Magni Magiſtri &c. elemoſinarium, & Plebanum Cormoni cum omnimoda facultate & auctoritate ellevandi, conſequendi, & exigendi quamcumque ſummam pecuniarum exiſtentem in manibus dicti D. Bartholomei a Calice, vel alterius cujuscumque perſonæ & de elevandis, & exigendis, faciendis, receptandis, quietandis, & quemcumque finem remiſſionem in ampla forma cum ſuis clauſulis neceſſariis & opportunis & preſtandum alia neceſſaria & quæ ipſemet D. Marquardus ſi perſonaliter intereſſet facere poſſet ſecundum ipſis litteris penes me exiſtentibus latius legitur, idcirco pro rei veritate & teſtimonio promiſſorum omnium has propria manu ſcripſi, & ſubſcripſi appoſito ſigno Tabellionatus mei in fidem, & corroborationem præmiſſorum.

Datum Goritiæ die quinta menſis Junii Anno 1600. Indictione 13.

Locus ſigni Notarii.

Gaſpar de Berthis in Berthis Echg Notarius Imperialis, & Cancellarius Illuſt. Comitatus Goritiæ ſubſcripſi manu propria cum ſolito ſigno Tabellionatus.

Nos Sigismundus de Orzon locumtenens Goritiæ ſubſtitutus quibuscumque noſtras præſentes viſuris, & lecturis fidem indubiam facimus & ſincere atteſtamur ſupraſcriptum Clar. D. Gaſparum Bertis a Bertis Echg Archidiaconum Conſiliarium & Cancellarium Illuſt. Comitatus Goritiæ eſſe legalem Notarium bonæ conditionis, & famæ cujus publicis ſcripturis hic, & ubique locorum plena adhibetur, & adhibenda ſit fides. In quorum fidem &c.

Goritiæ die 12. Junii 1600.

Locus Sigilli.

1600. die 28. Junii.
Julius Zambertus Secretarius recognovi.
Dominicus Comerus Notarius Cancellarius.

Maximilianus Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Generalis Militiæ Hieroſolimitanæ Ordinis B. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia Adminiſtrator ac ejusdem per Germaniam & Italiam parteſque Transmarinas Magiſter

Comes Tyrolis &c. Cum nos Anno 1598. Die prima Auguſti in nova Civitate Auſtriæ Rev. ac Nobili Marquardo libero Baroni ab Ecgh & Hungerſpach incliti ordinis noſtri Equiti Sanctæ Mariæ Theutonicorum & ſupremo Comendatori provinciæ Auſtriæ nomine noſtro ac totius Ordinis noſtri auctoritatem dederimus recipiendi, quietandi, & inveſtiendi 14000. Ducatorum monetæ Venetæ depoſitorum per procuratores Seminarii Patriarchalis Venetiarum vigore concordiæ factæ Romæ inter procuratores noſtros ordinisque noſtri & procuratores antedicti Seminarii pro unione Comendæ Sanctiſſimæ Trinitatis ordinis noſtri ſupraſcripti cum Seminario præſcripto ut latius patet in inſtrumento ſub die 3. Auguſti 1595. Romæ ſcripto manu D. Franciſci Belgii nobisque antedictus Marquardus ſignificaverit, ac omnino certos reddiderit de dicta inveſtitura facta ſcilicet 14000. Ducatorum in tot bonis ſtabilibus in loco nuncupato Dabenſtein prope novam civitatem Auſtriæ ſitis a nobili, & ſtrenuo Georgio Grube emptionis titulo aquiſitis, & in utilitatem comendæ S. Eliſabetæ ordinis noſtri in nova civitate Auſtriæ converſis cum inveſtituram ipſam laudavimus approbavimus, ſicuti nunc demo laudamus & approbamus atque inveſtituram dictorum 14000. Ducatorum realiter & eſſentialiter factam eſſe affirmamus in 1000 ſupranominatam in cujus rei teſtimonium preſentes fieri juſſimus noſtro ſigillo munitas & ut ab omnibus ubique fides indubia illis impendatur manu propria ſubſcripſimus, quæ Datæ ſunt ex oppido noſtro Marinchemii 8. Martii anno a reſtituta ſalute 1600.

Maximilianus.

Locus ſigilli ſupraſcripti
Magni Magiſtri.

Nos omnes equites, & comendatores provinciæ Auſtriæ totum capitulum, & conventum repræſentantes affirmamus, & ita eſſe dicimus, & laudamus manu propria ſubſcriptione, & ſigilli noſtri impreſſione hoc ipſum atteſtantes.

Locus ſigillorum equitum ſupraſcriptorum.

Locus ſubſcriptionum ſupradictorum
Equitum in Theutonica.

Veneti Senatus Decreta pro ædificando Templo S. Mariæ de Salute.

M 1630. 22. Ottobre in Pregadi.

CReſce più ſempre la certezza dell' indignatione del Signor Dio, per le noſtre colpe con pruove ben funeſte del male, e ragionevol dubitatione del peggio quando non rimaneſſe ſervita la Maeſtà Sua, di preferire la ſua gran miſericordia, ſubito conſeguito da Noi col mezo di flagelli, quel riconoſcimento che per noſtra ſalvezza vuole in ogni modo ch'abbiamo. Conviene perciò con le più ſincere humiliſſime ſupplicationi implorar l'eſſecutione queſta volta parimente del ſuo clementiſſimo paterno uſo di placar le ſue ire, mentre per publiche dimoſtrationi di riſpetto di divozione, e di pietà ſcorge nel Prencipe e popoli il deſiderio di poter render ſodisfatta la ſua Giuſtitia e di retribuir al ſuo nome divino ogni honore, ogni riverenza, ogni oſſequio, e perchè la memoria del frutto ricevutoſi dalla Republica

Noſtra nell'anno 1576. dell'ultima contaggione col voto di edificar la Chieſa, che ſi dedicò al Redentore, ci porge confidenza ſicura di ricever con atto ſimile di pietà altra ſimile grazia, al preſente col mezzo in particolare della protezione efficace da noi ſempre eſprimentata e ſempre conſervata con ſingolar riverenza ſin dai Natali della Republica partiale della Santiſſima Vergene ſua Madre & Noſtra Signora, come che nel giorno appunto della feliciſſima Annunciatione ſua haveſſe i principj queſta Città Noſtra, che però ſotto gl'auſpicii di lei ſi è conſervata tanti ſecoli ſempre Vergene e nella fede e nel Dominio e ſempre intatta con moſtra della ſuprema autorità di sì felice glorioſa tutela.

L'anderà parte che ad honore di Noſtra Signora ciaſcuno dei quindeci giorni di Sabbato proſſimi ſi faccia dalla Chieſa Noſtra di S. Marco proceſſione divota d'intorno la Piazza con l'intervento del Sereniſſimo Prencipe, del Senato, e della Nobiltà nelle veſti ordinarie, portandoſi l'immagine miracoloſa di eſſa, che nella ſteſſa Chieſa ſi conſerva, con i ſpiriti migliori de' cuori contriti & humiliati porgendoſi calde ſupplicationi per la liberatione della Città e del Stato Noſtro da preſenti mali, & s'accompagni l'oratione con digiuni univerſali in quei medeſimi 15. Sabbati per obligo.

Et il primo Sabbato finita la Proceſſione ſi debba dal Sereniſſimo Prencipe per nome publico far voto ſolenne a S. D. M. di eriger in queſta Città & dedicar una Chieſa alla Vergene Santiſſima, intitolandola *Santa Maria della Salute*, & ch'ogni anno nel giorno, che queſta Città ſarà publicata libera dal preſente male, Sua Serenità, & li Succeſſori ſuoi anderanno ſolennemente col Senato a viſitar la medeſima Chieſa a perpetua memoria della Publica gratitudine di tanto beneficio.

Et da mò ſia preſo, che l'edificazione della detta Chieſa, la qual dovrà fabricarſi in quel luogo, che parerà a queſto Conſiglio, ſiano ſpeſi del danaro publico ſino a 50. mille ducati.

Et ſiano elletti tre honorevoli Nobili Noſtri del Corpo di queſto Conſiglio per ſcrutinio di eſſo, li quali habbino carico di propore il luogo, & il modello per eſſer dal medeſimo Conſiglio approvati; Et di ſopra intender alla fabrica della ſteſſa Chieſa, che dovrà eſſer magnifica, e come conviene a così ſublime & utile Protettrice.

Quanto all'Officiatura d'eſſa dovendoſi deliberar poi quello che ſarà ſtimato conveniente.

1630. a. 23. Novembre in Pregadi.

Per l'incaminamento dovuto della pia deliberazione, e promeſſa di queſto Conſiglio dell' erezion della Chieſa in honore di Noſtra Signora, e per renderſi maggiormente capaci del frutto della ſua benigniſſima interceſſione, tanto neceſſaria nelle anguſtie preſenti, e con tanta confidenza per le paſſate eſperienze atteſa; convien ſenza punto di ritardo riſſolverſi ſopra il ſito della Fabrica d'eſſa Chieſa, onde poſſa dippoi col darſi principio al modello d'eſſa, metterſi fine alle noſtre diſaventure, come giova ſperar francamente, e ſpera il noſtro divotiſſimo Popolo, che per ciò aſpetta con molta pietoſa curioſità li progreſſi del voto; E perchè, come s'è inteſo dalla ſcrittura hora letta dei tre Senatori eletti ſopra queſto negozio, doppo le diligentiſſime reviſioni, e conſiderazioni loro di varj luoghi, antepoſto, e lodato ſingolarmente rimane da loro quello alla Trinità, opportuno per ſito, capace per lo ſpazio, e per ogni requiſito proporcionato al decoro della Fabrica, ed alla publica intenzione, ed eſſendo anco per aſſentirlo prontamente in quanto apartiene agl'intereſſi del Seminario Patriarcale Monſignor

gnor Reverendiſſimo Patriarca con la ſolita pietà, & aggiuſtamento alle Publiche intenzioni, ſalvi, che ſiano, come è del dovere, e dell'uſo della Republica, gl'intereſſi medeſimi del Seminario.

L'anderà Parte, che reſti decretato per autorità di queſto Conſiglio il luogo preſſo la Trinità per l'erezione della Chieſa Votiva di Santa Maria della Salute, ſicchè quivi debba eſſere fabricata, ove è conoſciuto concorrer li maggiori requiſiti, e le minori oppoſizioni per render l'opera qualificata, riguardevole, e degna, come ben ſi conviene.

E quel che tocca agl'intereſſi del Seminario Patriarcale, che oltre l'habitazione in quel ſito, cava ancora annue entrate per ſuo ſoſtentamento acquiſtate con impiego di proprio dinaro, come s'è inteſo, ſia commeſſo ai tre medeſimi Senatori Deputati di negoziar ſopra ciò con Monſignor Reverendiſſimo Patriarca, e concertare con lui della ſodisfazione del Seminario medeſimo, ſicchè riſarcito rimanga, e ricompenſato, come conviene, ne ſuoi intereſſi, o con denaro effettivo, o con aſſegnazione annua, ſecondo che ſarà di ſodisfazione maggiore, da eſſere il tutto portato, & approvato da queſto Conſiglio.

1630. a. 3. di Decembre in Pregadi.

Dalle Scriture ora lette ha inteſo queſto Conſiglio quello, che occorre intorno al ſito della Trinità, ove è deliberato di piantarſi la Chieſa Votiva; e perchè biſogna con ſolecitudine corriſpondente al deſiderio, ed all'intereſſe univerſale ridur le coſe a ſtato di averſi a porre ſpeditamente le mani nell'opera.

L'anderà parte, che ſia commeſſo ai tre Senatori eletti circa la fabrica della Chieſa votata a Noſtra Signora di ritrovarſi novamente con Monſign. Reverendiſs. Patriarca, e che premeſſi dei concetti da loro prudentemente uſati con eſſo della ſua pietà, e della noſtra aſpettazione, che ſia nel caſo preſente per dimoſtrarla con tutta la maggior prontezza, e facilità per il concorſo pieniſſimo della Publica ſodisfazione, gli dicano poi per la fabrica della Chieſa Votiva richiederſi quel ſito alla Trinità, compreſo appunto nelle miſure fattene prender da eſſi, ne' quali non entra già la Chieſa della Santiſſima Trinità, la qual Chieſa rimarrà (come S.S. Reverendiſs. domanda nell'aggiuſtarſi lodevole, e gratiſſimamente alla ceſſione del luogo) e parimente tutto il di più fuor delle miſure non biſognevoli per l'opera, con la ſteſſa dipendenza ſubordinatamente al Seminario, o Patriarcato, che tiene al preſente volerſi a rincontro da noi dar ſodisfazione al Seminario equivalente, e compita dei ſuoi proventi da quel ſito, e ſpacio ſolamente, che ſarà tolto, e ricompenſarlo in oltre per ſua abitazione con li riguardi concernenti all'utile, & al commodo del Seminario medeſimo, da cui doverà amarſi di render ſicura, e permanente quell'entrata, che può eſſere nello ſtato preſente dubia, ed interrotta; concertino appreſſo con S.S. Reverendiſs. della viſione di quei libri, che offeriſce di far vedere, tenuti dall'Economo, ben intendendoſi a tal effetto col Magiſtrato alla Sanità, per oſſervarne nei conti, & affittazione di molti anni quello, che importino di utile al Seminario li fondi, che ſi hanno ad occupare ſeparatamente dall'habitazione, di altrettanto dovendo eſſer bonificato ſenza minimo pregiudizio conforme alla pia intenzione di queſto Conſiglio; e quanto all'habitazione trattino inſieme per convenir in un tanto, che decente ſia per l'affitto dell'altra abitazione; che doverà reſtar a carico di Monſignor Reverendiſſimo di ritrovare, come ſupponemo, che non ſia per eſſergli difficile.

Per

Per la ſodisfazione così del terreno, come di queſto affitto della Caſa repplichino eſſer in ſuo arbitrio volere denaro contanti, o aſſegnazione annua in Cecca da pagare prontamente due rate per tutti i tempi, e prendendo danaro contante dicano, che ſarà con l' abilità deſiderata di poterſi veſtire in altro fondo in queſta Città, o in qualſivoglia luoco dello Stato Noſtro, sicchè aggiuſtato ogni ponto, non rimanga per alcun capo turbata, ne raffredata azione, che con tutta la purità, e calore de' ſpiriti maggiore deve unanimemente trattarſi per render a pieno gradito, e col commune atteſo beneficio il divotiſſimo talento de noſtri cuori in queſta piiſſima, e ſanta eſecuzione.

163$\frac{0}{1}$. a. 2. di Gen. in Pregadi.

Conviene ſenza alcun altro ritardo, aggiuſtato reſtando già il tutto con Monſignor Reverendiſſimo Patriarca, e con quelli della Scola della Santiſſima Trinità dalla virtù delli Senatori Deputati ſopra la fabrica della Chieſa Votiva, per quanto agl' intereſſi del Seminario, e della Scola medeſima appartiene, proceder ormai all' operazione, incomminciando dalla fabrica ſteſſa, per ſodisfar al debito contratto con S. D. M. e con la Santiſſima Vergine, e per corriſpondere inſieme con la dovuta gratitudine al beneficio, che già s' eſperimenta dall' implorata protezione. Però

L' anderà parte, che reſtando approvato l' accordo fattoſi dalli Deputati ſudetti con Monſign. Reverendiſs. Patriarca, ſecondo l' autorità datane loro da queſto Conſiglio, così per il fondo, come per l' affitto della Caſa da abitarſi dai Giovani del Seminario; già ritrovata, con le condizioni appunto dello ſteſſo accordo da eſſer con le Solennità, e formule ordinarie autenticato dai medeſimi; e parimente approvandoſi lo ſtabilimento fatto con quei della Scola della Trinità, di fabricare a ſpeſe Publiche un luoco ſimile in quel ſito per la Scola loro, col nome del Signor Iddio, e della Santiſſima Vergine, debbano li medeſimi tre Deputati far dar principio a ſmantellar le muraglie del luogo, che ſi ha da occupare per la Fabrica, acciocchè col modello, che ſarà decretato da queſto Conſiglio, poſſano quanto prima cavarſi li fondamenti, e porſi la prima pietra in adempimento attuale del Voto, e compiacimento dell' aſpettazione univerſale del Popolo, & ad invito della pienezza della grazia celeſte in occorrenza di tanta importanza, e biſogno &c.

1630. 1. Febraro in Pregadi.

Conviene in corriſpondenza dell' obligo, e dell' affetto publico di vederſi quanto prima adempito il voto nell' erigerſi la deſtenata Chieſa in onore di Noſtra Signora andar ſollecitamente procedendo con paſſi corriſpondenti a quelli, che lodevolmente ſi fanno ben diligenti dai Senatori deputati ſopra eſſa fabrica: ſperſi quell' incaminamento dell' opera, ch'è tanto aſpettato dall' Univerſal deſiderio della Città, e tanto conveniente per retribuir con gratitudine al beneficio, che dal giorno del Decreto ſolo di ſmantellarſi le mura Vecchie del luogo tolto, ſi è andato ricevendo nella diminuzione del male; e perchè la ſollecitudine dei medeſimi Deputati nel far preparare così modelli come Piazza per la Fabrica, promette nello ſpacio di poche ſettimane le coſe ridotte a ſegno di poterſi principiar a porre le fondamente, eſſendo altretanto deſiderabile, quanto proprio, che la funzione di queſto incami-

mi-

mimento ſegue nel giorno della ſolennità dell'Annunziaz. a' 21. di Marzo, in cui appunto hebbe ſotto auſpicii sì glorioſi, e fortunati il principio queſta Città ſteſſa.

L'anderà parte, che il giorno proſſimo dell'Annunciazione Santiſſima ſia & ſi intenda decretato da queſto Conſiglio per quello, in cui debba ſua Serenità ſolennemente condurſi con tutto il Senato ſul luogo a porre la prima pietra della Chieſa votiva, dovendo in queſto ſpazio di quaſi due meſi, eſſer riſoluto il modello, & preparate le coſe tutte all'effetto di queſta funzione, ad effetto, che nella dimoſtrazione del publico ardente deſiderio di ſodisfar all'obligazione contratta quanto più preſto ſarà poſſibile implorare con tutta confidenza dai popoli la pienezza della Celeſte protezione, & conſeguirla con l'adempimento totale del fine del Voto nell'univerſal Salute.

Et perchè è uſato e lodevol coſtume pratticato dall'antichità e continuato ſempre di porſi ſotto li fondamenti di fabriche grandi delle medaglie con memorie & inſcrizioni adequate.

Sia preſo, che debba impiegarſi Ducati doicento in fabrica di monete di tutte le ſorti de metalli con quell'impronto che ſarà approvato dal Conſiglio Noſtro, per eſſer meſſe ſotto la prima pietra conforme all'uſo.

E ſia Scritto a Roma, perchè l'Ambaſciator Noſtro faccia deſtramente tentar il Cavalier Bernin, ſe ſi diſporrebbe a venir quà per iſculpir l'imagine di Noſtra Signora intendendoſi, che ſia egli il miglior huomo di queſta Città in tale profeſſione, doppo la qual riſpoſta ſi prenderà poi intorno a ciò la riſoluzione conveniente.

1656. 29. Decembre in Pregadi.

Dalla virtù e diligenza applicatiſſima dei Deputati ſopra la Fabrica della Chieſa Votiva di Santa Maria della Salute, viene con particolare eſatezza rappreſentato il vero ſtato della medeſima, e ciò che dalla reviſione ben accurata, e diſtinta fattavi, è loro riuſcito ricavare proprio di publica notizia in ordine all'accellerare doppo sì lungo corſo di tempo la total perfezione di così degno e ſontuoſo Edificio.

Rieſce però molto gradito alla pietà del Senato l'aviſo, che reſti la Chieſa medeſima aſſai ben avanzata, finito già il primo ampio vaſo e rivolto preſentemente l'impiego degl'Operarii alla facitura dell'Altare del Glorioſo S. Antonio di Padoa, per l'adempimento, quanto più celere del Voto, che già ſi fece. A queſt'opera pertanto dovranno di continuo li Deputati predetti aver fiſſa la mira per ben ſtabilire conforme il diviſato l'occorrenze tutte neceſſarie onde ſi poſſi per la Feſtività di detto Santo riponer ſopra il medeſimo Altare la Sacra Reliquia, ch'all'effetto ſteſſo ſi conſerva, a maggior ſua venerazione, e per interceder da Dio Benedetto con mezzo di sì efficace interpoſizione, i migliori progreſſi a vantaggio, e ſollevo delle coſe publiche nelle preſenti veſſazioni, e travagli moleſtiſſimi. Ridotta ora a buon ſtato la Fabrica predetta ſuggeriſcono li Deputati medeſimi, per motivo molto proprio anzi per deliberazione neceſſaria ſtabilire meglio ordinata la officiatura di detta Chieſa, non ſolo con la celebrazione delle Meſſe, ma con l'eſſercizio dell'altre funzioni ſpirituali ancora per render con eſſe al Sig. Dio, continue oſſequentiſſime grazie del bene già 26. anni ricevutoſi, e per implorare dalla ſua miſericordia in queſti tempi (ne' quali appunto reſta attorniata la Republica da ſoſpetti, e geloſie graviſſime de nuovi uguali pericoli) replicati favori con la preſervazione dai medeſimi e con la ſua potente validiſſima aſſiſtenza. A queſto riguardo s'aggionge pure il rifleſſo di doverſi ai Religioſi raccomandare la cuſtodia di detta Reliquia, come pure degl'ornamenti così di Pitture, Vaſi

ſacri,

ſacri, Argenti, e molt'altre ricche ſupellettili, erano della Chieſa di S. Spirito deſtinate con Breve del Pontefice a queſta della Salute. Attrovandoſi però li Padri Somaſchi, che con gran zelo verſo il culto del Signor Dio, e divozione alla Republica Noſtra hanno per sì lungo corſo di tempo contribuita indefeſſa pontualiſſima ſervitù a detta Chieſa per puro motivo di Carità; ſia a' medeſimi Padri commeſſo di continuare nell' officiatura predetta con numero proporzionato di Meſſe, come da detti Deputati ſarà aggiuſtatamente concertato, introducendo pure gl' Eſſercizj delle hore Canoniche, e dell' altre funzioni ſpirituali del Coro in particolare con la praticata divozione, & aſſiduità, e ſopraintendendo alla cura, e governo delle Reliquie, & altri adobbi di detta Chieſa; a maggiore decoro della quale doveranno li Procuratori Deputati ſopra le rendite delle Religioni ſupreſſe procurare, che da Monſign. Nuncio ſiano fatte conſignar a detti Padri, con precedenti Inventarii, e ricevute le ſupellettili ſopra eſpreſſe, che devono ſervire per l'officiatura predetta, come pure habbi a ſeguire la ſteſſa conſegna nella forma medeſima de quei ornamenti, che dalla pietà di perſone divote ſono ſtate donate alla B. V. acciò meglio con la debita venerazione, & honorevolezza ſia ſupplito al ſervizio maggiore di S. D.M. alla ſodisfazion dell'obligo, che tiene la Republica, & a conſolazione della Città tutta.

Capitolo contenuto in parte dell' Eccellentiſſimo Senato 1767. 17. Marzo in Pregadi.

Con pietoſi, e zelanti impieghi ſempre invigilano li Deputati ſopra la fabrica della Chieſa della Salute, non ſolo a ben eſeguire i publichi Decreti, ma a riflettere e raccordar quegli eſpedienti che vagliono a far maggiormente riſplendere la gloria, & il decoro del Signor Iddio.

L'Impoſto obligo a' Padri Somaſchi di mantenere per hora 18. Meſſe e 30. Religioſi da Coro, la conſegna fatta loro degl' argenti e ſacre ſupellettili, che erano del Monaſtero di S. Spirito, e di quell'altre fatte dal Publico, l' accomodamento del Coro per eſſercizio delle orazioni ſpirituali, & quello della Chieſa delle coſe neceſſarie, il ſollecitar la fabrica dell' Altar di marmo di S. Antonio, e d'un tabernacolo pur di marmo per cuſtodir ſicuramente la Reliquia del Santo, con altre operazioni fruttuoſe, come ſi è inteſo dala ſcrittura hora letta, ſono tutti effetti che comprobano la loro commendabile applicazione nella carica, che ſoſtengono.

DE

MONASTERIO
S. MARIÆ DE HUMILITATE.

EX Clementis VIII. diplomate, quod ſuperius ad Eccleſiam S. Mariæ de Salute exhibuimus, ſatis aperte conſtat antiquam Sanctæ Mariæ de Humilitate Eccleſiam (cujus & fundationis tempus, & fundatoris nomen ex monumentorum defectu deliteſcunt), ad illuſtrem olim ſpectaſſe Sanctiſſimæ Trinitatis Prioratum, quem equeſtris Theutonicorum Ordo in Urbe Veneta ex Raynerii Zeni Ducis donatione poſſidebat. Hujuſce Prioratus Commenda, cum ex Sedis Apoſtolicæ conceſſione Andreæ Lipomano Patritio Veneto tradita fuiſſet, vir piiſſimus pro ea, qua Divum Ignatium Fundatorem Societatis Jeſu proſequebatur reverentia, *terrenum, & ſitum cum Eccleſia Humilitatis, & aliis ædificiis inibi conſtructis* de jure ejusdem Prioratus, ſeu Hoſpitalis Theutonicorum Societati Jeſu pro Collegio ibidem fundando perpetuo addixit, religioſam cujus oblationem Apoſtolicis litteris Pius Papa IV. approbavit, ipſumque locum (translatis ipſius redditibus ad Patavinum Collegium) in Domum Profeſſam ejusdem Societatis erexit. Hæc ex ſupralau-

dati

dati Clementis VIII. Bulla enuntiantur, quam Tuſculi dedit anno Incarnationis Dominicæ MDVC. die XIII. Novembris. Sanctiſſimum Virum Venetias anno MDXXIII. prima vice appuliſſe, ut ex ea urbe in Paleſtinam trajiceret, tum Joannes Petrus Maffejus in ejuſdem Divi vita, tum alii Societatis Jeſu ſcriptores enarrant, quos inter Nicolaus Orlandinus Hiſt. Societ. Jeſu Par. I. lib. I. num. 35. hæc affert: " Dum Venetiis Ignatius emendicato victitat, inque Sancti Marci foro pernoctat, e prima nobilitate Senator Marcus Antonius Triviſanus, (*poſtea Dux*) vocem audit increpantem. Ergone tu in lecto molli quieſcas, & famulus meus noctem ſub dio traducat? Quam continuo ad vocem Vir Clariſſimus ſurgens, eo qui vocarat regente veſtigia, in Ignatium incidit, & hunc interpretans eſſe, quem audita vox commendaſſet, domum deductum hoſpitaliter habet.

Ex Jeroſolimitana deinde peregrinatione redux Venetias ſecundo advenit anno ſequenti MDXXIV. qua ex Urbe Hiſpaniam verſus iter arripuit. Tertia denique vice Venetias venit, ubi dum ſibi adſcitos ſocios è Gallia expectat preclara Chriſtianæ pietatis opera ibidem tanto animi fervore cœpit exercere, ut complures etiam præcipuæ nobilitatis viros a ſeculi pompis, vitiisque abſtractos ad contemptum mortalium rerum, & conſtans virtutum exercitium adduxerit. Hæc ſancti viri ſtudia ægre ferentes nonnulli iniquitatis filii Ignatium tota urbe vulgarunt, tum in Hiſpania, tum in Gallia hæreticæ labis damnatum, vix fuga ſtatutas ſibi pœnas evaſiſſe. Hæc in ſe conficta crimina, cum accepiſſet Ignatius, ad Legati Apoſtolici (erat is Hieronymus Verallus poſtea S.R.E. Card.) aures perveniſſe, Chriſti cauſam in hoc agi arbitratus, ad ipſiusmet Legati fidem confugit, qui præhabita diligenti criminum quæſtione Ignatium nedum abſolvit, ſed & ampliſſimis laudibus cumulavit. Poſt hæc religioſorum ſociorum agmen anno MDXXXVII. die XI. Januarii ſuperatis longi itineris difficultatibus periculiſque Venetias ad Ignatium ſoſpes acceſſit. Ibi, dum hyemis rigor deſæviret, commorantes, Ignatius, ne fervor ſpiritus ex quietis otio tepeſceret, in duobus Urbis noſocomiis ad ægrotorum ſervitutem aſſignavit.

Iis in locis cum præclara edidiſſent Chriſtianæ charitatis exempla, vere ineunte, omnes, præter Ignatium Romam diſceſ-

ceſſere, ut a Paulo III. jus ad Sacerdotium titulo voluntariæ paupertatis & Hieroſolymitanæ Provinciæ miſſionem impetrarent. Voti compotes facti Venetias ad Ignatium redierunt, nec multo poſt cum prius ad ſuperius laudati Hieronymi Veralli Legati Apoſtolici pedes ſolemnia perpetuæ paupertatis, & caſtimoniæ vota emiſiſſent die XXIV. Junii natalitio Præcurſoris ſacra anno MDXXXVIII. per omnes ordinum gradus ad Sacerdotii dignitatem a Vincentio Negoſantio Fanenſi, Arbenſis Inſulæ Epiſcopo rite initiati fuerunt. Cum vero ad ſacra Paleſtinæ loca, uti condixerant, ex bello inter Solimanum Turcarum Tyrannum, & Venetos exorto accedere prohiberentur, communi conſilio usque ad anni vertentis finem, ſi forte transmittendi opportunitas daretur, expectare conſtituunt. Ipſos è Romana peregrinatione reduces exceperat Andreas è Patritia Lipomana gente piiſſimus Vir, qui cum ex Apoſtolica conceſſione Prioratum Sanctiſſimæ Trinitatis adminiſtrandum accepiſſet, *reddituum, quos ex Prioratu capiebat, partem Servis Dei diſtribuendam ſtatuit*.

Religioſæ donationis mentionem ingerit Auguſtinus Cardinalis Valerio, in aureo de adulterinæ prudentiæ regulis vitandis opuſculo MS. in quo lib. x. cap. XVII. hæc affert: " Per
" illos dies Venetias venerunt Ignatius Loyolas, & Jacobus
" Laynez, & quidam alii Sacerdotes Hiſpani in optimarum
" artium ſtudiis enutriti, qui in celeberrimis Gymnaſiis mul-
" tos annos conſumpſerunt, eo anno, ut peregrinationem ſan-
" ctam pro gloria Dei ſuſciperent, ſanctam Hieruſalem, ubi
" Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus Salvator mundi paſſus,
" & ſepultus eſt, proficiſcerentur, & ad ſanctiſſimum illud ſe-
" pulcrum projecti devotionis balſamo animas ſuas recrearent,
" vitam in tam periculoſa peregrinatione expenderent, ad po-
" pulum infidelem Mahumetana ſuperſtitione deceptum pro
" Chriſto legatione fungerentur, bello quod in Turcas exar-
" ſerat impediti Venetiis aliquandiu commorari coacti ſunt.
" Inde ab Andrea Lipomano, qui nominabatur Sanctiſſimæ
" Trinitatis Prior hoſpitio excepti, cum vir pius eorum pie-
" tatem cum multiplici doctrina conjunctam perſpexiſſet red-
" dituum, quos ex Prioratu capiebat, partem Servis Dei diſtri-
" buendam ſtatuit, piamque ejus voluntatem aliquot poſt an-
" nos Paulus III. Pontifex Maximus approbavit, atque inde

„ in Italia initium, habuerunt Collegia Patrum Jeſuitarum,
„ quas ſanctas & eccleſiaſticas accademias imminentibus Rei-
„ publicæ Chriſtianæ periculis admodum neceſſarias quispiam
„ dixerit. Inde illa domus & cohabitatio pia patrum, qui in
„ audiendis confeſſionibus, & in miniſtrandis ſanctiſſimis Sa-
„ cramentis, in ſacris ad populum habendis concionibus to-
„ tum tempus conſumunt. Itaque propagata eſt illa Societas
„ Jeſu, ut in multis Italiæ civitatibus maxime floreret.

Ubi autem Paulum III. donationem approbaſſe legitur, hoc ad Patavinam Sanctæ Mariæ Magdalenæ domum referendum eſt; oblationem enim Venetæ Sanctæ Mariæ de Humilitate Eccleſiæ a ſuperius laudato Andrea Priore pro erigendo Societatis Collegio factam Pius IV. dato diplomate confirmavit.

Primam itaque ex Italiæ civitatibus, quæ Ignatium ejusque ſocios complexa ſit, fuiſſe Venetias, primamque Evangelicam vineam, quam Societas Jeſu colere cœpit fuiſſe Ditionem Venetæ Reipublicæ teſtatur Daniel Bartholus in Hiſtor. Societ. Jeſu in Ital. lib. 2. cap. *16.* & 17. Orlandinus vero in Hiſtor. Societ. lib. 3. num. 5*6.* hoc Andreæ Lipomani elogium affert.

„ Inter eximios pietatis Profeſſores Vir erat generis amplitu-
„ dine, prudentia, & aliis populo miris ornamentis præſtans
„ Andreas Lipomanus (Frater Aloyſii Lipomani Veronenſis
„ Epiſcopi, qui Sanctorum vitas egregio labore deſcripſit)
„ vulgo ab Sacerdotio ſeu Prioratu, quod poſſidebat Venetiis,
„ Prior Sanctæ Trinitatis appellatus, quanquam & Patavii
„ Prioratum Sanctæ Mariæ Magdalenæ habebat. Hic Lanii
„ uſu & meditationum ſeceſſu (intellige exercitia ſpiritualia)
„ ita animum agglutinavit Societati, ut amore ſtudio officio
„ factus ſit tanquam unus ex ea. “

Quo anno Societas Jeſu Veneto Collegio aucta ſit, indicat lib. x. num. 9*6.* memoratus Orlandinus his verbis: “ Eodem
„ Societas anno (ſcilicet 1550.) Collegio Veneto aucta eſt,
„ cujus author idem, qui fuerat Patavini, Andreas Lipoma-
„ nus. Is præter eos duodecim, quos alebat de Societate Pa-
„ tavii totidem Venetiis alios popoſcit alendos: “ Addit Bartholus loco citato hoc contigiſſe ineunte Aprile faventibus maxime Contarenis, Lauretanis, Superantiis, & Garzonibus.

In loci itaque poſſeſſionem adducti Jeſuitæ anguſtas ædes, & nimia temporis vetuſtate labentes ad opportunos Collegii uſus

meliori, qua licuit ratione, reſtaurarunt, donec decernente Pio IV. Summo Pontifice Collegium Venetum in Domum Profeſſam mutatum fuit, ejus vero prædia Collegio Patavino fuerunt attributa. Mutationem Venetæ domus alligat ad annum MDLXXVIII. Franciſcus Sacchinus in Hiſt. Societ. Jeſu par. IV. lib. VI. num. 15. " Provincia Longobardiæ cum unius Præpoſiti ſuperaret curam, jamque domos Profeſſorum, & Probationis, & Scholaſticorum Seminaria univerſalia haberet gemina, diviſa eſt in duas. Altera Veneta, altera Mediolanenſis dicta". Reſtauratam deinde Eccleſiam munus conſecrationis a Franciſco Barbaro Archiepiſcopo Tyrenſi, & Electo Aquilejenſi ſuſcepiſſe, affert marmorea epigraphe, in qua verba hæc inciſa leguntur. " Franciſcus Barbaro Archiepiſcopus Tyrenſis & Electus Aquilejenſis conſecravit hanc Eccleſiam in honorem Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis Anno Domini MDLXXXIX. die 6. Julii.

Arctum domus circuitum ampliari conceſſit S.C. anno MDLXXXII. ut in citata Hiſt. narrat Sacchinus Par. V. lib. 2. n. 48. " Venetiis quoque quod impetratu difficillimum videbatur, non gravate Reſpublica conceſſit, ut ſpatia domus amplificarentur, cumque Poſſevino redeunti cum Moſco Legato in Italiam, poſtquam eum Decemvirum Conſilium audiit de jungendis commerciis differentem, mirificeque probavit, quingentos nummos aureos dono miſiſſet, iſque repudiaſſet eos, ad ædificationem domus attribuit.

Poſt hæc anno MDCVI. ob turbas inter Paulum V. & Venetam Rempublicam exortas Jeſuitæ Venetiis abierunt die X. Maii quatuor cymbis ad usque Venetos fines Ferrariam verſus adducti; domus vero Humilitatis incolis vacua permanſit ad annum MDCXV. cujus anni die XIX. Julii illam ex S. C. Decreto excolendam acceperunt Sanctimoniales olim in antiquo Inſulæ S. Servuli Monaſterio degentes.

Egerunt ſæpe ſæpius Virgines illæ & aeris intemperie afflictæ, & ruinoſi loci ſqualores pertæſæ, ut ad opportuniorem Venetæ Urbis locum traducerentur, quapropter eam occaſionem nacti ipſarum Procuratores, quod Veneta Jeſuitarum Ædes ab ipſis derelicta fuiſſet, ut ad Divi Servuli Sanctimoniales, quarum plurimæ ex patritio ſanguine progenitæ erant, publico S. C. decreto deveniret, ſollicito ſtudio curarunt. In pervigilio

vigilio itaque Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli anno ſuperius enunciato MDCXV. ex concordi P. C. voto Sanctimonialibus Ordinis S. Benedicti olim ex Methamaucenſi Urbe ad vetuſtum S. Servuli Cœnobium, deductis Eccleſia S. Mariæ de Humilitate, quæ a Religionis ibidem olim manentis nomine Jeſus appellabatur adjectæque ipſi ædes aſſignatæ fuerunt. Dies ineundæ poſſeſſionis aſſignata V. ſequentis Julii, qua illuceſcente, cum prius ad clauſuræ opportunitatem domus redacta fuiſſet, Moniales S. Servuli LXX. numerum excedentes ad nova ſibi conceſſa clauſtra deducuntur, qua ipſa die gratiis primum Deo actis Eccleſiam Divinis officiis excolere cœperunt, nec multo poſt transmigrationis hujuſce monumentum lapidi exſculpi mandarunt.

„ Mathemauci Primo Caſſinenſis hujus Familiæ Virgines
„ in Cœnobio SS. Baſſi & Leonis ſub ipſa Reipublicæ initia,
„ deinde in Inſula S. Servuli Martyris, a Petro Abbate SS.
„ Benedicti & Hylarii donata Anno Domini MDCIX. annuen-
„ tibus Hordelapho Faletro Duce & Joanne Gradonico Pa-
„ triarca Gradenſi Sedem fixerunt propter eximiæ exempla
„ Sanctimoniæ publicæ privatæque rei id commodum accidit.
„ Demum ad hoc Sanctæ Mariæ Monaſterium una cum Re-
„ liquiis SS. Baſſi & Leonis Senatu Conſulto migrarunt, Mar-
„ co Antonio Memo Duce & Franciſco Cardinali Vendra-
„ meno Patriarcha. Candida Milani Abbatiſſa. Seraphina
„ Trono Prioriſſa memoriæ commendatum voluit Contarena
„ Contareno 3°. Abbatiſſa Gabriella Molino Prioriſſa, Blan-
„ ca Michael Sacriſta demortuæ Roſæ Mariæ Triviſanæ vici-
„ bus functa Anno Domini MDCCII.

Ex Divi Servuli Inſula ad hanc Sanctæ Mariæ de Humilitate Eccleſiam deducta fuerunt pretioſiſſima Divorum pignora, quorum aliqua è Mathemaucenſi Cœnobio translata, reliqua vero diverſis temporibus oblata fuerant. De iis vero fuſius agendum ad Eccleſiam Sancti Servuli, in qua quieſcebant.

Corpus S. Leonis Epiſcopi Sami & Conf.
Crus S. Servuli Martyris Titularis.
Caput S. Annæ Matris Beatæ Mariæ Virginis.
Portiones ex arundine qua percuſſum fuit Caput Jeſu Chriſti, atque ex Spongia qua ipſe Dominus aceto in Cruce

po-

potatus fuit. Haſce ſacratiſſimas Reliquias ab Urbe Conſtantinopolitana detulit Aloyſius Sagontinus anno MIVD.
Deus, & ex oſſe S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris.
Caput unius ex ſociis S. Urſulæ V. M.
Ex oſſibus Sanctorum Simonis & Taddæi Apoſtolorum, Laurentii, Tiburtii, & Valeriani Martyrum, aliorumque Sanctorum fragmenta.
Manus integra S. Eudoxiæ Eremitæ Pœnitentis & Martyris, quam anno MDCLXVII. ex Zacinthi Inſula, ubi olim in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ ſumma cum populorum religione colebatur, Venetias detulit authenticis ſcripturis & documentis roboratam Conſtantinus Lauretanus Patritius Venetus ipſius Inſulæ pro Venetorum Republica Proviſor, & devotionis intuitu Eccleſiæ Sanctimonialium S. Mariæ de Humilitate donavit, ut patet ex ſequenti documento.

„ *Die 18. Septembris 1671. Venetiis in Palatio Patriarchali.*

„ Coram Perilluſtri, & Reverendiſs. D. Jo: Franciſco Montanario Proth. Apoſtolico J. U. D. Paroc. & Colleg. S. Bartholomæi de Rivoalto Vicario perpetuo, necnon Ill. & Rev. D. D. Jo: Franciſci Mauroceni M. D. Patr. Venetiarum Dalmatiæque Primatis Vicario Generali.
„ Comparuit Ill. & Exc. D. Conſtantinus Lauretano Patr. Ven. filius N. V. ſ. Pauli de Paroc. S. Pantaleonis optime notus, & actualiter præſentavit capſulam ligneam nigri coloris circumcluſam etiam deſuper cryſtallis ſuperpoſito ſigillo familiæ Lauretanæ ad foramen ſerræ ipſius Capſulæ quam oblata clavi inſtavit aperiri, & Sanctam Reliquiam in ea contentam nempe manum dextram S. Eudoxiæ M. alias a Piſidia aſportatam, & Zacynthum delatam recognoſci juxta documenta authentica græco idiomate in linguam Italicam verſa, & recognita. Atteſtationes varias juratas nempe R. R. Patrum Antonii Malaſpina, Ludovici Lippi, & Vincentii Mutii Minorum Conventualium, ac Antonii de Sitia Minorum Obſervantiæ S. Franciſci, & D. Franciſci Garzoni alias Cancellarii in Inſula Zacynthi & proprium Conſtitutum in actis receptum, licentiamque ſibi concedi ipſam donandi Monaſterio Ven. Monialium Humilitatis hu-

jus

„ jus inclytæ Urbis, ut publicæ Fidelium venerationi in ea-
„ rum ſuprascriptam Eccleſiam exponatur ad majorem Dei
„ gloriam, & Sanctorum ejus venerationem.

„ Qui perill. & Reverendiſ. D. Vic. Generalis &c. Viſis
„ documentis authenticis ac recognitis ut ſupra pluribus at-
„ teſtationibus, & conſtituto in actis recepto ab Ill. & Exc.
„ D. Conſtantino Lauredano ſupradicto quæ omnia exempla-
„ ri, & in Cancellaria aſſervari mandavit. Accepta capſula præ-
„ dicta & recognito ſigillo prædicto, eoque amoto, ipſam
„ reverenter aperuit, & in ea invenit panno ſerico obvolu-
„ tam integram manum dexteram cum omnibus ſuis digitis,
„ & articulis usque ad lacerti connexionem, ubi eſt pulſus,
„ incluſus, & coopertus argentea ſubtili lamina cum litte-
„ ris Græcis deſuper inſculptis, quæ Italice verſæ ſunt idem,
„ ac *Die Prima* Martii: Iſta Sacra & Sancta Reliquia eſt S. E-
„ remitæ & M. Eudociæ. Qua adorata, conſignavit ſupra N. V.
„ Conſtantino Lauretano, ad effectum ipſam donandi V. M.
„ modernæ Abbatiſſæ Monaſt. Humilitatis Venet. & colloca-
„ ri perpetuoque aſſervari in Eccleſia exteriori dicti Mona-
„ ſterii publicæ Fidelium adorationi ſervatis in cuſtodia &
„ expoſitione ſervandis. Jo: Franc. Montanarius V. G.

Andreas de Epiſcopis Cancell. Venet. Patr.

DE

DE
MONASTERIO
S. SERVULI MARTYRIS.

MOnaſterium Sanƈti Benediƈti inſtitutum in Veneti ſtagni Inſula Divo Servulo Tergeſtino Martyri dicata floruiſſe, antequam Ducalis Venetiæ ſedes è Methamauci urbe Venetias deduceretur, ex Dandulo comprobatur, qui Angelum Particiaecum primum in Rivoaltenſi Urbe Ducem refert Joanni Abbati S. Servuli, qui ob loci anguſtias, & reddituum inopiam *cum caterva ſui Cœnobii* arƈte viƈtitabat, dono dediſſe, & conceſſiſſe Eccleſiam S. Hilarii in finibus Venetorum, ipſumque donationis Privilegium affert in calce mutilatum, quod tamen ex margine codicis Ambroſiani ſuppletur in ipſo Danduli Chron. Rerum Italic. Tom. XII. col. 165. Hæc ſunt clariſſimi authoris verba: “ Dux etiam cum Juſtiniano filio ſuo Con-
„ ſortium Monachorum degentium in Sanƈto Servulo ſuppli-
„ cante Joanne Abbate, ad Eccleſiam Sanƈti Hilarii in fini-
„ bus Rivoalti poſitam, per Privilegium perpetuo transmu-
„ tavit. “

Annus, quo datum fuit Monachis privilegium quamvis in Chro-

Chronicis notis non appareat, certe tamen arguitur ex appoſita Indictione XII. quæ ad annum Chriſti DCCCXIX. alligatur; ſemel enim in ſuo Principatu Angelus Particiacus Indictionem XII. numeravit. Exemplum hujus conceſſionis ex authentico fideliter deſumptum ad preces Leonis Abbatis Sanctorum Hilarii & Benedicti exſcribi autentice juſſit anno MCCIV. die XXV. Novembris Raynerius Zeno Dux Venetiarum, mox anno MCCLXXVI. die XXV. Novembris Prandus SS. Hilarii & Benedicti Abbas a Jacobo Contareno Venetiarum Duce, ut iterum *ſolemniter* ejus interveniente decreto, deduci, & exarari poſſet impetravit. Exemplum ex authentico Zeni Ducis decreto per Notarium tranſumi mandavit Urbanus Gradenſis Patriarca, qui mox reperiens *illud cum authentico concordare*, *in ipſius exempli plenam fidem*, *& teſtimonium*, ſuam authoritatem interpoſuit, illudque juſſit *ſui ſigilli appenſione muniri*.

Novi Monaſterii conceſſionem ex Patriarchali Urbani diplomate exhibemus, quam in paucis ab ea, quam affert Dandulus novimus diſcrepare. (A)

Deducta igitur ad novum S. Hilarii Cœnobium potiori Monachorum parte, in antiquis Divi Servuli Ædibus ii tantummodo remanſerunt, *qui ad diurna & nocturna pariter officia* celebranda ſufficere poſſe viderentur, quibus ea, quæ ad victum neceſſaria erant, Divi Hilarii Abbas ex ſui Monaſterii redditibus ſuppeditare tenebatur. Ibidem usque ad ſæculi XII. exordia permanſerunt, donec ipſo S. Hilarii Abbate concedente, antiquæ S. Servuli ædes Benedictini inſtituti Monialibus, ut in iis tutius degerent, conceſſæ fuerunt. Hujuſce translationis cauſa altius eſt repetenda.

In Veneti æſtuarii littore ad ampliſſimi portus oſtia Methamaucum civitas olim fundata fuerat ab Aquilejenſibus, Patavinis, aliiſque finitimis populis, qui a Barbarico furore ſe ſubtrahentes in iis remotiſſimis locis, ſibi pacis, & libertatis ſedem conſtituerant. Sedem ibi Epiſcopalem conſtituit Romano Pontifice approbante Berguardus Patavinus Antiſtes, nec multo poſt duo præclariſſima Cœnobia, viris unum ſub S. Cypriani nomine, Sanctimonialibus alterum ſub titulo S. Baſſi pietas fidelium extruxit, queis deinde, cum Methamaucum maris inundatione paulatim abſorberetur ad intimos ſtagni Ve-

neti receſſus non longe ab ipſa Venetiarum urbe ædes ſtatutæ ſunt; in Muriano enim Inſula, Monachi ſibi Divi Cypriani Monaſterium extruxerunt, Sanctimoniales vero ad S. Servuli Cœnobium, quod iis ex pia Abbatis S. Hilarii largitione provenerat, ſe receperunt. Cuinam ſæculo hujuſce Monaſterii Divo Baſſo dicati exordia ſint affigenda, cujusve merito opus fundationis aſſignandum ſit, nullis documentis inſtruimur; nihil enim de eo memoratum invenire datum eſt, niſi tantummodo quod prodigioſo ſane modo pretioſis S. Leonis Samos Inſulæ vel alterius loci Epiſcopi exuviis ditatum fuerit, cujus translationem compendioſe concinnatam exhibet antiquus codex Paſſionarius Eccleſiæ S. Marci ubi hæc habentur: " Leo Epiſcopus in Græciarum partibus natus omnia in
„ ſæculo abdicavit, pro Chriſto Crucem ejus tollens, & ſi non
„ in corpore, martyrium paſſus eſt in animo; qui etiam in
„ vita ſua miraculis claruit; nam mulierem a gravi corpo-
„ rep languore ſanavit, & in Samo inſula in pace quievit (*a*).
„ Cujus corpus, dum inde Græci navigio transferre niſi ſunt,
„ inde ſe nunquam movere potuerunt, donec corpore, quod
„ amoverant, ſuo in loco repoſito, abeundi facultatem obti-
„ nuerunt. Poſt multum vero temporis (*b*) Venetorum na-
„ ves in ipſius Inſulæ portu degentes corpus Sancti in ejus
„ ſolemnitate, que tunc Veneticis ibidem exiſtentibus conti-
„ git tertio Kal. Maii devotius viſitarunt, miſſaque ſolemni-
„ ter celebrata inde diſcedere curaverunt, exeuntes quoque
„ portum exorta ſubito tempeſtate redire coacti ſunt. Poſt
„ morulam vero mare ſedato iterum exierunt; iterumque
„ adverſantibus ventis retrocedere compelluntur. Tunc com-
„ muni conſilio habito ſanctum corpus inde levantes ad na-
„ vem deduxerunt. Et continuo omni tempeſtate propulſa
ſtan-

(*a*) Num hujus Inſulæ in qua quieviſſe dicitur, Sanctus Leo Epiſcopus fuerit ignotum eſt. Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum extra Martyrologium aſſerit eum Epiſcopum Mothonenſem fuiſſe, in Italica autem enarratione translationis ejus Epiſcopum Samos fuiſſe dicitur.

(*b*) Nullæ Chronicæ notæ nec in hac, nec in altera mox afferenda Translationis hiſtoria aſſignantur; cum vero dicatur corpus hoc Leoni Methamaucenſi Epiſcopo conceſſum, veriſimile eſt peractam fuiſſe translationem circa initia ſæculi undecimi quo tempore Methamaucenſem Eccleſiam adminiſtrabat Leo Epiſcopus hujus nominis II.

„ ſtante vento proſpero devenerunt Mothonum (*a*). Ubi vox „ de Coelo inſonuit: Hoc, inquiens, eſt corpus Epiſcopi „ Leonis. Inde venientes Zantum (Zacinthum) viſa eſt aqui„ la alis extenſis ſuper corpus excubare; quæ illos ad ultro„ cedendum ſigno monſtravit alarum. Dumque aliæ Naves „ tempeſtatem, & naufragium, ac pene præcipitium paterentur, ſola illa in qua S. corpus quieſcebat illibata permanſit. Et „ quoties luminaria circa corpus accenſa flante vento extin„ guebantur, toties per ſe ipſa divinitus accendebantur. Ve„ nientes autem ad portum Veſtis (*b*) ab Epiſcopo loci il„ lius viſitantur. Qui cum aliquid ex ſacris reliquiis obtinere „ precibus, aut pretio minime potuiſſet, aquam tamen lotio„ nis ſacrorum membrorum impetravit. Celebrataque miſſa „ cum corpus aqua diluiſſet, inde ex ipſa cuidam languenti „ Presbytero in potum dediſſet mox ille ſanatus; qui ab aliis „ delatus fuerat, incolumis ad Eccleſiam ſuam perexit. Tan„ dem Venetiis nautæ illi applicantes Leoni Methamaucenſi „ Epiſcopo (*c*) corpus conceſſerunt; qui ipſum cum ſummo „ gaudio percipiens honorifice condidit. Ubi & cæcus illumi„ natus fuit, & æger manum habens aridam ſanitatem rece„ pit. Proceſſu vero temporis, Methamauco a mare ſubmerſo „ corpus illud ad Monaſterium S. Servuli M. translatum eſt. „ Cujus feſtum agitur tertio Kal. Maii. (*d*)

Paulo fuſius rei ſeriem exponit vetuſtiſſimus Codex in Monaſterio S. Mariæ de Humilitate aſſervatus titulo *Cimiteriale di S. Servolo*, in quo mirabilia enarrantur in ſacri corporis deductione patrata.

„ Di S. Leone Veſcovo di Samo e della translatione del ſuo „ corpo. Fu il Beato Leone di nazione Greco, illuſtrato da „ Dio dopo morte per molte maraviglioſe opere, e fu Veſcovo

M 2 „ di

(*a*) Methone Urbs maritima Peloponneſi in Provincia Meſſeniæ, de qua Plinius lib. IV. cap. XVI. Strabo, Ptolomæus & alii.

(*b*) Portum Veſtis interpretantur Biographi Antuerpienſes in nota marginali eſſe Inſulam Veglæ vulgo Vegia.

(*c*) Duo hujus nominis fuerunt Methamaucenſes Epiſcopi, quorum primus ſedit ann. 877. alter vero anno 1005. Hunc Secundum veriſimile eſt ſacrum corpus recepiſſe, atque honorifice condidiſſe.

(*d*) Eamdem omnino translationis hiſtoriam affert Petrus in Catalogo lib. IV. cap. 101. eamque retulerunt ſupralaudati Agiographi Antuerpienſes inter Acta Sanctorum Tom. III. Aprilis pag. 625.

„ di Samo Iſola non molto lontana dall'Albania, quale dopo
„ la ſua felice morte fu ſepolto nella detta Iſola in una cele-
„ bre Chieſa alli 26. d'Aprile, dove riſplendeva di molti mi-
„ racoli, per la fama de quali paſſando in quel loco alcuni
„ Greci con li loro navigj preſero quel S. Corpo, e tutto
„ avendolo smembrato per poterlo più comodamente porta-
„ re; non potendo in verun modo per divina volontà partir-
„ ſi da quel loco, furono aſtretti reſtituire nel loco ſuo le ſa-
„ cre Reliquie; ma dopo molti anni arrivando all' Iſola uno
„ navigio del armata de Veneziani nel giorno appunto ſopra-
„ detto nella feſta del ditto Santo, & ſmontati alquanti, ve-
„ dendo il concorſo, andorno a quella Chieſa, e finito l'officio
„ delle Meſſe tornarono al navigio, ma partiti dal Iſola di
„ ſubito una Tramontana ſi levò a traverſo, e furono aſtreti
„ ritornare al Iſola, dove ritornati s'aquietò il tempo, e queſto
„ ſuccedette anco la ſeconda volta che tentorno partirſi. Con-
„ ferendo tra loro tal coſa con timore, uno de loro vechio,
„ e inſpirato da Dio diſſe, conſiderate fratelli, & eſaminate
„ che forſi quello che ne occorre, non ſia ſegno, per il qual
„ Dio ne dimoſtri, volere, che queſto ſuo ſervo S. Leone, qual è
„ in queſta ſolitudine venga con noi. Piacque ad ogn'uno que-
„ ſto parlare, e totalmente quieti riſpoſero, tu ch'hai per
„ divina inſpiratione acquietati li noſtri cuori con il conſi-
„ glio, dane ancora il modo, con il quale tal opere mandia-
„ mo ad effetto. Per conſiglio dunque del buon vechio la ſe-
„ ra ſequente andorno quietamente de notte alla prefatta Chie-
„ ſa, e ritrovate le porte ſerate inchinochiati di fora pregor-
„ no Dio devotamente, che ſe era volontà ſua, che el ditto
„ Santo corpo foſſe portato con loro faceſſe che le porte da
„ ſe medesme ſi appriſſero. Subito fatta la orazione con ſua-
„ ve e modeſto empito s'aprirno, & il Santo Vechio mol-
„ to più inanimato fece ranchiudere una altra volta le por-
„ te facendo ancora fare orazione a tutti dicendo le litanie
„ nelle quali nominorno ſolo quelli Santi, in nome de quali
„ era fabricata chieſia a Venezia, pregando Dio li rivelaſſe in
„ qual chieſia voleſſe foſſe portato eſſo ſanto corpo, facendo
„ un'altra volta aprire eſſa porta ſerata al pronunciar del no-
„ me di quella chieſia. Coſa mirabile dopo nominati li no-
„ mi del Salvatore, della B. V. e degli altri Santi venendo

alli

alli Martiri, e dicendo *S. Buſſe ora pro nobis* di ſubito la ſe-
„ conda volta ſi aprirno da ſe ſteſſe le ditte porte, onde con
„ grande ſicurtà e divozione intrando in chieſia, e prenden-
„ do la caſſa delle ſacre Reliquie la poſero in ſpalla al Cap-
„ pellano della Galea chiamato Pietro, e partendo con ven-
„ to proſpero vennero a Malta loco nel mare pericoloſiſſimo,
„ e poi a Modone. Nel qual viaggio fu udita una voce in
„ aere, che diſſe queſto è il corpo di S. Leone, & vedevaſi
„ un' Aquila andare inanzi sbattendo le ale, parendo che di-
„ moſtraſſe la via, & ſcaciaſſe la fortuna dalla Galea. Poi
„ eſſendo partiti dall' Iſola Gallinica ſi levò una grande for-
„ tuna con gran tempeſta, ma preſtamente recorrendo al
„ agiuto del Santo di Dio, ceſsò la fortuna intorno eſſa Na-
„ ve, la qual fortuna non ceſsò di moleſtare molto aſpra-
„ mente l'altre Galee, ch'erano in compagnia, la qual co-
„ ſa ſpeſſe volte accadè fra il reſto di quel viaggio, & vo-
„ lendo venire de quelli delle altre Galee, overo delli popoli
„ delli lochi dove paſſavano, a far reverentia al ſanto Corpo,
„ & portando delli cerei acceſi quelli per il gran vento ſi
„ ſmorzavano, ma arrivati che erano alla Galea del ſanto
„ Corpo, di ſubito da ſe ſteſſi miraculoſamente ſi accendeva-
„ no; Gionti che forno al porto di Veſte il Veſcovo di quel
„ loco, quale la notte paſſata aveva vedute in viſione due
„ Chieſie una vechia, & una nova, & in eſſa viſione am-
„ monito, venne la mattina alla Galea, pregando con grandiſ-
„ ſima, & inſtante devozione, che per quella quantità di pe-
„ cunia che loro voleſſero, li foſſe donata, & conceſſa una
„ qualche parte di eſſo ſanto Corpo. Ma non li volendo lo-
„ ro per alcun modo conſentire, finalmente con grande diffi-
„ cultà, & preghi ottenne d'havere per ſanità delli infermi
„ dell'aqua, con la qual foſſero lavati eſſi ſacri membri, &
„ avendo devotiſſimamente celebrata la ſanta Meſſa, da poi
„ invocata la grazia del Spirito Santo, non ſe fidando li ma-
„ rinari, che lui poneſſe le mane in la caſſa, li acconſentirno,
„ chel faceſſe un foro nel coperchio di eſſa caſſa, e un'altro
„ nel fondi de ſotto, & ſpargendo dell'aqua pura de ſopra
„ nella caſſa, quella paſſando per quelli ſacri oſſi, & pervenen-
„ do al fondi d'eſſa caſſa, & fora diſtilando, fu da lui reve-
„ rentemente in ampolle raccolta, della quale invocato il no-

„ me

„ me di Dio, avendo data a bevere a un ſuo Prete infermo
„ inmediate fu reſtituito alla prima ſanità, & molti altri mi-
„ racoli all'ora in preſentia del populo per la Divina virtù
„ & meriti del Santo forno operati. Finalmente ſoffiando li
„ venti nelle vele, pervenero proſperamente al porto di Ve-
„ nezia, e ſmontati all'Iſola ditta Rialto portorno drittamen-
„ te il ſanto Corpo alla Chieſia di S. Baſſo. Il che vedendo
„ il populo Veneto ripieno di grande letizia voleva ogni mo-
„ do foſſe portato il ſanto Corpo alla Chieſia, & Monaſtero
„ di S. Zacharia, per eſſer quella Chieſa molto più honorevo-
„ le, & tanto più officiata da celebre Congregazione di Nobi-
„ liſſime, & ſante Donne. Ma il ſanto Corpo ſi fermò avan-
„ ti la Chieſa di S. Baſſo, come ſe foſſe tenuto da una grande
„ ancora ſepulta nel profondo della terra, in modo che nel po-
„ pulo era una molto meſta, & tumultuoſa concertazione.
„ Finalmente ritrovandoſe preſente il Veſcovo di Malamoco,
„ che lui ancora ſi chiamava Leone, homo di ſantiſſima vita
„ e di grandiſſima autorità vedendo non ſi potere portare eſſo
„ corpo ne in chieſia di S. Baſſo, ne altrove, fece aquietare il
„ tumulto del popolo, perſuadendoli con molte ragioni, & pregi
„ che li concedeſſerno, che potendo lui dalla bontà di Dio
„ ottenere, di levar quel ſanto corpo, che lui el portaſſe a Ma-
„ lamoco. Mirabil coſa, di ſubito il populo aquietandoſi ac-
„ conſentì di una volontà alla pia domanda del Santo Pon-
„ tefice, il qual dapò longa, devota e lacrimabile orazione
„ accoſtato al ſanto corpo ſenza difficultà alcuna levò quello,
„ & con ogni reverentia, & onore portatolo a Malamoco lo
„ repoſe in un ſepolcro di marmoro, e collocolo in una devo-
„ tiſſima chieſia conjunta a uno venerabile monaſterio di ſa-
„ cre e nobili Verigni chiamata S. Baſſo, accio foſſe adempi-
„ ta la viſione del Veſcovo del Iſola di Veſte de due Chie-
„ ſe di un medeſimo titolo l'una vechia, e l'altra più no-
„ va. La qual chieſia per li grandi miracoli per li meriti di
„ eſſo ſanto operati per il reſto del tempo uno, e l'altro ti-
„ tolo retenne.

Sancti Epiſcopi corpus quod è Methamaucenſi Urbe ad ſacram Divi Servuli ædem deductum in lignea depicta arca anno MCIX. depoſitum fuerat, elapſis ab ea translatione annis CCXXXII. ad ornatiorem ſepulcrum quod ex inauratis lignis con-

ſtrui

ſtrui juſſerat Catharina Viadro S. Servuli Abbatiſſa anno MCCCXLII. die XXIV. Martii, tranſlatum fuit, in cujus rei documentum Abbatiſſa nomen ſuum capſæ inſcribi mandavit: *Domina Catterina Viaro Abbatiſſa Sancti Servuli, Suor Catterina Foſcbari Suor Beriola Premarin Sacriſtane in la Cleſia di Meſer S. Servolo curando* 1341. 8. *Martii*. Deinde exuviæ Venetias ad Eccleſiam S. Mariæ de Humilitate, quæ Monialibus S. Servuli ex S. C. obvenerat, deductæ fuerunt anno MDCXV. ubi hactenus honorifico reconditæ loculo requieſcunt.

Urbs itaque Methamauci quæ anno DCCCXXIX. Joannis Particiaci Ducis juſſu ob rebellionis crimen igne conſumpta è ruinis ornatior emerſerat, initio XII. ſæculi Ordelapho Phaletro Duce, novo iterum incendio caſualiter exorto, *& maris profligationibus mirabiliter* devaſtari cœpit, cumque excreſcente de die in diem magis alluvione maris ſubmergeretur, Henricus Grancarolus qui ea tempeſtate Urbis Epiſcopatum adminiſtrabat, aſſentiente ipſo Ordelapho Phaletro Duce, anno MCVI. ſacra lipſana Sanctorum Felicis & Fortunati Martyrum Patronorum, atque Epiſcopalem Sedem ad Foſſam Clodiam tranſtulit, nec tamen antiquam Methamaucenſis Epiſcopi denominationem deſeruit; quod ex documentis aperte conſtat: ſiquidem anno 1107. Stephanus Badovarius *Electus Methamaucenſis* fidelitatis juramentum præſtitit Joanni Gradonico Patriarchæ Gradenſi, quod ex autographo adhuc extante tranſumptum, relatum fuit hujus Operis Tom. III. Dec. IV. pag. 65. Nec obſtare debet allatum a Morario documentum, quod in Ital. ſacra Tom. V. in Clugienſibus legitur, cui fides ex autographi documenti authoritate minuitur.

Interea cum cæteris ejus urbis ædificiis ipſum quoque S. Baſſi Monaſterium, quod ex ſuſcepto Divi Leonis Epiſcopi corpore duplici tunc Sanctorum Baſſi & Leonis titulo inſigniebatur, jam a vorticibus maris cœperat abſorberi, quapropter ſuarum in ſancta religione ſororum miſeratus ærumnas Petrus Abbas Sanctorum Hilarii, & Benedicti, ut tutiori loco reciperentur, abductis ex vetuſtiſſimo S. Servuli Monaſterio iis, quos ibi deſignaverat Monachis, & apud ſe receptis, ipſam Inſulam *Vitæ filiæ quondam Joannis Marango Abbatiſſæ S. Baſſi & S. Leonis Confeſſoris, atque omnibus ſuis monialibus & Sororibus*, in perpetuum poſſidendam tradidit, atque conceſſit anno MCIX. (B).

(B). Monumenta etiam ad ipſum Monaſterium ſpectantia tradidit, quæ tamen vel temporum injuriis, vel hominum incuria perierunt. Conceſſionis inſtrumentum cui præter ſuperius laudatum Abbatem, aliosque teſtes, ſubſcripſerunt etiam Patriarcha Gradenſis, & Dux Venetiarum, in publicas tabulas redegit anno 1109. Menſe Februarii Urſus Presb. & Not., cui anno cum indictionem III. appoſuiſſet manifeſto apparet more Veneto computandum eſſe, ſiquidem menſis Februarii anni 1109. Romano more Indictione II. ſignatur.

Ædes ex temporis vetuſtate fatiſcentes, ne ipſarum ruinis opprimerentur Sanctimoniales, quæ nuper ex maris alluvione evaſerant, a fundamentis ære proprio renovari mandavit familia Chalbana, quæ paulo antea ex Juſtinopolitana Urbe Venetias acceſſerat, easque in ampliorem formam redactas ad opportunos Sanctimonialium uſus accommodavit. Longiſſimi temporis tractu Monaſterium hoc rexit ſupralaudata Vita, cujus Nepos fuit Guido Marangus tertius olim Canonicorum Regularium in Eccleſia S. Salvatoris Prior, ac deinde Civitatis Novæ Epiſcopus, de quo in Opere hoc mentio habetur Tom. II. Decade III. pag. 248. Cœtu itaque Sanctimonialium e Methamauco in Veneti ſtagni Inſula conſtituto Dominicus Epiſcopus Clugienſis, cujus meminit Ughel. in Clugienſ. Tom. V. col. 1348. falſo reputans ex transmigratione Monialium, quæ olim ſuæ ditioni ſubjectæ erant, Divi Servuli Inſulam in ſui obedientiam deveniſſe, adverſum Joannem Polanum Epiſcopum Caſtellanum pro juriſdictione loci diutius decertavit, cui tamen præſumpto juri, adnitentibus Henrico Dandulo Patriarcha Gradenſi, aliisque Venetiæ Coepiſcopis, deinde renunciaſſe comperimus.

Vitæ Abbatiſſæ ſeu immediate, ſeu ut probabilius eſt aliis mediantibus ſucceſſit altera ejusdem pariter nominis Vita Abbatiſſa, cui anno Domini MCCV. menſe Aprilis, Petrus Ziani Arbenſium Comes Sebaſtiani Ducis Venetiarum filius, qui deinde ad Ducale faſtigium evectus fuit, quasdam *proprietates terrarum, & caſarum petrinearum in confinio S. Joannis de capite Rivoalti* pleno jure conceſſit, ſtatuta tamen conditione, ut anniverſaria ſibi parentibus, fratribusque ſuis celebrare perpetuo tenerentur. (C)

Exinde

Exinde ſequentes Abbatiſſæ in iis, quæ ſuperſunt documentis enuntiantur.

Anno 1206. die 12. Maii Agatha Catea.

Anno 1220. die 27. Julii Mariotta ſeu Maria.

Anno 1230. die 9. Septembris Cecilia Paſcalico, cui incerto anno ſuffecta fuit Eliſabeth, eaque defuncta ſucceſſit Conſtantia, & deinde Peretta ſeu Petra Campolo, quam ex documentis comperimus extremum diem obiiſſe anno 1294.

Poſt hujus obitum, cum de Abbatiſſa eligenda Sanctimoniales congregatæ nequaquam convenirent, die v. Novembris anno MCCVIC. electionis arbitrium tribus ejuſdem Monaſterii monialibus permiſerunt, ea conditione appoſita, ut ipſarum eligendi jus tandiu ſtaret, quoadusque cerea fax, quæ accenſa fuerat, extingueretur. *Poſt diverſos* itaque *tractatus* unanimi conſenſu eadem ſupradicta die in defunctæ locum, *Donatam Foſcaro* ejuſdem Monaſterii Sanctimonialem ſublegerunt, cujus rei teſtimonium extat adhuc in Archivo Monaſterii de Humilitate ſequens documentum.

„ In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. „ Cum vacante Monaſterio Sancti Servuli Caſtellanenſis „ Dioceſis Abbatiſſa placuit omnibus, & ſingulis Monachabus prædicti Monaſterii, per formam compromiſſi dicto ſuo „ Monaſterio providere, quæ poſt diverſos tractatus multiplicium perſonarum, & deliberatione habita diligenti in me „ Mariam Blanco, Mariam Roſani, & Ingoldiſem Belegno „ ſocias meas, & Monacas prædicti Monaſterii compromittere curaverunt dantes mihi, & prædictis ſociabus meis plenam poteſtatem & liberam eligendi, & ipſi Monaſterio providendi. Nos itaque poſt diverſos tractatus multiplicium „ perſonarum finaliter Divina favente gratia in religioſam „ Dominam Donatam Foſcharo Monacam dicti hujus Monaſterii direximus concorditer corda noſtra, mulierem utique providam, & diſcretam moribus, & vita comendandam „ in temporalibus & ſpiritualibus, & ſua regula circumſpectam coram Deo & hominibus gratioſam, per quam firmiter creditur, & ſperatur dictum Monaſterium, de bono in „ melius provenire debere Deo dante, & ſalubriter gubernari. Unde ego Maria Blanco commiſſaria prædicta vice & „ nomine meo, & dictarum mearum compromiſſariarum præ-

 „ ſen-

„ ſentium & aſſentium, ac de mandato ipſarum vice & nomine etiam totius Capituli prædictam religioſam Dominam Donatam Foſchari, Monacham hujus dicti Monaſterii eligo poſtulando, & poſtulo eligendo in Abbatiſſam hujus ſupradicti Monaſterii Sancti Servuli, & eidem Monaſterio provideo de eadem.

Quamvis autem ex hujus electione Sanctimoniales in eam ſpem adductæ fuiſſent, ut ex providæ & diſcretæ mulieris regimine Monaſterium *ſalubriter gubernaretur, & faciente Domino majora de bono in melius* ſuſciperet incrementa, ſpes tamen earum in irritum ceſſit, ſiquidem Abbatiſſa cum ad temporalium rerum adminiſtrationem ſororem ſuam Franciſcam adhibuiſſet, adeo diſſimulanter ſororis ſuæ cæterarumque monialium actiones moreſque neglexit, ut brevi tempore laxatis habenis a veteri ſanctimonia, qua floruerant, ad laxatam diſciplinam, ſæcularemque vivendi rationem Moniales converterentur, ex quo Monaſterium non in pietate tantum & obſervantia, ſed in redditumm quoque & Monialium numero gravia ſuſtinere coactum eſt detrimenta. Hoc tamen Monaſterio boni contulit, quod cum in cœtum Sanctimonialium quamdam nomine Philippam Almerici de Judicibus Nobilis Tergeſtini filiam excepiſſet, ipſius Almerici opera Crus S. Servuli Martyris Titularis è Tergeſtina Eccleſia deductum obtinuit, quod argenteo Crute includi & aſſervari mandavit.

Anno 1324. in quoddam Inſtrumento enuntiantur Maria Bono Abbatiſſa Sancti Servuli, & *Frater Albertinus de Bononia, Prior S. Mariæ Stellæ Cœli*, aliter *de Nazareth Ordinis Heremitarum S. Auguſtini Procurator Monaſterii S. Servuli Venetiarum*.

Anno 1341. 24. Martii Catharina Viadro Abbatiſſa, quæ ut ſuperius dictum eſt, corpus Sancti Leonis ornatiori loculo condi curavit.

Munus Abbatiſſæ exinde ſucceſſive ſuſceperunt Andriola ſeu Andriana Balaſtro, Beriola Premareno, Catherina Bono, ſuperius enuntiatæ Mariæ Bono Abbatiſſæ neptis; ex quarum gente duo Monaſterii S. Salvatoris Priores prodierunt, alter Nicolaus nomine de quo dictum eſt Operis hujus Tom. II. pag. 252. alter Joannes, qui tacito agnomine memoratur pag. ſequenti 253. ejuſdem Tom. II. De iis addenda ad Mo-

naſte-

naſterium S. Salvatoris exhibemus ea, quæ ſequuntur ex antiquo codice Monaſterii *Cinoimeniale di S. Servolo* nuncupatum excerpta.

„ Donna Catterina Bono, Sorella de Madonna Maria Bono,
„ che fu Abbadeſſa Nona, della quale erano parenti due Prio-
„ ri delli Canonici primi di S. Salvatore di Venezia, cioè
„ Frà Nicolò Bono, il quale di buono & humano Sacriſta-
„ no, era ſtato eletto cattivo, e crudeliſſimo Priore, e fù
„ eletto Priore XVIII. l' anno 1337. 16. Ottobre, e morì in
„ Sabbato alli 16. Gennaro l' anno 1350. L' altro fu nipote di
„ queſto detto Frà Giovanni Bono, quale fu veſtito l' anno
„ 1350. adi 29. Gennaro, e fu Priore anni 25. e morì l' an-
„ no 1415.

Ex eo fragmento, & Chronicæ notæ obitus Nicolai Prioris in menſe emendantur, & agnomen, atque emortualis annus Joannis Prioris innoteſcunt. Alia ex alia deinde ſucceſſerunt deinceps Margarita Bernardo, Conſtantia de Roſſano, Eliſabeth Regio, Anna de Benedictis, cujus mentio eſt in inſtrumento anni 1394. Jacobina Boldù, Maria Barbarigo, & denique ad annum 1451. Catharuccia ſeu Catharina Moggio, qua Monaſterium regente Sanctimoniales ad quatuor tantummodo redactas fuiſſe invenitur. Ea propter cum anno MCCCCXXXIV. Catharina Abbatiſſa extremum diem obiiſſet, Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus, de lapſi Cœnobii reformatione ſollicitus, ut ipſum ad primævam inſtituti obſervantiam revocaret, Scholaſticam inſignis ſanctimoniæ Virginem Luciam Nigro, & Eraſmam Parthenonis S. Crucis de Judaica Moniales ad inſulam S. Servuli deduxit, eo potiſſimum conſilio, ut obcæcatas mulieres optimis exemplis, piiſque adhortationibus in viam ſalutis traducere conarentur. Res (ut diximus operis hujus Tom. I. pag. 11.) ceſſit è Sancti Præſulis voto, ſiquidem brevi temporis intervallo veteres loci incolæ, quamvis irreligioſæ libertati admodum aſſuetæ, adeo reſipuerunt, ut in ſeveriori regularis vitæ ratione, quam libentiſſimo animo ſuſceperant, Deo adjuvante conſtantiſſime perſeveraverint.

Reſtitutæ Sanctimonialium pietati benedixit Dominus, ſiquidem Monaſterii redditus, qui ex illaudabili vivendi licentia imminuti vix quinque fœminis alendis ſatis erant, Domini miſerantis providentia, adeo in dies ex piorum largitionibus

aucti fuerunt, ut non multo poſt octoginta & amplius Virginibus, quæ ſtudio religionis ad optimæ Abbatiſſæ ductum arbitriumque ſeſe contulerant, abunde ſufficerent. Ipſius Scolaſticæ cura anno MCCCCLXX. die XXIII. Novembris, (ut notat Codex Cœmeterialis) Urbanus de Vignatis Epiſcopus Sebenicenſis Eccleſiam conſecravit, ipſamque in anniverſaria dedicationis die viſitantibus certas crimimum remiſſiones perpetuo indulſit.

Præſulatus itaque officium, quod anno MCCCCXXXIV. ſolum ex obedientia ſuſceperat, per quadraginta quatuor annos ſumma cum prudentiæ, & probitatis laude ſanctiſſime adminiſtravit, cujus præclarum illud eſt teſtimonium, quod cœtum Monialium jam ad quatuor tantummodo redactum adeo virtutum meritis ampliaverit, ut ipſum moriens jam ſupra octuoginta prætergreſſum reliquerit. Die itaque XXIV. Auguſti anno MCCCCLXXVIII. meritis & diebus cumulata, filiabus ſuis, quas in Chriſto pepererat, amare lugentibus evolavit ad ſponſum, cujus nomen ex inſigni ſanctimonia ab aliquibus, & præſertim a Joanne Theupulo Patriarcha Venetiarum, in ſæpecitato Indice *Beatæ* titulo inſignitur.

Defunctæ Matri alia paris meriti Virgo in munere ſuffecta fuit Chriſtina de Gavardis, quæ a Scolaſtica in conſortium ſanctæ religionis recepta, per viginti & octo annos ſub ejus diſciplina eximium in virtutibus profectum fecit. Ipſius merita, & pretioſam mortem enuntiat jam ſæpecitatus Codex Cœmeterialis his verbis:

Della Madre Suor Chriſtina di Gavardi.

„ Queſta fu Donna di ſanta vita, e di gran pazienza e vir-
„ tù, & eſſendo ſtata 28. anni Monaca, fu eletta in ſeconda
„ Abbadeſſa perpetua l'anno 1478. Governò con prudenza, e
„ patì molte inſidie da alcune, che volevano convertir la per-
„ petuità in triennale, e doppo aver tollerati con gran pa-
„ zienza acerbi dolori, per una inſanabile infermità paſsò al
„ cielo l'anno 1499. adi 29. Marzo, il Venerdì Santo la mat-
„ tina quando ſi predicava; dicendo: *Ecce quod concupivi*
„ *jam video*; Et in eſſa ora il P. D. Agoſtino, predicando
„ nella Chieſa della Carità, ſentendoſi rapire ſopra ſe ſteſſo,
„ pre-

„ pregò li auditori che ſopraſteſſero, e dopo alcun interval-
„ lo ritornato in sè, diſſe, Populo mio ſappiate, che in queſt'
„ ora la benedetta anima dell' Abbadeſſa di S. Servolo è vo-
„ lata al Paradiſo. Finita la predica e mandato al Monaſte-
„ rio fu conoſciuto così eſſere la verità.

Ex eodem codice Cœmeteriali addiſcimus Alexandrum VI. Apoſtolico diplomate ipſo anno MID. die III. Octobris dato ſtatuiſſe, ut Abbatiſſæ regimen, quod in Monaſterio S. Servuli ad electæ vitam perdurabat, in poſterum ad triennium contraheretur, in cujus Pontificii Decreti obedientiam Domitilla Maripetro prima triennalis Abbatiſſa conſtituta fuit. Ipſi ſucceſſit deinde Nicoloſa ex Gente Caborſa Mothonenſis patria, quæ ab Antonio Suriano in munere confirmata, ad reformationem deinde Monaſterii S. Joannis Lateranenſis delecta fuit, ad quam Eccleſiam ipſius geſta, & virtutes fuſius exhibentur. Eo in loco, usque ad initia ſæculi XVII. permanſerunt Sanctimoniales, cum verò ex longi temporis injuria laxatæ ædes jam ad ruinam vergerent, a Monaſterii Procuratoribus de Monialibus alio deducendis conſultum eſt. Eccleſiam, & domum S. Mariæ de Humilitate, non multo pridem vacuam dimiſerant Patres Societatis Jeſu, qui exortis inter Paulum V. Pontificem, & Venetam Rempublicam controverſiis ex urbe diſceſſerant. Quapropter eam opportunitatem nacti Procuratores Monaſterii, facultatem a Veneto Senatu impetrarunt anno MDCXV. die XXVII. Junii, ut Sanctimoniales Divi Servuli, è ruinoſis ædibus eductæ in tutiori loco collocarentur. Ad Humilitatis Monaſterium itaque deductæ die IV. Julii ejuſdem anni MDCXV. ad novam Eccleſiam, ſacras quoque Divorum exuvias in Inſula S. Servuli pridem excultas deduxerunt, Corpus nempe S. Leonis Epiſcopi, Crus S. Servuli Martyris, atque os Coxæ Sancti Baſſi Epiſcopi & Martyris, quod quidem ſacrum os ex vetuſtiſſima SS. Baſſi & Leonis Methamaucenſi Eccleſia, ad ſibi conceſſum Sancti Servuli Monaſterium Sanctimoniales deduxiſſe traditum eſt.

Vacua habitatoribus exinde permanſerunt Sancti Servuli ædificia, donec anno MDCXLVI. in fatali Regni Cretenſis clade Sanctimoniales, quæ in Urbe Cretæ, Sanctorum Benedicti, Auguſtini, Dominici, & Franciſci inſtituta profeſſæ fuerant ad Venetiarum Urbem veluti ad ſecuritatis aſylum appul-

appulſæ, locum hunc ipſum ex S. C. decreto acceperunt, in quo publica, & privata pietate alimonias ſubminiſtrante vixerunt.

Iis autem morte ſublatis, univerſa Inſulæ ædificia publicis impenſis reſtaurata ad Hoſpitalis uſum quo ægri milites recipiantur, ex S. C. convertuntur anno MDCCXV: cujus cura piiſſimæ Religioni Fratrum Hoſpitalitatis a S. Joanne de Deo in Hiſpaniis erectæ Senatu jubente demandata fuit, cumque deinde, quanto animarum, corporumque profectu infirmis militibus ii religioſi viri deſervirent, experientia innotuiſſet, ut ibidem in perpetuum ſedem figerent ex ſequenti S. C. ſancitum fuit.

1733. 27. Zugno.

„ Concorde il ſentimento de' Magiſtrati e Conſultori, che per „ conſiderabile vantaggio rilevato alla cura degl' Infermi Soldati, „ dalla carità e perita aſſiſtenza de' Chierici Oſpitalieri dell' „ Ordine di San Gio: di Dio, con ſenſibile profitto anche „ della Publica economia, riportato dal 1715. dopo la loro „ introduzione riſpetto al maggior diſpendio dell' avanti, con„ venga eſaudire l' oneſte iſtanze di queſti, anche per aſſicu„ rare fermo, e ſtabile il ſoccorſo di detti infermi Soldati, „ l' impiego di queſta utile Religione, ſia per autorità di que„ ſto Conſiglio, ſtabilito per ſempre ai Religioſi ſudetti l'uſo „ d' eſſa Iſola di San Servolo, della Chieſa e fabriche ſopra „ di quella eſiſtenti e fondo anneſſo, perchè ivi abbiano a „ ſtabilire la loro Conventualità, con un pieno numero di „ dodeci, che per ora saranno chiamati dagl' Oſpitali foreſtie„ ri del ſuo inſtituto, e mantenere in progreſſo dalla veſti„ zione e profeſſione di ſuditi, che dovranno occuparſi nell' „ occorrenze di queſte parti, Levante, e Dalmazia, dipenden„ temente dalle pubbliche commiſſioni &c.

Ad hoc Sancti Servuli Monaſterium Othonem hujus nominis III. Imperatorem, *ignotum cum ſex tantummodo ſibi ſecretis applicuiſſe*, ut cum Petro Urſeolo II. Venetorum Duce, *ſibi dilecto*, de relatis triumphis congauderet teſtatur Dandulus in Chronico lib. IX. cap. I. par. XXIII. Ex cujus pariter Chro-

Chronicæ lib. VIII. cap. I. par. VII. addiſcimus Joannem Sancti Servuli Abbatem, jam ſuperius enuntiatum, in Sedem Fortunati Patriarchæ Gradenſis, *qui in Franciam contra Venetorum voluntatem remeaverat*, intruſum fuiſſe, qui tamen ut deinde par. XXIII. habetur: *Fortunato cum Venetis pacificato ad ſuum rediit Monaſterium*, ex quo deinde concedente Angelo Duce ad Sancti Hilarii locum *cum Monachorum caterva* transmigravit.

Raynerius Geno Dux Venetiarum exemplari jubet privilegium, quo Duces Particiaci conceſſerunt Inſulam & Monaſterium S. Hilarii Monachis degentibus in Inſula S. Servuli.

A. 819. Maii Conceſſum.

1254. 25. Novembris Exemplatum.

Ex Archivo Patriarcali.

IN Nomine Dei eterni amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1254. Menſ. Novemb. die XI. exeunte Ind. XIII. Rivoalti. Cum rebus publicis preſideamus, equitati omnium providere debemus, quatenus quod juſtum eſt, perficere valeamus. Nos igitur Raynerius Geno Dei gratia Venetiarum Dalmatiæ & Chroatiæ Dux. cum in noſtro palatio reſideremus cum noſtris pertractantibus, & unicuique petenti juſtitiam legaliter diffinientibus venit ante noſtram noſtrorumque Judicum præſentiam Religioſus Vir & Vener. Leo Abbas Dei gratia Monaſterii SS. Hillarii & Benedicti Caſtellanæ Dioceſis, & oſtendit nobis unum exemplum hunc habemus modum. In Nomine Domini Noſtri Jeſu Criſti, Menſe Madii Indict. XII. Rivoalti. Sanctarum Eccleſiarum ſemper vigili cura oportet ſatagere, maxime illis, quorum poteſtas eminet de omnibus eſt providere conſultum. Quoniam quidem Johannes Venerabilis Abbas Monaſterii S. Servuli, cum caterva ſui cenobii poſtulavit noſtra ſuffragia eo quod in loco anguſto conſtituti, & infra paludes manentes Deo Chriſto deſervirent, poſſeſſionibus carentes, unde victui neceſſaria ſubminiſtrarent, poſtulantes ut ob Chriſti, & Sanctorum amorem (a) ſubſidium, & juvamen ad hoc impartiremus. Atque ideo nos quidem Agnellus (b), & Juſtinianus, per divinam gratiam Venetæ Provinciæ Duces una cum Reverendiſſimo D. Fortunato Sanctæ Gradenſis & Aquilejenſis (c) Eccleſiæ Patriarcha ſeu Chriſtophoro Ven. Epiſcopo S. Olivolenſis Eccleſiæ, atque univerſis Venet.

(a) In Danduli additur *eisdem*.
(b) In Dandulo *Angelus* fortaſſe ob errorem Amanuenſis.
(c) Cum Gradus eo tempore vocaretur nova Aquileja, idcirco Fortunatus dicitur Patriarcha Sanctæ Gradenſis, & Aquilejenſis Eccleſiæ.

net. populis habitantibus plebe Chriſto dilecta ejusque pretioſo ſanguine aquiſita. Quapropter Nos pro divino amore, ac noſtræ anime ſive parentorum noſtrorum ſalute pari ac ſalubri conſilio tractantes, cogitantes cogitavimus, qualiter eumdem Dei ſervum Johannem nomine Presbyterum & Monachum, atque Abbatem cum ſe conjunctis (a) Fratribus de predicta Eccleſia B. Chriſti Martyris Servoli transferentes quo loco transmutare deberemus, vel quo ordine vivendi pacifice perpetualiter ponere poſſemus, ad noſtram devenit memoriam, ut Capellam quamdam in honorem B. Hilarii Confeſſoris Chriſti, ſuper fluvium Himæ, quod dicitur Hune (b) ad jura proprietatis noſtræ cum ſuo territorio conſtructam ſibi concedentes, quieto vivere poſſent tramite, eo ordine (c) quo decet B. Benedicti Regulam; Ita tamen ut ipſa ſupradicta Eccleſia B. Chriſti Martyris Servoli, in ſua ac ſuorum ſucceſſorum perpetualiter remaneat poteſtate & cuſtodia, ſuoſque Monachos ſive Clericos ibi conſtituant adiurnum ſive nocturnum peragendum offitium, & quicquid ad ſuorum uſum neceſſe habuerint ipſis vel ſucceſſoribus eorum eis ſubminiſtrarent, ipſis eis perpetualiter reſpondeant. Conceſſa igitur prædicta Capella B. Hilarii Confeſſoris Chriſti cum ſuis territoriis finibus ac terminibus cum omnibus appendiciis, vel adjacentiis ſuis, quod eſt ſuper totum circumdatis lateribus ideſt a flumine, qui dicitur Clarino percurrente usque in canale, qui dicitur Gambararia, & inde in foſſa, quæ dicitur ruga ac deinde in canale de luna percurrente in ſeuco, & usque in paluntibus aquis ſalſis. Similiter a prædicto flumine Clarino deſcendente ad locum ubi dicitur Avvilia, & finalibus deſcendente per canale qui dicitur Aviſa perexiente in ſupradicto flumine hune, ac deinde percurrente usque in pallutibus ſimiliter tribus millibus aquis ſalſis. Hæc autem noſtra crevit voluntas per remedium animæ noſtræ ac parentum noſtrorum ſalute, ut predictam Capellam B. Hilarii Confeſſoris Chriſti, cum ſuis ſupradictis territoriis terminibus perpetualiter maneant ad uſum, & ſubſtentationem Monachorum, qui nunc modo in præſenti, vel in poſterum pro futuris temporibus perpetualiter ordinandi ſunt, & ſub illorum vel de ſucceſſorum illorum in perpetuum poteſtate maneat ordinandi, & diſponendi absque omni noſtrûm vel heredum noſtrorum contrarietate aliqua. Et placuit Nobis, & omnis poteſtatis noſtris fidelibus, ut omnis pertinentias eorum in finibus noſtris conſiſtentibus ſit quieta & libera ab omni factione publica tam de noſtris molenariis, quam de piſcatoribus ſive colonis ubique reſedentibus, ita ut nullus de publicis noſtris Gaſtaldis, vel aliquid de noſtro palatio miſſis ſupradictis noſtris audeat inquietare, vel moleſtare aut in Angaria mittere, aut exenia aliqua ab eis exigere, ſed absque omni moleſtia nobis ſervire concedat. Iterum ergo placuit nobis interdicere noſtræ Gradenſis Sedis Patriarchalis, ſive noſtris Rivoaltenſis Sedis Epiſcopis, ut nullum nobis invicte ad concilium trahere audeant, nec ullam angariam, vel prandia aut exenia a vobis requirere liceat aliqua; ſed absque omni moleſtia vel quæſtione liceat vos Regulari lege utere, contradicimus etiam illis, ut de omnibus, quæ ſub Veſtri ſunt poteſtate regiminis Monachum aut Clericum, aut confamiliare, quem vos nutare niſi fueritis, ſuſcipere vel defendere non preſumant. Unde & adjuramur, & obteſtamur per terribilem nomen Dei Omnipotentis, omnes ſucceſſores noſtros, ut quod pro amore cœleſtis Patris, & exemplum boni operis, & augmentum S. Congregationis devota mente conceſſimus, nullus umquam audeat violare. Et qui contempſerit, & contra hæc privilegiis feriem

(a) In Dandulo *cum ſuis Fratribus*.
(b) *Quod dicitur Hune*: hæc verba non reperiuntur in Chronica Danduli.
(c) In Dandulo *& ordine*.

ſeriem ambulare voluerit primitus in Dei Omnipotentis iram incidat, & a Congregatione Sanctorum ſeparari valeat, & cum Juda traditore Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & lepram Namaam Siri incurrat, ſuper eam portionem ſuam ponat, & voluntatem ſuam numquam adimpleat. Quem vero privilegii textum ſcribere præcepimus Dimitrium tribunum Notarium noſtræ Capellæ Primicerius ubi & manus noſtras ſubtus affirmavimus in menſe & Indictione ſubſcripta feliciter.

✠ Fortunatus Miſericordia Dei Patriarcha in hac privilegii carta ſicut ſuperius legitur m. m. ſubſcripſi.

✠ Agnellus Dux in hac privilegii carta ſicut ſuperius legitur m. m. ſubſcripſi.

✠ Chryſtophorus Dei gratia Epiſcopus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Juſtinianus Dux Venetiarum in hac privilegii cartula ſicut ſuperius legitur m. m. ſubſcripſi.

✠ Petrus Peccator presb. ſerviens Monaſterii B. Georgii (a) hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Johannici Tribunus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Valentinus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Leomanus Talonicus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Saunius Talonicus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Stephanus Talonicus in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Bonus Clentuſius in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Agnellus Clentuſius in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

✠ Gregorius Catimi in hac privilegii carta m. m. ſubſcripſi.

Iſte eſt exemplo de tumo vetere. Ego Petrus Subdiacon. atq. Not. exemplavi. In anno Incar. Domini Noſtri Jeſu Chriſti 98. nec ampliavi, nec minui Deo ſolo teſte hoc totum continebatur in ſupraſcripto exemplo & queſivit ſupraſcriptus Leo Abbas instanter ſupraſcriptum exemplum a nobis & lege ſibi in matrem firmari, & talem ſibi dari poteſtatem per noſtræ notitiæ cartam, qualem ejus mater haberet. Cui noſtri dixerunt Judices, quod ſi ipſe volet jurare vel evangelia ſancta Dei, quod ſupraſcriptum exemplum ſecundum ſuam conſcientiam de bona matre exiſſe, & quod ejus Mater ita & perdita erat, quod eam habere non poterat, & quod ſi umquam Mater (b) ſupraſcripti exempli ad ejus manus deveniret, ipſam matrem, aut hanc noſtræ notitiæ diudicatus cartam ſic incideret vel dilaniaret, quod nullum erit valentiæ vel vigoris prædictum exemplum ſibi in matrem firmari faceret, & talem ei dari poteſtatem per noſtræ notitiæ diudicatus cartam qualem cum matre haberet. qui acceſſit & prout noſtri judices dixerunt, ſic eſſe verum ſecundum ſuam conſcientiam, & ſe obſervaturum ad evangelia ſancta Dei juravit. Tantæ igitur certitudinis oſtenſione coram Nobis noſtriſque Judicibus facta dixerunt noſtri Judices per legem, & judicium, ut ſupraſcriptum exemplum eidem Abbati deberemus in matrem firmare, & talem ei dare poteſtatem per noſtræ notitiæ diudicatus cartam qualem cum matre haberet. Ex judicio igitur noſtrorum Judicum, & noſtra confirmatione ſupraſcriptum exemplum præfato abbati in matrem firmavimus; & talem ei damus poteſtatem per hanc noſtræ notitiæ diudicatus cartam qualem cum matre haberet. Si quis igitur huic noſtræ notitiæ diudicatus cartæ obviare præſumpſerit ſciat ſe cum ſuis heredibus & ſucceſſoribus compoſiturum auri

(a) Monaſterium S. Georgii cui inſerviebat Petrus vir eximiæ humilitatis, erat Monaſterium S. Georgii de Pineto in Diœceſi Equilina poſitum, juriſdictioni tamen Patriarchæ Gradenſi ſubjectum, ut jam notavimus ad Eccleſiam S. Silveſtri; Monaſterium enim S. Georgii Majoris nondum ædificatum fuerat. Presbyter ſerviens idem importat ac Capellanus.

(b) Mater nempe autographum.

auri libre x. medietatem camere noſtrii palatii, & aliam medietatem ſupraſcripto Abbati & ſucceſſoribus ejus, & hac noſtræ notitiæ diudicatus carta in ſua permaneat firmitate.

✠ Ego Rainerius Geno Dei gratia Dux m. m. ſubſcripſi.

✠ Ego Jacobus de Luno Judex m. m. ſubſcripſi.

✠ Ego Marcus Quirino Judex m. m. ſubſcripſi.

✠ Ego Marcus Presbiter Plebanus Sancti Geminiani Not. & Ducal. aul. Venet. Cancell. compl. & roboravi.

In Nomine Domini noſtri J. C. Amen. an. Nat. ejuſd. 1308. Ind. v. die xxi. Menſis Feb. hoc exemplum ex autentico per me ſubſcriptum Joannem Plumatio notarium ſumptum fuit, per me & alios ſubſcriptos notarios diligenter aſcultatum, & inſinuatum in præſentia Reverendi Patris Domini Urbani, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Gradenſis Eccleſiæ Patriarchæ Venetiis in ipſius Patriarchali palatio, & quia idem Reverendus Pater Dominus Patriarcha, repperit illud cum autentico concordare in ipſius exempli plenam fidem, & teſtimonium ſuam auctoritatem interpoſuit, & decretum mandans illud ſui ſigilli, quo præſentialiter utitur appenſione muniri.

Ego Guilielmus Philippi de Clarutis publicus auctoritate imperiali Notarius hoc exemplum cum infraſcriptis Johanne Guido, Gerardo de Guanzonibus, Johanne Plumatio publicis imperiali auctoritate Notariis ad autenticum ſupraſcriptum coram prefato Reverendo Patre Domino Urbano Patriarcha Gradenſi diligenter aſcultavi, & quia utrumque concordare inveni, de ipſius Domini Patriarchæ mandato in ejuſd. exempli plenam fidem & teſtimonium me ſubſcripſi.

Ego Joannes Vido q. ſ. Bertucii de Venet. publicus imperiali auctoritate Not. hoc exemplum cum ſupraſcripto Guilielmo Philippi & infraſcriptis Gerardo de Guanzonibus & Joanne Plumatio publicis imperiali auctoritate Notariis ad autenticum ſupraſcriptum coram Reverendo Patre Domino Urbano Patriarcha Gradenſi diligenter aſcultavi. Et quia utrumque concordare inveni de ipſius Domini Patriarchæ mandato in ejusdem exempli plenam fidem & teſtimonium me ſubſcripſi.

Ego Gerardus de Guanzonibus Venet. Civis filius q. Domini Ubertii Pub. Imperiali auctoritate Not. hoc exemplum cum ſupraſcriptis Guilielmo Philippi, & Johanne Vido, ac infraſcripto Johanne Plumatio Publicis Imperiali auctoritate Notariis ad autenticum ſupraſcriptum coram prefato Reverendo Patre Domino Urbano Patriarcha Gradenſi diligenter auſcultavi. Et quia utrumque concordare inveni, de ipſius Domini Patriarchæ mandato in ejusdem exempli plenam fidem & teſtimonium me ſubſcripſi.

Ego Joannes Plumatio filius q. Bertucii de Venet. Pub. Imperiali auctoritate Not. Hoc exemplum ex autentico fideliter ſumpſi, & poſtmodum in preſentia prefati Rev. Patris Dom. Urbani Patriarchæ Gradenſis cum ſupraſcriptis Guilielmo Philippi, Johanne Vido, & Gerardo de Guanzonibus Notariis cum ipſo autentico aſcultavi. Et quia utrumque concordare inveni ipſius Domini Patriarchæ mandato ad ejuſdem exempli plenam fidem & teſtimonium me ſubſcripſi.

Petrus

Petrus Abbas Sancti Hilarii donat Monialibus Sancti Baſſi, & Sancti Leonis de Methamauco Inſulam Sancti Servuli ad inhabitandum.

B

1109. Februarii.

Ex Archivo Monaſterii S. Mariæ de Humilitate.

IN nomine Dei & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Amen anno Domini 1109. Menſe Februarii Indict. 11. Rivoalti. Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, charitatis effectu, ex debito fraternitatis exhibere, neceſſitatibus indigentium ſubvenire, omnimode commonemur. Propter multas perturbationes, & maris pericula, quibus habitaculum veſtri Monaſterii quotidianis defectibus inminuere videmus, Sanctorum Patrum auctoritate ſuffulti Nos quidem Petrus gratia Dei Abbas Monaſterii S. Hilarii, & Benedicti cum confratribus noſtris, conſentiente nobis Domino Ordelafo Faletro glorioſo Duce noſtro, cum noſtris ſucceſſoribus ab hodie in antea per hanc noſtre conceſſionis cartam damus, atque concedimus vobis Vitæ filiæ q. Joannis Maranghi Abbatiſſæ S. Baſſi & Sancti Leonis Confeſſoris, & omnibus veſtris Monialibus & Sororibus, & veſtris ſucceſſoribus in perpetuum, videlicet Eccleſiam Sancti Servuli cum toto ſuo territorio, quę Eccleſia cum toto ſuo territorio eſt de jure, & Poſſeſſione prædicti noſtri Monaſterii antiquis temporibus, ſicut eſt iſta in capite Aquarioli juxta canalem orphani. Hanc autem prenominatam & deſignatam Eccleſiam Sancti Servuli cum toto ſuo territorio & tota ſua Cella, (a) & domibus, & caminatis, (b) & cunctis ſuis edificiis petrineis, & ligneis, & vinea, & aquis & ciminiis (c) Sanctorum, & omne ornamentum ipſius Baſilicæ, ſcilicet paliis ſericis, lineis, nec non & libris diurnalibus, & nocturnalibus cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis ab intus, & foris in veſtra, & ſucceſſarum veſtrarum damus atque contradimus pleniſſimam poteſtatem habendi, tenendi, cultandi, ordinandi, meliorandi, diſponendi, regendi, judicandi, minime tamen alienandi ſupraſcriptis omnibus. Ita tamen, quod nos prefactum Monaſterium Sancti Baſſi in ſupraſcriptam noſtram eccleſiam transmutari debeatis. In qua prædicta Eccleſia Dei & omnibus ejus pertinentiis liceat vos cohabitare, & convivere, & offitium diuturnale, & nocturnale ibi facere debeatis. Inſuper promittimus, quod nullum hominem ſupra nos, nec ſub nobis nec parem nobis in ſupraſcripta Dei Eccleſia vel Cella, aut in omnibus ejus pertinentiis ullo modo ordinare preſumemus, non Præsbiterum, vel Diaconum, non Clericum, vel Laicum, non Monacham vel Laicam; concedimus etiam vobis ſi aliquid per vota vel oblationes veſtris laboribus, & orationibus habere poteritis in veſtra eſſe debeat poteſtate. Tradimus etiam

(a) Cella, nempe Monaſterium alteri Monaſterio majori ſubjectum. Conſulantur Mabillonius in Annalibus Benedictinis, Thomaſinus de veteri Eccleſiæ diſciplina, & Cangius in Gloſſario.

(b) De Caminatis & Caminis alibi diximus conclaves eſſe ſeu Cœnacula, in quibus extant Camini.

(c) Ciminiis nempe Cœmeteriis.

vobis omnia monumenta, quæ modo ibi ſunt, vel quæ in antea ibi fieri permiſeritis, ut omnia ſint in veſtra poteſtate pleniſſima, ad faciendum quidquid vobis placuerit eo ordine, ut ſupra legitur. Quod ſi ullo umquam tempore contra hanc conceſſionis cartulam ire preſumſerimus, & ab omnibus hominibus vos indefenſare noluerimus, aut non potuerimus tunc componere promittimus cum noſtris ſucceſſoribus vobis & veſtris ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc conceſſionis charta in ſua ſemper firmitate maneat.

Ego Joannes Gradenigus D. G. Gradenſis Patriarcha manu mea ſubſcripſi.
Ego Ordelaphus Faletro D. G. Dux mea manu ſubſcripſi.
Ego Petrus Abbas propria m. m. ſcripſi.
Ego Joannes Maurocenus m. m. ſubſcripſi.
Ego Andreas Michael Judex m. m. ſubſcripſi.
Ego Vitalis Polanus m m. ſubſcripſi.
Ego Joannes Maurocenus m. m. ſubſcripſi.
Ego Dominicus Maurocenus m. m. ſubſcripſi.
Ego Dominicus Baduarius deſpinale Judex m. m. ſubſcripſi.
Ego Petrus Mauro Judex m. m. ſubſcripſi.
Ego Dominicus Prior m. m. ſubſcripſi.
Ego Petrus Contarenus m. m. ſcripſi.
Ego Joannes Diaconus propria manu firmavi.
Ego Taniſius Præsbiter m. m. ſubſcripſi.
Ego Lazarus propria manu firmavi.
Ego Dominicus Michael m. m. ſubſcripſi.
Ego Marcus Præsbiter m. m. ſubſcripſi.
Ego Rizoli propria manu firmavi.
Ego Gregorius Præsbiter m. m. ſubſcripſi.
Ego Dominicus Zianus Monachus m. m. ſubſcripſi.
Ego Presbiter Hieronymus m. m. ſubſcripſi.
Ego Joannes Daravenna m. m. ſubſcripſi.
Ego Petrus Diaconus m. m. ſubſcripſi.
Ego Paulus Diaconus propria m. ſubſcripſi.
Ego Lazarus Clericus m. m. ſubſcripſi.
Ego Natalis Diaconus manu propria ſubſcripſi.
Ego Joannes Clericus m. m. ſubſcripſi.
Ego Ludovicus Diaconus propria manu firmavi.
Ego Pantalino m. m. ſubſcripſi.
Ego Ardengus m. m. firmavi.
Ego Aimericus m. m. firmavi.

Ego Urſo Presbyter & Notarius complevi, & notavi, & roboravi.

Pe-

Petrus Ziani Arbenſium Comes donat Monaſterio S. Servuli domos poſitas in confinio S. Joannis de capite Rivialti.

C 1205. Aprilis.

Ex Archivo Monaſterii S. Mariæ de Humilitate.

IN Nomine Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti. Anno Domini 1205. Menſis Aprilis, Indictione VIII. Rivoalti. Si quis de ſuis facultatibus Deo, & Sanctis Eccleſiis dare vel offere deſiderans, Deo concedente, perficitur, magnam in Dei filii remunerationem in die Judicii acquirit, quam enim ab æterno Remuneratore certe ſperat conſequi. Qua propter Ego Dominus Petrus Ziani Arbenſium Comes, filius q. Domini Sebaſtiani Ziani Ducis cum meis heredibus, quam Divino ſcilicet amore pro remedio animæ meæ ſive parentum meorum ab hodie in antea in Dei Chriſti nomine do, dono, atque offero Deo Vitæ Abbatiſſæ dicti Monaſterii illas meas proprietates terrarum, & caſarum petrinearum, quæ ſunt poſitæ in confinio S. Joannis de capite Rivialti, quæ firmant unum earum caput in canale, & alterum firmat in calle communi ſupraſcriptarum proprietatum, & proprietatum Jacobinæ relictæ Petri Viadri, ab uno latere firmant in calle majori communi, quæ diſcurrit in ſupraſcripto canale, & ab alio firmant in una terra vicinorum, quæ poſita eſt inter ſupraſcriptas proprietates, & alias proprietates, quæ ſunt ex altera parte, quas dedi, & obtuli Monaſterio S. Laurentii. Quæ terra ſemper aperta, & diſcoperta, atque diſocupata permanere debet ad utilitatem, & comodum ſupraſcriptarum omnium proprietatum, quæ ſunt ex una, & ex alia parte. Has autem ſupraſcriptas, & deſignatas proprietates terrarum, & caſarum cum omni earum longitudine, & latitudine, cum capitibus, & lateribus ſuis, cum callibus, & viis ſuis, & cum acceſſu, & egreſſu earum pro terram, & pro aquam cum omni vigore, & robore de omnibus cartis novis, & veteribus ad has proprietates pertinentibus, atque cum omnibus earum habentiis, & pertinentiis, & adiacentiis do, dono, atque offero ſupraſcripto Monaſterio S. Servuli habendi, tenendi, dominandi, & in perpetuum poſſidendi, nullo ſibi homine contradicente, ita tamen, quod ullo umquam tempore debeant vendi, nec impegnari, nec alienari aliquo modo, vel ingenio, ſed perpetualiter in poteſtate & dominio ſupraſcripti Monaſterii permanere debeant. Tu vero prædicta Abbatiſſa, & omnes tui ſucceſſores cum Monachabus prædicti Monaſterii in perpetuum pro ſingulos annos Anniverſarium mihi poſt obitum meum, quando fuerit, & ſupraſcripto Domino Sebaſtiano Ziani patri meo in medio Menſis Aprilis, & Dominæ Troigæ matri meæ in die S. Georgii, & Jacobo fratri meo Ziani in die S. Stephani Prothomartiris, & Mabiliotæ ſorori meæ in medio Menſis Auguſti facere debeatis cum Miſſa. Quod ſi unquam ullo tempore contra hanc ſententiæ donationis, & offertionis cartam per aliquod ingenium ire temptaverit, componere permitto cum ſuis heredibus ſupraſcripto Monaſterio S. Servuli, aut Abbatiſſæ ſibi, & eorum ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc donationis, & offertionis carta in ſua firmitate permaneat.

Ego Petrus Ziani Comes manu mea ſubſcripſi.
Ego Dominicus Barocci teſtis manu mea ſubſcripſi.
Ego Rainiero Campulo teſtis manu mea ſubſcripſi.

L. S. Ego Andreas Eliodorus Presbiter, & Notarius complevi, & roboravi.

In

In nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Anno Domini 1212. Menſis Julii Indictione xv. Rivoalti. Teſtificor ego Avanzus Miniſterialis Curiæ Palatii, quod die nono exeunte ſuſcripto menſe propter preceptum Domini noſtri Petri Ziani Incliti Venetiarum Ducis, & per legem Judicum inveſtivi ſine proprio ad nomen Monaſterii Sancti Servuli illas proprietates terrarum & caſarum petrinearum, quæ ſunt poſitæ in confinio S. Joannis de capite Rivialti, quæ firmant unum ſuum caput in canale, & aliud firmant in calle communi ſupraſcriptarum proprietatum, & proprietatum Jacobinæ relictæ Petri Viadri ab uno latere firmant in calle majori communi, quæ diſcurrit in ſupraſcripto canale, & ab altero firmant in una terra vacua, quæ poſita eſt inter ſupraſcriptas proprietates, & alteras proprietates, quæ ſunt ex altera parte, quas idem Dominus Dux dedit, & obtulit Monaſterio Sancti Laurentii eo tempore, quo Arbenſium Comes erat, propter unam donationis, & oblationis cartam factam anno Domini 1205. Menſis Aprilis, Indictioni VIII. Rivoalti. Quam eidem Monaſterio S. Servuli fecit ſupraſcriptus Dominus Dux eo tempore, quo Comes erat Arbenſium, propter quod tempore Dominæ Vitæ Abbatiſſæ prefacti Monaſterii S. Servuli ſupraſcriptas, & prædeſignatas proprietates dedit donavit, & obtulit ſupraſcripto Monaſterio S. Servuli & ut in ea legitur. Ad hoc teſtificamur Nos Jacobus Georgio de confinio S. Juſtinæ, & Martinus Trono de eodem confinio S. Juſtinæ, quia nos tunc fuimus cum ſupraſcripto Miniſteriale, quando per legem judicum de ejuſdem Domini noſtri ducis praecepto inveſtivit ſupraſcriptas, & deſignatas proprietates ad nomen ſupraſcripti Monaſterii S. Servuli per ſupraſcriptam donationis, & oblationis cartam. Hoc proteſtamus, dicimus, ſignum ſupraſcripti Avanzi Miniſterialis, qui hoc rogare fecit.

Ego Jacobus Georgius Judex manu mea ſubſcripſi.
Ego Marinus Trono Judex manu mea ſubſcripſi.
Ego Benedictus Grilioni Judex manu mea ſubſcripſi.

L. S. Ego Nicolaus Girardi Presbiter & Notarius complevi, & roboravi.

In Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti 1261. Menſis Novembris die 15. Indictione v. Rivoalti. Teſtificor ego Joannes Vivianus Miniſterialis Curiæ Palatii, quod die quintadecima intrante ejuſdem menſis propter præceptum Domini noſtri Raynerii Zeni inclyti Venetiarum Ducis, & per legem Judicum Examinatorum inveſtivi ad proprium ad nomen Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii S. Servuli illas proprietates terrarum, & caſarum petrinearum, quæ ſunt poſitæ in confinio S. Joannis de capite Rivialti, firmant unum ſuum caput olim in canale, nunc vero in via communi, & aliud firmant in calle communi ſupraſcriptarum proprietatum, & proprietatum q. Jacobinæ relictæ Petri Viadri, ab uno latere firmant in calle majori communi, quæ diſcurrit in ſupraſcripto canale, & ab alio firmant in una terra vacua, quæ poſita eſt inter ſupraſcriptas proprietates, & alias proprietates, quæ ſunt ex alia parte, quas Dominus Petrus Ziani, tunc Comes Arbenſium, & filius q. D. Sebaſtiani Ziani Ducis dedit, & obtulit Monaſterio S. Laurentii, quæ terra ſemper aperta & diſcoperta, atque diſocupata permanere debet ad utilitatem, & commodum ſupraſcriptarum omnium proprietatum, quæ ſunt ex una, & ex alia parte, propter unam donationis, & oblationis, cartam teſtificationis, & roboris factam anno Domini 1205. Menſis Aprilis Ind. VIII. Rivoalti, quam fecerat

rat ſupraſcriptus Dominus Petrus Ziani, tunc Comes Arbenſium, & filius q. D. Sebaſtiani Ziani Ducis cum ſuis hæredibus pro divino ſcilicet amore & remedio animæ ſuæ, & parentum ſuorum ab illo die in antea in Dei, & Chriſti nomine dedit, donavit, atque obtulit Deo, & Monaſterio S. Servuli omnibus præfuturis temporibus in perpetuum poſſidendi, & dominandi tempore Dominæ Vitæ Abbatiſſæ ejuſdem Monaſterii ſupraſcriptas, & prædeſignatas proprietates, ut in ea legitur & ad hoc teſtificamur Nos Girardinus Longo filius q. Nicolai Longo de confinio S. Thomæ, & Joannes Triviſanus de confinio S. Joannis Evangeliſtæ, quod tunc ad Curiam fuimus, quando ſupraſcriptus Dominus Dux per legem Judicum Examinatorum ſupraſcriptam inveſtitionem ad proprium poni præcepit, & cum eodem Miniſteriali adfuimus, quando ipſe de mandato ſupraſcripti Domini Ducis, & per legem Judicum Examinatorum dictam inveſtitionem ad proprium poſuit ad nomen ſupraſcriptæ Abbatiſſæ & conventus dicti Monaſterii S. Servuli propter ſupraſcriptam donationis & oblationis cartam. Hoc per teſtimonium dicimus. Signum ſupraſcriptorum Joannis Viviani Miniſterialis, & Girardini Longo, atque Joannis Triviſani teſtium, qui hæc rogaverunt fieri.

Ego Marcus Dandulo Judex Examin. m. m. ſubſcripſi.

Ego Paulus Blundo Presbyter Plebanus S. Angeli & Notarius complevi & roboravi.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI BASSI EPISCOPI, ET MARTYRIS.

FAbuloſam de fundatione S. Baſſi Venetiarum enarrationem contexuit Paulinus Fiamma Ordinis Cruciferorum Sacerdos, eamque in libello inſeruit cui titulus *Vita di S. Leone Veſcovo di Modone*, Venetiis typis vulgato per Joannem Antonium Julianum anno *1646*. Rem ex ipſo authore exhibemus additis tamen adnotationibus, quibus fallacia manifeſte detegatur.

„ Dall'Iſola di Samo nell'Arcipelago, portato queſto ſa-
„ cro corpo (*a*) in una nave di mercanti Veneziani, appro-
„ dati al porto di Venezia, il Veſcovo di Malamoco all'ora
„ Città e reſidenza de' Dogi, pregò che lo laſciaſſero: di che
„ fu graziato, e fu ripoſto nella Chieſa di S. Baſſo di Mala-
„ mo-

(*a*) De corpore Sancti Leonis Epiſcopi loquitur, quod ex Inſula Samo Veneti nautæ detulerunt Venetias, de quo ad Eccleſiam S. Servuli dictum eſt Operis hujus Tom. v. pag. *91*.

„ moco. Era di Monache Beneditine. Succeduta la guerra
„ di Pipino, (*a*) indi gli Abitanti di Malamoco ridottiſi all'
„ Iſola di Rialto, così fecero anche le Monache di S. Baſſo,
„ le quali perciò ebbero un luogo dai Participacii, per fa-
„ bricarſi una Chieſa, & un Monaſtero ch' è tutt' ora dove
„ ſi trova il tempio a queſto Santo conſacrato. Ma eſſendo
„ abbruciato l'anno 1106. (*b*). ſotto Ordelaſo Faliero Doge,
„ la Chieſa e il Monaſtero delle Monache di S. Baſſo, ſtan-
„ doſene per tre anni afflitte, come meglio puotero gli riu-
„ ſci in fine aver l'Iſola di S. Servolo, dove ſi riduſſero col
„ corpo del Santo predetto l'anno 1109. (*c*).

Fallaci itaque commento, quod contemni potius, quam impugnari expediebat, penitus exploſo, Eccleſiam Divo Baſſo Epiſcopo

(*a*) Anno octavo Caroli Imperatoris æræ videlicet vulgaris DCCCIX. ut in Danduli Chron. lib. VIII. cap. XV. par. XXX. *Pipinus Italiæ Rex, cum exercitu ad Venetiæ Provinciam ſubjugandam per littora venit, quo tempore Veneti Methamaucenſi urbe relicta in Rivoaltum venerunt*. Belli hujus tempore accidiſſe aſſerit Fiamma Sanctimonialium Divi Baſſi transmigrationem, quod aperte repugnat iis, quæ a Dandulo referuntur lib. IX. cap. XI. par. X. ubi ait Abbatiſſam, & Moniales Sancti Leonis, (idem ac S. Baſſi, Monaſterium hoc etenim, ut alibi diximus, duplici SS. Baſſi & Leonis vocabulo nuncupabatur,) proximam ſuis ædibus ruinam ex maris alluvie imminere cernentes anno MCVII. ſibi fuga conſuluiſſe, atque Venetias in Monaſterio Sancti Servuli, quod ipſis de Petri Abbatis SS. Hilarii & Benedicti donatione obtigerat, conceſſiſſe. Hæc ſunt præclariſſimi authoris verba: *Anno Ducis* (Ordelaphi Phaledro) VI. *Abbatiſſa autem S. Leonis ejusdem Ordinis* (*S. Bened.*) *ab Abbate S. Hilarii Monaſterium S. Servuli obtinuit, & pari cauſa cum ſuo Conventu in eo ad habitandum venit*. His poſitis reliquam fabulæ ſeriem per ſe cadere neceſſe eſt.

(*b*) Memorabile hoc incendium anno MCV. accidiſſe ſub Ordelapho Phaledro ſæpe ſæpius diximus, cum enim Ordelaphus ad Ducale faſtigium evectus fuiſſet anno MCII. incendium hoc, quo potior urbis pars conflagravit anno Ducis IV. ad annum Chriſti MCV. alligandum erit. Verum re parvi momenti omiſſa, mirum illud profecto eſt, nullam de Monaſterio hoc, quod per tria circiter ſæcula apud Ducale Divi Marci Baſilicam ſtetit, mentionem feciſſe Venetos Chronologos; atque hoc pacto Venetum hoc domicilium, in quo Moniales per tria circiter ſæcula commoratæ ſunt, latuiſſe accuratiſſimum illum Cæmeterialis Sancti Servuli ſcriptorem, qui Monaſterii hujuſce Chronicon diligentiſſime concinnavit.

(*c*) Ex ipſa Petri Abbatis largitione, quæ anno Domini MCIX. peracta fuit, innoteſcit, qua de cauſa nempe *propter multas perturbationes, & maris pericula* conceſſum fuerit *Abbatiſſæ S. Baſſi, & S. Leonis Confeſſoris*, antiquum Divi Servuli Monaſterium.

ſcopo Nicienſi & Martyri ſacram a familia Elia anno Domini MLXXVI. ædificatam fuiſſe ex multis rerum Venetarum MS. Chronologis ſtatuimus, quorum tamen aliqui eam a ſui fundatione Divo Sabbæ Abbati Cappadoci dicatam dicunt, ejusque rei teſtimonium eſſe aſſerunt antiquam Sancti Abbatis effigiem anaglyptico opere marmori inciſam & inauratam, olim exteriori Eccleſiæ proſpectui affixam, quæque ex geminis incendiis præſervata modo in meſaula ſacrarii aſſervata conſpicitur. Utcumque de primo Titulari res ſe habeat, brevi tamen tempore ſub hujusmodi nomenclatura Eccleſia perduravit, ſiquidem anno MVIC. Vitalis Phaledro Dux Venetiarum habitatoribus Caſtri Laureti celebre privilegium conceſſit, quod, ut in ſua firmitate permaneret, ſcribere juſſit Joannem Eccleſiæ Sancti Baſſi Vicarium, & Ducalis Palatii Notarium; Privilegium Codice Ambroſiano ex Chron. Danduli deſumptum affertur Tom. XII. Rer. Italic. pag. 253. Jam ſuperius memorabile illud incendium commemoravimus, quo Divi Baſſi Templum anno MCV. ſimul cum aliis XXII. ſacris ædibus combuſtum fuit, ex cujus ruinis poſtea piorum impenſis emerſit. Novo pari infortunio deinde conflagravit anno MDCLXI. cum enim Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum publice fidelium venerationi exponeretur, Feria IV. majoris hæbdomadæ, (quæ eo anno in diem XXV. Martii inciderat) repente ex apparatu ad comburendum facillimo ſubortum incendium Eccleſiam, & univerſam ipſius ſupellectilem devoravit ex integro, ligneum tamen Crucifixi Redemptoris ſimulacrum, atque Divi Titularis os (pars nempe Cranii,) inter flammarum globos illæſa prorſus permanſerunt, ſubnigro colore quaſi in prodigii documentum ſubinducto. Ampliori deinde ornatiorique forma Templum a fundamentis piorum ære renovatur, ubi ad marmoreum altare Venerabilis Crucifixi effigies honorifice collocata fuit.

Deplorandi itaque infortunii damna piorum religio meliori ratione rependit, ſiquidem ampliori ſitu, prout loci anguſtia ſivit, ornatiorique ſtructura reſtituta fuit Eccleſia, & ex ſelectis marmoribus quinque erecta fuerunt Altaria, quorum unum præ cæteris ſpectabile in tabula marmorea anaglyptico opere exſculpta Divum Franciſcum exhibet ſacrorum ſtigmatum impreſſione a Seraphin ſibi apparente vulneratum.

Aliis

Aliis quoque ditatur Eccleſia hæc Sanctorum Martyrum lipſanis, ex Urbe Roma Venetias deductis.

Index Chronologicus Plebanorum Eccleſiæ S. Baſſi.

1094. Joannes Presb. Vicar. Eccl. S. Baſſi & Not. Ex privilegio Caſtri Laureti.

1237. Nicolaus Cauco Canon. Duc. Ex Cat. Cleri Congreg.

1310. Nicolaus Quirini, ob conjurationem Bajamontis Theupoli, cui adhæſerat, mulctatur exilio. Ex Chronic. Hieron. Savinæ.

1323. Benedictus de Lege Canon. Patr. primum, mox Duc. Ex ipſius Teſtam.

1326. Fridianus, qui poſtea Epiſcopus Æmonien. electus fuit. De eo ita legitur in rog. Guidonis Presb. S. Baſſi & Not. ad ann. 1334. *Nos Fridianus Epiſcopus & Pleb. Eccleſiæ S. Baſſi, & Nicolaus Presb. atque Almericus Subdiac. dictæ Eccleſiæ S. Baſſi, plenam ſecuritatis chartam facimus vobis commiſſariis diſcreti viri Domini Presbyteri Benedicti de Lege olim Plebani Eccleſiæ S. Baſſi &c.* Ex quibus verbis patet, Fridianum etiam in Epiſcopali dignitate collocatum Parœciam fortaſſe commendatario titulo adminiſtraſſe.

1365. Dominicus Gaffaro Pleb. primum S. Baſſi mox S. Nicolai tandem an. 1347. Epiſcopus Civitatis Novæ, de quo in Ital. Sac. Tom. v. pag. 238, atque Tom. x. pag. 70. Hic anno 1365. a Sancta Sede obtinuit, ut Plebanatus S. Baſſi commendatario titulo annecteretur menſæ Epiſcopali Civitatis Novæ, atque mox eodem anno domos ſuper plateam exiſtentes, quæ de jure erant Eccleſiæ S. Baſſi, cum Procuratoribus S. Marci commutavit, permutationem approbante, & confirmante per ſuas patentes litteras Romano Pontifice, ut patet ex ſequenti S. C.

In Majori Conſilio.

„ Cum Procuratores Eccleſiæ S. Marci jamdudum habuerint
„ tractatum cum Ven. Patre D. Dominico Gaffaro Epiſcopo
„ Civitatis Novæ, de accipiendo pro dicta Procuratia domos
„ S. Baſſi ſuper Platea exiſtentes ad Eccleſiam ſuam prædi-
„ ctam ſpectantes, & dando ſibi per contracambium & per-
„ mutationem ipſarum domorum impræſtita, & tandem fue-
„ runt concordes ad invicem in hunc modum, videlicet, quod
„ dictus D. Epiſcopus contentus fuit dare eisdem Procurato-
„ ribus procuratorio nomine quo ſupra domos prædictas, &
„ loco harum accipere a prædictis Procuratoribus lib. VI.
„ mille CCCCLXV. ad groſſos de Impreſtitis. Quam quidem per-
„ mutationem Domin. Noſter Papa per ejus patentes litteras
„ confirmavit, & approbavit.

„ Vadit Pars, quod prædicta Impreſtita ſint & eſſe debeant,
„ & intelligantur in omnibus, & per omnia ad conditionem
„ Impreſtitorum datorum in ſolutum.

In jure Epiſcoporum Civitatis Novæ, diu ſtetit Parochialis Eccleſia ad ipſorum nutum adminiſtrata, donec anno MCCCCXVIII. die XXX. Maii Martinus Papa V. ad petitionem Ducis & Communitatis Venetiarum, Leonardo della Turre Abbati S. Gregorii, Venetæ Diœceſis per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut unionem ſuperius enunciatam Pontificia authoritate diſſolveret, & in Parochiali Eccleſia ad ſtatum & conditionem priſtinam Plebanatus, & Presbyterorum revocata, Antonium Bartholomæi virum ſcientia, & morum gravitate probatum Plebanum inſtitueret. Apoſtolicas Martini litteras executioni demandavit die XIX. Decembris ejuſdem anni ſupralaudatus Leonardus Abbas Judex, & executor ad hæc ſpecialiter deputatus, (A) moxque die ſequenti, *Dux cum authoritate ſui Conſilii Rogatorum in exequutionem prædictorum præcepit*, ut redditus Eccleſiæ ad ſtatum reverterentur, *unde captioſe & malo modo* extracti fuerant.

1418.

1418. Ind. xii. Die 20. Decembris.

„ Cum Sereniſs. D. Thomas Mocenigo, Dei gratia incli-
„ tus Dux Venetiarum, videlicet ad humilem & devotam re-
„ quiſitionem, & inſtantiam Nobilium, & providorum Vi-
„ rorum Parochianorum Eccleſiæ S. Baſſi de Venetiis, Ca-
„ ſtell. Diocesis cum auctoritate ſuorum Venerabilium Con-
„ ſiliorum Rogatorum, & addictionis comiſiſſet Nobilibus &
„ ſpectabilibus Viris D. D. Marino Caravello Procuratori Ec-
„ cleſiæ Sancti Marci, Fantino Michael, Antonio Conta-
„ reno Procuratoribus Sancti Marci Ambaſciatoribus ſuis ad
„ preſentiam Beatiſſimi Patris Domini Martini Papæ V. in
„ Civitate Conſtantiæ permanenti deſtinatis ad congauden-
„ dum de Creatione ſua ad Apicem Summi Apoſtolatus;
„ Quod cum Eccleſia prædicta Sancti Baſſi in nobiliori lo-
„ co Civitatis Venetiarum fundata ſit ſuper Platea Sancti
„ Marci, alias fuit ad Plebanatum, & Presbyteros conſtitu-
„ ta, ſicut ſunt quaſi omnes Eccleſiæ Parochiales Civitatis
„ Venetiarum. Et quidam Epiſcopus Civitatis Novæ, qui vo-
„ cabatur D. Dominicus Gaſſaro cauſa, & occaſione extir-
„ pandi bona ſpectantia dictæ Eccleſiæ S. Baſſi ſuggeſtione,
„ & fraudulenter, quia actum fuit absque ſcientia, & notitia
„ Parochianorum ſciverit impetrare a Summo Pontifice tunc
„ exiſtente, ut Eccleſia S. Baſſi uniretur Menſæ ſui Epiſco-
„ patus Civitatis Novæ, & ſic apparet ipſum obtinuiſſe.
„ Deberent ipſi ſolemnes Ambaſciatores ſupplicare Summo
„ Pontifici ſuprascripto, quod pro devotione, & contentamen-
„ to Parochianorum prædictorum dignaretur ſua Sanctitas re-
„ ducere, & reſtituere dictam Eccleſiam S. Baſſi ad ſtatum,
„ & conditionem priſtinam Plebanatus, & Presbyterorum jux-
„ ta ſolitum, & ſic benigne obtinuerint Ambaſciatores præ-
„ dicti; nam prefatus Summus Pontifex gratioſius inclinatus
„ viſas ſupplicationes præfati Sereniſſimi Domini Ducis ad-
„ miſit, & exaudivit clementer, & juxta continentiam Bulla-
„ rum Apoſtolicarum Venerab. Pater D. Leonardus Abbas S.
„ Gregorii de Venetiis, tanquam executor Apoſtolicus in cau-
„ ſa ſuprascripta prudenter, & cum ſolemnitate opportuna
„ cuncta ſibi commiſſa fideliter, & ſapienter executioni trans-

mi-

» miſerit conſtituens, ac præficiens in Plebanum & Recto-
» rem Eccleſiæ S. Baſſi honeſtum, & prudentem Virum D.
» Presbyterum Antonium in Litteris Apoſtolicis nominatum
» jam longis annis præteritis dictæ Eccleſiæ utiliter ſervien-
» tem. Propterea præfatus Excelſus D. Dux cum autoritate
» ſui Conſilii mandat, & præcipit Nobilibus Viris D.D. Of-
» fitialibus Cameræ Impræſtitorum, quod in executionem om-
» nium prædictorum debeant ipſæ Libræ *6465*. de Groſſis ſcri-
» ptæ ſub fraude..... Epiſcopo Civitatis Novæ, ſcribere Ple-
» bano prædicto, ac Capitulo, & Fabricæ Eccleſiæ S. Baſſi,
» & ſucceſſoribus ſuis tanquam denarios exactos de poſſeſſio-
» nibus, & domibus Eccleſiæ S. Baſſi, venditis Procuratori-
» bus S. Marci tunc exiſtentibus, ita, quod res ducatur ad
» ſtatum priſtinum, ſicut eſt honorabile, atque juſtum, ita
» quod bona & impræſtita revertantur, unde cauteloſe, &
» malo modo extracta fuerint.

1418. Antonius de Bartholomeis enuntiatus Pleb. ut ex ſu-
præſcripto Decreto Senatus.

1423. Nicolaus Pegio. Ex rog. Marci Tajapiera Pleb. S. Jo.
Chryſoſtomi & Not.

1439. Michael Donato. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. So-
phiæ & Not.

1440. Jacobus ſeu Jacobellus de Zane. Ex Matr. Scholæ Cha-
ritatis.

1456. Joannes de Fazentis. Ex ſchedis Clar. Vir. Apoſtoli
Zeno.

1457. Zeno Georgii filius. Ex Teſtam. Apolloniæ Uxoris Mar-
ci de Rubeis de confinio S. Baſſi.

1465. Sanctus de Sanctis. Ex ejus Teſtam.

1487. Angelus de Angelis, cujus pater Simon de Angelis,
Mater Druſiana, Fratres Joannes, & Sidrus, Soror Lu-
cia. Ex Teſtam. Druſianæ Matr. ſuæ. Tranſiit ad Ple-
banatum S. Silveſtri.

1483. Antonius de Fauſtinis Not. Can. & Vic. Duc. Prior Ho-
ſpitalis S. Marci Archip. Congr. S. Lucæ. Ex rog. ip-
ſius. De ipſo in vita Jo. Bapt. Egnatii a Patre Joan-
ne de Auguſtinis vulgata.

1512. Sanctus de Blanchis. Ex Cat. Eccl.

1525.

1525. Georgius de Livreriis Can. Duc. qui ann. 1530. tranſiit ad Plebanatum S. Antonini.
1530. Antonius Marcellus prius Presb. SS. Trinitatis. Ex matricula Scholæ Charitatis.
1539. Marcus Bettegha Canon. Duc. & Archip. Cong. S. Salvatoris anno 1547. M. V. die 2. Febr. electus fuit Pleb. S. Leonis.
1547. M. V. 16. Febr. Hieronymus Lupinus ob. 26. Martii 1584.
1584. Andreas Arbori ob. 1628. 27. Julii.
1628. Georgius Baſilio (Baſeggio) Archipresb. Cong. S. Hermagoræ anno 1630. electus fuit Pleb. S. Mar. Form. poſt quem nemo alius de Plebanatu ad Plebanatum tranſlatus fuit, prout animadvertit Clar. Vir Angelus Sabini ſummæ in colligendis patriis antiquitatibus eruditionis.
1630. Bernardinus Cavagioni ob. 19. Apr. 1656.
1656. Franciſcus Surza ob. 8. Aug. 1660.
1660. Joannes Corſi obiit 8. Aug. 1668.
1668. Jo: Baptiſta Rochetti ob. 25. Junii 1689.
1689. Marcus Antonius Clementi ob. 21. Oct. 1696.
1696. Bathaſar Bollani Can. Caſt. dein Duc. & Cerem. Mag. ob. 5. Julii 1715.
1715. Joannes Zanini ob. 3. Sept. 1739.
1739. 7. Sept. Ludovicus Gaffarotti ob. 17. Apr. 1749.
1749. 21. Aprilis Joannes Antonius Corſi.

Leo-

Leonardus della Turre Abbas S. Gregorii, ex commiſſione ſibi facta a Martino Papa V. Eccleſiam Parochialem S. Baſſi Venetiarum a Menſa Epiſcopali Civitatis Novæ ſeparat & disjungit, eamque, ut prius erat, inſtituit.

1418. 14. Novembris litteræ Apoſtolicæ datæ.

1418. 19. Decemb. executioni demandatæ.

Ex Archivo Eccleſiæ S. Baſſi Venetiarum.

IN Chriſti Nomine Amen. Præſidente rationis Imperio in animo Judicantis, Pro Tribunali Juſtitia, & quaſi Rex in ſolio Judicii rectitudo.

Nos igitur Leonardus della Turre Abbas S. Gregorii de Venetiis Diœceſ. Judex, & executor Apoſtolicus ſpecialiter deputatus ſuper infraſcripta: Dudum Parochialis Eccleſia, Plebs nuncupata, S. Baſſi de Venetiis ejusdem Diœceſis per Plebanum, & Clericos fuerit ſolita gubernari rationalibus cauſis ad hoc minime præcedentibus menſæ Epiſcopali Civitatis Novæ auctoritate Apoſtolica unita, & incorporata extitit. Ipſaque Eccleſia S. Baſſi hujusmodi unionis, ſeu incorporationis prætextu in ſpiritualibus & temporalibus patiebatur non modica detrimenta; Quapropter ad inſtantiam, & requiſitionem Sereniſſimi Domini Ducis Venetiarum, ejusque Communitatis Sereniſſimo Dominio Noſtro extitit ſupplicatum, & per litteras Apoſtolicas mandatum extitit, ut inferius continetur, & nobis Leonardo Abbati S. Gregorii injunctum, & commiſſum in forma & tenore de verbo ad verbum ſubſequentibus.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Abbati Sancti Gregorii de Venetiis Caſtellan. Diœceſ. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas ad hoc libenter intendit per quod Divinus augeatur cultus, & beneficia Eccleſiaſtica utiliter regi valeant: Illosque favore proſequitur gratioſo, quos vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita multipliciter commendant. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Thomæ Mocenico Ducis, & Communitatis Venetiarum petitio continebat. Quod cum dudum Parochialis Eccleſia, Plebs nuncupata, S. Baſſi de Venetiis Caſtellan. Diœceſis, quæ olim per Rectorem, Plebanum nuncupatum, Presbyteros & alios Clericos idoneos, qui in ea divinis cultui & officiis inſiſtebant, ſolita fuerit gubernari, rationabilibus cauſis ad hoc minime præcedentibus Menſæ Epiſcopali Civitatis Novæ, auctoritate Apoſtolica unita incorporata, & annexa fuerat: Ipſaque Eccleſia hujusmodi unionis, incorporationis, & annexionis prætextu in ſpiritualibus, & temporalibus paſſa fuerat, hactenus patiatur non modica detrimenta, nec non illius Parochiani, quorum ſatis amplus honorabilis numerus extitit, quorum ſpiritualibus conſolationibus ſe ſenſerunt & ſentiunt deſtitutos, & ſi fructus redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ, qui ad ſummam ducentorum, & octuaginta Ducatorum auri vel circa aſcendunt annuatim in utilitate Rectoris, Presbyteri, & Clericorum dictæ Eccleſiæ converterentur, ex tunc ipſi poſſent exinde congrue, & hujusmodi Divinis, pro ut conſueverunt hactenus intereſſe, ſubſtentari. Quare pro parte dictorum Ducis, & Communitatis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum Eccleſia ipſa in Platea S. Marci, loco utique digniori & honorabiliori Venetiarum ſitua-

ſuata exiſtat, ſitque non modicum ſcandalum, quod in eadem Eccleſia, ad quam ſi divina offitia celebrarentur, ut prius, non modica conflueret populi multitudo, ſit divinus cultus totabiliter diminutus; Unionem, incorporationem, & annexionem hujuſmodi reſcindere & diſſolvere, eamdem Eccleſiam ad eum ſtatum, in quo ante hujusmodi unionem, incorporationem, & annexionem fuerat, reducere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certàm notitiam non habentes, & conſiderantes quod ſi attenta præmiſſa in Divini cultus diminutionem, & Parochianorum ipſorum præjudicium, animarumque defraudationem, & alias in non modicum Chriſti fidelium ſcandalum, & pernicioſum exemplum cedere dinoſcuntur, ac volentes ſtatui Eccleſiæ & Parochianorum prædictorum, ſuper præmiſſis ſalubriter providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus ſi, vocatis moderno Epiſcopo Civitatis Novæ & aliis, qui fuerint evocandi, præmiſſa repereris fore vera, unionem, incorporationem, & annexionem prædictas auctoritate noſtra reſcindas, & diſſolvas, dictamque Eccleſiam ad eum ſtatum, in quo ante unionem hujuſmodi exiterat, eadem auctoritate reducas. Et nihilominus ſi per te unionem, & incorporationem, & annexionem prædictas reſcindi, & diſſolvi contigerit, ut prefertur, & per diligentem examinationem dilectum Filium Antonium Bartholomæi Clericum dictæ Diœceſis apud nos de vitæ ac morum bonitate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum; ad hoc idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientjam honeramus, Eccleſiam prædictam cum illam per reſciſſionem, & diſſolutionem hujuſmodi vacare contigerit, etiamſi Eccleſia ipſa diſpoſicioni Apoſtolicæ reſervata exiſtat, & ſuper & inter aliquos pendeat indeciſa, dummodo tempore Datæ preſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quæſitum; cum omnibus juribus & pertinentiis tuis eidem Antonio auctoritate prædicta conferas, & aſſignes, inducas per te, vel alium, ſeu alios eumdem Antonium vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum & defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac facias ſibi de ipſius Eccleſiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus tam piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quam aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Parochialibus Eccleſiis, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint; Etiamſi per eas adhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus præfactum Antonium in aſſecutione dictæ Eccleſiæ volumus anteferri. Sed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Parochialium Eccleſiarum, aut beneſitiorum aliorum præjudicium generari, Seu ſi Venerabili Fratri Noſtro ...... Epiſcopo Caſtellano, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quoad receptionem, vel promiſſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint. Quodque de hujuſmodi Parochialibus Eccleſiis, aut aliis beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, preſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim vel ſeparatim ſpecialiter nulli valeat provideri per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia Generali, vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus earum impediri

diri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujuſque tenore habenda ſit in litteris noſtris mentio ſpecialis. Nos enim, ſi dictus Antonius ad hoc repertus fuerit idoneus, ut prefertur, ex nunc proinde irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac ſi die datæ præſentium eidem Antonio ad hoc reperto idoneo de dicta Eccleſia, cum, ut præfertur, vacaret, cum interpoſitione Decreti provideri mandaviſſemus. Datum Bernæ Lauſanenſis Diœceſ. III. Kal. Junii Pontificatus noſtri Anno I.

Poſt quæ comparentibus in judicio coram nobis Vener. Viro Domino Presb. Antonio Bartholomæi, nec non Nobilibus & Egregiis Viris Dominis Joanne Cornario filio D. Franciſci, & Marco Contareno, qui a Sereniſſimo Domino Noſtro obtinuerat in Commendam Eccleſiam & Epiſcopatum Civitatis Novæ, ut de dicti Procuratorio & Sindicatu apparet in actis coram nobis agitatis manu Joannis Menb...... de Monte Martis Clerici Paderbonen. Diœceſ. Publici & Apoſtolici & Imperiali auctoritate Notarii. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo Decimo octavo Ind. XI. die Lunæ decima quarta menſis Novembris Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Martini divina Providentia Papæ V. Anno I. Idem Presb. Antonius Bartholomæi produxit libellum tenoris & conditionis infraſcriptæ:

Coram Vobis Rev. Patre Dom. Leonardo della Turre Abbate S. Gregorii de Venetiis Com. Apoſtolico comparet Presb. Antonius Bartholomæi dicens, & aſſerens & proponens, quod alias Sereniſſimus Princeps & Dominus D. Thomas Mocenico Dei gratia Dux Venetiarum pro parte ſua, & Communitatis magnificæ Venetiarum Sereniſſimo & Domino Noſtro expoſuit. Quod cum dudum Parochialis Eccleſia Pleb. nuncupata S. Baſſi de Venet. Caſtell. Diœceſ. quæ olim per Rectorem, Plebanum nuncupatum, Præsbyteros & alios Clericos idoneos, qui in ea divino cultui inſiſtebant, ſolita fuerit gubernari; Rationabilibus cauſis ad hoc minime procedentibus Menſæ Epiſcopali Civitatis Novæ auctoritate Apoſtolica unita, incorporata, & annexa fuerit, Ipſaque Eccleſia hujusmodi unionis, incorporationis, & annexionis pretextu in ſpiritualibus, & temporalibus fuerit paſſa hactenus, & patiatur non modica detrimenta. Nec non illius Parochiani, quorum ſatis amplus & honorabilis numerus exiſtit & quorum ſpiritualibus conſolationibus ſe ſenſerunt, & ſentiunt deſtitutos, & ſi fructus redditus & proventus dictæ Eccleſiæ, qui ad ſummam Ducatorum ducentorum & octuaginta auri vel circa aſcendunt, annuatim, in utilitatem Rectoris Presbyteri & Clericorum dictæ Eccleſiæ converterentur. Ex tunc ipſi poſſent exinde congrue, & hujusmodi divinis, prout conſueverunt hactenus intereſſe, ſubſtentari. Quare pro parte ſupradicti Domini Ducis & Communitatis dicto Domino Noſtro Papæ fuerit humiliter ſupplicatum, & cum Eccleſia ipſa a Platea S. Marci exiſtat, ſitque non modicum ſcandalum, quod in eadem Eccleſia, ad quam ſi divina officia celebrarentur (ut prius), non modica conflueret populi multitudo, ſit divinus cultus totaliter diminutus, unionem, incorporationem, & annexionem hujusmodi reſcindere, & diſſolvere, eamdemque Eccleſiam ad eum ſtatum, in quo ante unionem hujusmodi extiterunt eadem auctoritate reduci; & dictam eccleſiam conferrendam eſſe, & conferri deberi, eidem Presbytero Antonio in titulum Plebanatum, prout hæc, & alias in dictis litteris continentur. Quare idem Presbyter Antonius Paternitati Noſtræ ſupplicat humiliter & devote, & cum omni inſtantia petit, & requirit. Quatenus veritate in totum comperta juxta dictarum continentiam litterarum per nos decerni, & declarari, prædictas unionem, incorporationem, & annexionem auctoritate Apoſtolica reſcindendas, & diſſolvendas eſſe, & per veſtram ſententiam & determinationem auctoritate Apoſtolica reſcindendi & diſſolvi debere, & per eamdem ſententiam auctori-

ctori-

ctoritate prædicta eamdem Eccleſiam S. Baſſi ad eum ſtatum, in quo ante unionem hujuſmodi extiterat reducendam eſſe, ac reduci debere dicto Presb. Antonio cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eumdem quoque Presbyterum Antonium inducendum eſſe & induci debere, & ad poſſeſſionem corporalem jurium & pertinentiarum prædictorum, ſibique & collegiandis in dicta Eccleſia de fructibus, redditibus, & proventibus juribus, & obventionibus univerſis integre reſpondendum eſſe, & reſpondi debere, & prædicta alia in dictis litteris contenta petit fieri, & effectualiter per nos adimpleri petit idem Presb. Antonius omni modo jure, & forma quibus melius & efficacius fieri poteſt & debet, verum ſuper his offitium implorando. Proteſtans, quod ad prædicta non intendit aliquos ſibi conſtituere adverſarios, vel adverſarium nec aſtringit ſe ad probandum, niſi quatenus de jure tenetur & debet, & ſi aliquis apparuerit contradictor petit expenſas. Super quo quidem libello nonnulla fuerunt formata capitula, & ad probationem prædictorum Capitulorum nonnulli teſtes producti; ac ſolemniter examinati, & nonnulla alia inſtrumenta producta, & poſtmodum de voluntate prædictorum preſentium publicata, & finaliter per eaſdem in præſenti cauſa concluſum.

Nos Leonardus della Turre Abbas S. Gregorii de Venetiis eſequtor Apoſtolicus, ut in litteris continetur. Viſis actis coram Nobis in ſupraſcripto Publico coram vobis producto adteſtationibus confeſſionibus partium prædictarum; Viſiſque narratis in dicta Bulla per Sereniſſimum Noſtrum Ducem Venetiarum, quæ narrata in omnibus & per omnia vera comperimus; Viſiſque monitionibus per nos factis, & potiſſime viſa monitione ad hanc diem, & horam ad hanc noſtram diffinitivam ſententiam audiendam dictis partibus coram nobis perſonaliter conſtitutis. Chriſti nomine invocato pro Tribunali ſedentes in Eccleſia S. Baſſi, quem locum elegimus ad hunc actum. In his ſcriptis auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, decernimus & declaramus, unionem, & incorporationem & annexionem de quibus in libello ſeu petitione coram nobis producta ſit mentio reſcindendas eſſe, ac etiam diſſolvendas, & per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, & finalem terminationem eadem auctoritate reſcindi, & diſſolvi debere, & per eamdem noſtram ſententiam, & auctoritatem reſcindimus & diſſolvimus, & dictam Eccleſiam S. Baſſi de Venetiis Caſtellan. Dioceſ. ad eum ſtatum, in quo ante unionem hujuſmodi reducendum eſſe, & reduci debere, & ex nunc reducimus & mandamus videlicet, quod in ea debet eſſe unus Plebanus, unus Sacerdos, & unus Clericus, Fructuſque dictæ Eccleſiæ certos, qui ſunt ad Cameram Impreſtitorum ſpectantes dictæ Eccleſiæ convertendos eſſe & converti debere in utilitatem dictæ Eccleſiæ, ut poſſint congrue ex dictis fructibus ſubſtentari, ac divinis, & continuis offitiis intereſſe, dictamque Eccleſiam in Domino valeant, & poſſint in ſpiritualibus ſalubriter regere, & in temporalibus feliciter gubernari. Et quia invenimus Vener. Virum Presb. Antonium Bartholomæi in vita, litteratura, & moribus approbatum, ipſumque idoneum reperimus, & eſſe pronunciamus dictum Plebanatum dictæ Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica eidem duximus conferendum, & ex tunc conferimus cum omnibus juribus & emolumentis ad dictum Plebanatum ſpectantibus inducentes eumdem Præsbyterum Antonium in & ad corporalem poſſeſſionem dicti Plebanatus per traditionem Clavium, per ſtalum in Choro, & locum in Capitulo, & hæc dicimus, pronunciamus, & declaramus auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, omni modo, via, jure, & forma, quibus melius de jure poſſimus & debemus.

Lecta, lata, data, & in ſcriptis generaliter promulgata fuit ſupradicta ſententia per dictum D. Leonardum Abbatem S. Gregorii Judicem Apoſtolicum, & delegatum ſæpedictum Venetiis

dictæ Diœceſis, quem locum elegit pro ſuo Tribunali ad hujusmodi faciendam ſententiam. Præſentibus egregio Juris doctore D. Thomaſio de Placentinis honorando Civi Veneto, & Fratre Georgio de Jadra Monacho S. Gregorii, & Presb. Marco Nigro cuſtode Eccleſiæ S. Marci, & Antonio q. ſ. Bandini familiari dicti D. Executoris, & aliis pluribus Teſtibus ad hæc ſpecialiter habitis, vocatis, & rogatis ſub anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quadringenteſimo decimo octavo Indictione xı. die xxx. menſis Decembris Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Martini Divina Providentia Papæ V. Anno Secundo.

Ego Marcus q. D. Bartholomæi Bono de Venetiis publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictæ ſententiæ promulgationi, & pronuntiationi, & omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis, & de mandato dicti Domini Judicis delegati dictas litteras vidi & legi non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas. Qui quidem D. Judex Delegatus ſuam auctoritatem interpoſuit, & Decretum ad ipſius ſententiæ confirmationem, & robur prædictarum litterarum, & ipſarum tenorem de verbo ad verbum in hac ſententia appoſui, nihil addens vel minuens, per quod rei veritas immutetur, neque ſubſcripſi ſigno, & nomine ſolitis in fidem & Teſtimonium præmiſſorum omnium & ſingulorum.

DE

DE

DOMO S. JO. BAPTISTÆ CATHECUMENORUM.

PIA Cathecumenorum domus fundationis ſuæ exordia anno MDLVII. habere cœpit: quamvis enim multi eximiæ religionis viri de animarum ſalute ſolliciti ante ea tempora infideles, quibus Evangelii lumen affulſiſſet, propriis ædibus exciperent inſtruendos utique, & alendos, attamen nullæ adhuc erant ſtatutæ ædes, in quibus neophiti baptismali fonte regenerandi publicis eleemoſinis alerentur. Romæ id præſtiterat anno MDXL. Ignatius Lojola Sanctiſſimus Societatis Jeſu Fundator, qui ædes Cathecumenorum ex Pauli III. Summi Pontificis authoritate parari curavit. Ea fuit prima Cathecumenis aſſignata domus, qui enim viris hujusmodi inter Catholicæ Eccleſiæ filios adſcribendis certum, & omnibus patens domicilium erexerit, nullum ante Ignatium, quod meminerim, inveni. Hujus itaque religioſi operis, cujus fama ſe ſe per Italiam diffuderat, exemplo excitati Jac. Foſcharenus, Joannes Baptiſta Contarenus, Juſtus Maurocenus, & Hieronymus de Caballis ex patritio ordine, atque Joannes Baptiſta Treſcolini, Alphonſus Maraneſſius, & Franciſcus Marcolinus

colimus ex Civium numero, cum jampridem inter privata colloquia ſæpe ſæpius de religioſo loco inſtituendo egiſſent, communi tandem conſilio ſtatuerunt, ut die xxi. Octobris ſuperius enuntiati anni MDLVII. ad Dei gloriam & proximorum ſalutem ſimul congregati de pio opere ſtabiliendo inter ſe conſulerent. Ut igitur ejus conſultationis dies affulſit, ſine controverſia placuit omnibus, ut cum ad hoc jam Vincentii Diedo Patriarchæ Venetiarum acceſſiſſet aſſenſus, operis initia omni conatu, & ſtudio auſpicarentur, nunquam optato rei progreſſui defuturam Divinæ largitatis opem confidentes. Hac igitur ſpe erecti, quinta a decretis die, de certo loco conducendo, agere cœperunt, quo ſimul recepti Neophiti alerentur, certaque legum diſciplina, non ſolum ad Catholicæ fidei rudimenta, ſed & ad ſingularem morum pietatem informarentur. Hoc etiam, quod ante animum conſtitutum habuerant inviolabili lege ſanxerunt, ne quis poſt ſuſceptum baptisma è loco dimitteretur, niſi prius aut ſtatus electione, aut honeſtæ cujuspiam artis præſidio adjumenta ad vitæ neceſſitates opportuna diſpoſuiſſet. Prima itaque domus in Divorum Hermacoræ & Fortunati Parœcia conducta fuit, quam Cathecumeni (qui in diſſitis piorum virorum ædibus alebantur) in feſta Omnium Sanctorum celebritate ipſo anno 1557. ingreſſi ſunt, hæcque fuerunt religioſiſſimi loci primordia, ad cujus exemplum, & formam Ferrarienſe Cathecumenorum hoſpitium anno 1584. & Regienſe anno 1630. Religioſi viri, Venetæ domus formam imitati, erexerunt. His autem omnibus Chriſtianæ charitatis domiciliis, ipſiſque adeo Romano longe præſtat Venetum, non enim eos tantummodo, qui è quiſquiliis Judæorum ad Catholicam veritatem accedunt, quod & in aliis agitur, humaniſſime colligit, ſed & quoſcunque ſeu Turcas, ſeu idololatras, ex falſis religionibus ad ſalutare regenerationis lavacrum accedentes veluti chariſſimos filios, quod ipſi peculiare eſt, amplectitur, & enutrit.

Iisdem ferme diebus loci ſtabilitati firmiori providentes pii fundatores, ex variis Urbis ordinibus Eccleſiaſticorum nempe Patritiorum, & Civium, ſeu Mercatorum ſodalitatem inſtituerunt, cui curæ eſſet domum tueri, ac regere, & incolas in officio continere; quod anno 1558. die xxviii. Maii certis decretis legibus actum fuiſſe teſtantur ipſius Congregationis

nis ſtatuta. Hujus itaque Congregationis ſtudio, & labore quæcumque ad loci neceſſitates, & in quotidianos ſumptus neceſſaria erant, affluenter ſuppeditata ſunt, donec anno MDLXXI. cum ob inſignem victoriam, quam de Selimi Turcarum Regis claſſe obtinuerant apud Echinadas Inſulas Chriſtiani Principes, Cathecumenorum numerus adeo excreviſſet, ut ad omnes excipiendos, qui baptismate abſolvi poſtulabant, conducta domus nimis arcta videretur, prudenti conſilio de ampliori loco extruendo ſtatutum eſt, qui piiſſimi Inſtituti ſtabilis Sedes eſſet, & idonea.

Id ut ſollicite implerent Gubernatores, diligentiſſime collectis tota Urbe piorum eleemoſinis, ædes privatas non longe ab antiquo Sanctiſſimæ Trinitatis Templo in Divi Gregorii Parœcia compararunt, in quibus ad religioſæ domus formam aptatis viri ſeorſim, & fœminæ colligerentur. Enituit ea in re Divinæ Providentiæ benignitas, ſiquidem plurimi in glorioſi operis perfectionem, adeo ingentem pecuniæ vim ultro detulerunt, ut non modo privata ædificia, ſed & Templum Divo Joanni Baptiſtæ titulo inſignitum brevi tempore ad complementum deducta fuerint; Hoſpitium deinde maſculis deſtinatum anno MDCCXXVII. magnis utique impenſis ſumptuoſo opere a fundamento reædificatum fuit.

DE

DE
MONASTERIO
SPIRITUS SANCTI.

EX illuſtri D. Catharinæ Parthenone, quod de Saccis vocant, originem duxit Spiritus Sancti Cœnobium. Ibi enim inhabitans quædam eximiæ pietatis Sanctimonialis, Maria Caroldo nomine, dum ex orationis aſſiduitate, ferventiori in Paraclitum Spiritum amore raperetur, ejus potiſſimum afflatu cœpit de novo Monaſterio ad ejus honorem conſtruendo jugiter conſilium inire; cumque major in dies Divinæ voluntatis urgeret impulſus, vocatis ad ſe Fratre ſuo Hieronymo Caroldo, ac Venet. Presbyt. Jacobo Zambono Apoſtolico Acolitho, artiumque doctore ejus conſobrino, & communicato interioris motionis, quo agitabatur, ſecreto, res agi cœpta eſt. Idoneus ſeſe novæ molitioni ſitus obtulit in quibusdam domibus, & vacuo ſolo adjacente intra Divi Gregorii Parœciæ fines, quas ſupralaudati Jacobus, & Hieronymus, ad pium opus perficiendum ſoluto pretio proprii juris fecerunt. His peractis pii Viri ſe ad Urbis Patriarcham Mapheum Gherardum contulerunt, a quo benigne ſuſcepti omnem communis conſilii rationem aperientes piæ Virginis

vota,

vota, & rerum geſtarum ſeriem ex ordine exhibuerunt. Hæc ſimul ac Præſul percepit, ſpiritum Domini in eo conſilio ineſſe confidens, Monaſterium hoc Venetæ Eccleſiæ, non levi tum præſidio, tum ornamento futurum agnovit. Verumtamen ne in gravioris rei deliberatione, quidpiam minus conſulte ſtatueret, rem ipſam conſiderare, locumque propriis oculis luſtrare voluit, imploratаque Divini ſpiritus ope, tandem dato aſſenſu Monaſterii ædificandi conſilium authoritate ordinaria approbavit, & ne quid ad negotium omnimode perficiendum deeſſet, Paſtorali exhortatione interpoſita P. C. vehementius exoravit, ut ad Paracliti honorem Templum, adjectumque Cœnobium ædificari permitterent, quod (ex publicæ pietatis inſtituto) factum teſtatur S. C. diei 17. Aprilis anni vero ab Inc. Dom. 1483. Reipublicæ Ducatum gerente Joanne Mocenico (A). Rebus itaque publico aſſenſu compoſitis, diſpoſitisque, prout tempus permiſerat, ad formam Cœnobii domibus, lætus Patriarcha de novæ prolis exordio, tertia, poſt obtentam Principis gratiam, die, ad D. Catharinæ Cœnobium ſe contulit, ibique ab Abbatiſſa expetiit, ut tanti operis intuitu Mariam Caroldam, aliasque tres Sanctimoniales extra clauſtra abire concederet. Renuit primum Abbatiſſa ſummopere dolens Aſceterium ſuum tantæ virtutis exemplo privari, mox Patriarchæ eam admonenti, ne divini ſpiritus voluntati reſiſteret, & Paſtorali authoritate jubenti non obtemperare, non potuit, victoque juſti doloris ſenſu, quidquid ipſe juſſiſſet, ſe ſine mora facturam repoſuit. Paucis itaque tranſactis diebus, repetito in ſcriptis Patriarchali mandato, acceptaque ab Antiſtite ſolemni benedictione, non ſine Sororum, quas relinquebat mœrore & lacrymis, ut novæ fundationis opus exequeretur, è Monaſterio egreſſa eſt Maria Carolda aſſumptis in laboris ſubſidium ſociis, Orelia, & Auguſtina Gradonico ſororibus, & Anna ex ſororum numero, quas converſas vulgo vocant. Ad nova itaque Clauſtra, comitantibus ſurgentis Cœnobii Procuratoribus, pia Virgo fundatrix deducta, in hoc omnem animi ſui conatum contulit, ut non tam lapidum ſtructura materiale Cœnobium exſurgeret, quam pietatis, & virtutum incremento ſpirituale ædificium compleretur: Ut autem illuſtre Aſceterium, quod Divino Spiritu aſflante ipſius titulo gloriabatur, ſolemni ritu in ejusdem tute-

lam reciperetur, enixis precibus Abbatiſſa, & Sanctimoniales Conſtantium de Roma ſacri, & Apoſtolici hoſpitalis Sancti Spiritus de Saxia de Urbe Præceptorem, ac totius Ordinis ejusdem Magiſtrum Generalem rogavere, ut Eccleſiam, & Monaſterium, cunctasque in eo degentes Virgines in Membrum dicti Ordinis recipere, & congregationi aliorum locorum aggregare dignaretur; Annuit piarum Virginum votis Illuſtris Præſul, dataque conceſſionis pagina die 18. Aprilis 1492. (B) Abbatiſſam Monialesque ſub Hoſpitalis, & Ordinis protectione ſuſcepit, iisdem ſpiritualibus gratiis, & temporalibus immunitatibus uti, & gaudere decernens, quibus alia Sacri Hoſpitalis membra potiri, & uti noſcuntur, interveniente tamen Sedis Apoſtolicæ beneplacito; quod etiam ſupremæ poteſtatis beneficium conſequutæ ſunt ſequenti anno 1493. die 29. Martii, ut apparet ex Pontificio Alexand. VI. Diplomate anno primo Pontificatus ejus conceſſo. (C)

Porro ex ſupralaudati Conſtantii benefico aggregationis munere excitati pii viri, die *6.* Auguſti anni ſuprarecenſiti 1492. illuſtre ſodalitium ad Paracliti honorem excitarunt in Sanctimonialium Eccleſia, ſolique planitiem ab ipſis Virginibus ad conſtruendam domum, quæ ſodalitii uſibus inſerviret, receperunt, certis adjectis conditionibus, quibus ſocietas ipſa Monaſterii largitiones, ne ſe vinci pateretur officio, ſtatuto cenſu rependebat.

Cum vero aliquot evolutis annis inita conventionis fœdera ipſius ſodalitii rectoribus viderentur graviora, remorata annua cenſuum ſolutione, & pactorum irritata obſervantia Sanctimoniales Judicum opem imploravere, ne jura Monaſterii ex injuſtitia violari permitterent. Hinc exorta diſſidia, quæ tandem poſt varios caſuum circuitus ad ſupremum Apoſtolicæ ſedis judicium delata, Pontificio Julii II. Diplomate (D) anni 1508. diei 5. Octobris ad Patriarcham Venetiarum tanquam delegatum Apoſtolicum, ad hæc ſpecialiter deputatum devoluta ſunt, ejusdemque menſis die 14. aliæ emanarunt litteræ (E) Albertini de Rovere S. Spiritus in Saxia de Urbe Generalis Magiſtri, quibus Confraternitatis Rector, & Sodales ad conventiones ſecundum omnes numeros adimplendas, ſub Eccleſiaſticæ excommunicationis pœna adſtringebantur.

Ad

Ad quatuor ferme annos perdurarunt diſſidentium lites, antequam Patriarchali ſententia diffinirentur, quæ tandem anno 1512. die 18. Novembris (F) emanata ſanctimonialium jura firmavit, & antiquæ conceſſionis juſtiſſima pacta nova confirmationis lege roboravit. Nec tamen Paſtorale Decretum lites exortas diremit, quinimmo captioſi homines in inſtituto diffidio perſeverantes, uſque ad annum 1530. variis artibus Judicis Delegati mandatum, irritum facere conati ſunt. Eo autem anno ſatis jam comperta, atque explorata re Leonardus Bonafide Epiſc. Cortonenſis, & Sacri Hoſpitalis Generalis Magiſter, datis litteris ſub die 21. Octobris (G) ſub excommunicationis latæ ſententiæ pena conditionum pacta inviolabiliter ſervari mandavit, quæ quidem litteræ Apoſtolica ſunt authoritate roboratæ die 1. Decembri ſubſequentis anni MDXXXIII. (H). Tantis ſine variatione ſententiis per ſupremos Judices prolatis, adhuc diſcordiæ ſpiritu vexati, acquieſcere renuerunt ſodalitii confratres; propterea factum eſt, ut Joannes Petrus Santi, qui ſupralaudato Leonardo in officio Generalis Magiſterii ſucceſſor datus fuerat noviſſimis epiſtolis ſub die 8. Auguſti anni 1532. (I) Rectores & Confraternitatis ſodales gravibus verbis correptos ad ſervanda pacta forti manu coegerit, ſodalitium ipſum, niſi confeſtim obtemperaverint, gratiis quibuſcumque privatum, diſſolutumque, & extinctum fore denuntians; omnia autem & ſingula in ipſis litteris enuntiata præcepta, tanquam in optime cognita cauſa provide, & rite ſtatuta Pontificio Diplomate diei ſubſequentis Clemens VII. Pont. Max. confirmavit. (K) Confraternitas vero tot decretis perculſa, duraturæ concordiæ fœdera cum ſanctimonialibus nova conventione firmavit.

Novis quoque privilegiis, & gratiis Eccleſiam & Monaſterium, ut egeſtati, qua premebantur, ſubveniret, liberalitas Apoſtolica decoravit, anno ſiquidem 1533. Pontificia Bulla diei 14. Februarii (L) ipſe ſupralaudatus Clemens VII. Indulgentias etiam plenarias Monaſterio Spiritus Sancti conceſſas in ejuſmodi Eccleſia licite publicari, & eleemoſynas erogandas pro uſu, & reparatione Monaſterii recipi, & expendi permiſit.

Cum autem juſtis de cauſis ipſe Summus Pontifex Cle-

mens VII. *Indulgentias tam Hoſpitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, quam aliis hoſpitalibus, & piis locis conceſſas, & communicatas per quaſdam in forma Brevis litteras ſuſpendiſſet*, Paulus III. ejus in Apoſtolica Sede ſucceſſor, Indulgentias ipſas non obſtante ſuſpenſione prædicta in priſtinum ſtatum reſtitui, & reintegrari præcepit. (M)

Templum, in quo magnifico opere exſurgunt ſeptem Altaria ex pario Marmore, aliquibus etiam exornatur Divorum Lipſanis, ejusque conſecratio ad diem 22. Julii annua ſolemnitate recolitur.

Interior Eccleſiæ proſpectus ſuper majorem portam Mauſoleum exhibet ornatiſſimum memoriæ celeberrimi Hiſtorici Pauli Parutæ erectum, in quo etiam inciſa leguntur Filii Fratriſque Elogia. Ex Sanſov.

„ Paulus Paruta, more in Deum, ore in exteros, re in „ ſuos, calamo in poſteros, navus, diſertus, fidus, frugi. „ Brixiæ ſemel Prætor, militaris iterum æris in Archiducis „ confiniis Præfectus Romæ apud Clementem VIII. intra Le„ gatus ordinem, ordine donatus equeſtri, mox Ferrariam „ cum ad eundem, tum ad Margaritam Auſtriacam inſtitutum „ tenentem iter extra domum anno ætatis....... mortalitatis „ ademptus ſpolia; tu ne luge; ſanguine clarus: virtute nitidus „ munere purpureus atramento candidus fimo, non fama exu„ tus. Anno Sal. Hum. MDCXCVIII. die VI. Decembris.

„ Andreas Paruta, Pauli natura frater, virtute emulus, in „ ætatis flore patriis incultus leniciniis, inter Pelagi, cœli„ que minas epenito hauſta luſtrato orbe, prudentia maturus „ Ottomanicum ſydus ad Echinadas fumiferis defectum igni„ bus, vel oculorum inſecutus acie Quæſtor Veronæ provi„ dus, ultra Mincium preter ordinem copiarum ductor ex or„ dine, probatus Bergomi Prætor, tranſpadanis finibus auctor „ medandis ſedulus cuncto militum agmini in Gallia Ciſal„ pina Prefectus è mortali tandem fato nominis æternitatem „ præfecit. Anno ætatis LXVII. Sal. Hum. M.DC.XXII. No„ vembris.

„ Marcus Paruta inclyta Pauli ſoboles, patrem, patruumque „ amuſitatus referens, ut tumulis ambobus teſtamento, & ſibi „ poſitis, cinereque proximus, ita nec titulis, nec genere de„ gener unus utroque major, ni ſinguli maximi Provincias emen-

„ ſus

„ ſus Princeps non circini otio, ſed itinerum negotio Cosmo-
„ gradus toto pererrato orbe, ad Ægyptum usque ad ultimam
„ regundæ rei artem didicit publicæ, probitate, humanitate
„ juxta optime de omnibus meritus, Senator conſultus, conſi-
„ liarius ſenior, fato nimis inconſulto, ni vita functus, non
„ ævitate anno ætat. LIII. Sal. Hum. MDCXIX. die XXII. Julii.

Dominium Venetorum concedit facultatem ædificandi Monaſterium ſub invocatione Spiritus Sancti.

A 1483. 17. Aprilis.

Ex Archivo Monialium Spiritus Sancti de Venetiis.

COmparentes coram Dominio nonnulli Nobiles Cives Venetiarum, una cum Venerabili Presbytero Jacobo Zambono eximio Artium Doctore, expoſuerunt, quod quædam Venerabiles, & honeſtiſſimæ Mulieres Numine Divino afflatæ, atque inſtinctæ, cupientes Deo tota mente, & corpore ſe exibere & vitam cœlibem ducere; quo tutius atque ſanctius id agere poſſint, emerunt ſuis Pecuniis quoddam Terrenum vacuum cum una Domo in contrata S. Gregorii Venetiarum animo, & intentione conſtruendi unum Monaſterium de obſervantia, Eccleſiamque ſub titulo divini Spiritus erigendi; Idcirco humiliter ſupplicabant, ut dignetur Dominium eisdem Mulieribus licentiam impartire, ut ipſum Monaſterium & eccleſiam extruere poſſint; Qua pia, & honeſta requiſitione intellecta infraſcripti D. Conſiliarii conſiderantes hoc cedere ad Dei cultum, honorem Urbis, & animarum Salutem, ultro, & ſua ſponte ad hoc inclinati ſequentes veſtigia Majorum ſuorum, qui Religionis cultores præcipui ſemper fuere, accedente exhortatione Reverendiſſimi D. Patriarchæ Venetiarum, qui locum ipſum oculis cernere voluit, paratus quoque etiam auctoritatem, & vicem interponere ſuam; Approbantes, & laudantes ſummopere piam & honeſtam Mulierum prædictarum intentionem, deliberaverunt, & terminaverunt, quod Mulieres ſupradictæ Monaſterium, & Eccleſiam prefatam in Contrata S. Gregorii libere erigere poſſint ſicuti humiliter ſupplicaverunt.

Nomina ſupraſcriptorum Nobilium ſunt hæc:

Petrus Gradonicus q. ſ. Thomaſii.

Paulus Treviſano q. ſ. Andreæ q. ſ. Phœbi, & nonnulli alii.

Com-

Conſtantius Magiſter Generalis Ordinis S. Spiritus de Saxia, recipit in Ordinis conſortium Sanctimoniales Sancti Spiritus Venetiarum.

B 1492. 18. Aprilis.

Ex Archivo Monaſterii Spiritus Sancti Venetiarum.

Conſtantius de Roma Sacri & Apoſtolici Hoſpitalis S. Spiritus de Saxia de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis ejuſdem Magiſter Generalis.

VEn. Religioſis mulieribus Dominabus Abbatiſſæ Monialibus præſentibus, & futuris, ac Conventui Monaſterii Spiritus Sancti Ordinis S. Jeronimi Venetiarum ſub regula S. Auguſtini ſalutem in Domino. Quia, ſicut accepimus, præ nimio animi veſtri fervore cupitis adjuvante Domino Altiſſimo ſub noſtro ordine dicti S. Spiritus famulari, & in membrum dicti Ordinis recipi, ac conſortio & congregationi aliorum locorum, & membrorum dicti Ordinis aggregari, prout in quodam publico Iſtrumento manu Natalis Reggia Presbiteri Venet. Apoſtolici, ac Imperialis, & publici Notarii conſerto dicitur, & continetur. Nos attendentes, quod in veſtris optimis intentionibus, & propoſitis eſtis plurimum conſovendæ; Ideo tenore preſentium Vos Abbatiſſam, & Moniales, ac Conventum prælatos in noſtrum, & dictorum Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, ac ejus Ordinis locum, membrum, perſonas, & Religioſas de conſenſu Reverendiſſimi in Chriſto Patris & D. D. Patriarchæ Venetiarum recipimus, & acceptamus; voſque dictorum Hoſpitalis, & Ordinis conſortio, & congregationi adjungimus, & perpetuo aggregamus, decernentes vos Abbatiſſam, Moniales, & Conventum preſentes, & pro tempore exiſtentes gaudere, potiri, & uti poſſe, & debere omnibus, & ſingulis gratiis, indulgentiis, & libertatibus, ac immunitatibus, & exemptionibus dictorum Hoſpitalis, & Ordinis, quibus gaudent, & potiuntur, ac gaudere, & potiri potuerunt quomodolibet in futurum reſervato Sedis Apoſtolicæ beneplacito. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum fidem, & teſtimonium preſentes noſtras litteras fieri, noſtrique appenſione ſigilli communiri, & per D. Lucianum de Firmo Secretarium noſtrum ſubſcribi juſſimus.

Datum Romæ in dicto Hoſpitali ſub anno a Nat. Dom. 1492. Indict. x. die vero 18. Menſis Aprilis Pontif. S. S. in Chriſto Patr. & D. noſtri D. Innocentii Divina Providentia PP. VIII. an. VIII. preſentibus ibidem diſcretis viris D. Joanne de la Porta Clerico Novarienſi, & Marco Petri de Salis Papienſis Diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis ſpecialiter atque rogatis.

Ego Lucianus Cole Clericus Firmanus prefati præceptoris ſecretarius, & litterarum Apoſtolicarum abbreviator, publicuſque & Imperiali actoritate Notarius, quia preſentium correptioni, acceptationi, adjunctioni, aggregationi, & decreto omnibuſque aliis ſupradictis dum ſicut præmittitur agerentur, & fierent, interfui, & præſens una cum prænominatis teſtibus fui, de quibus omnibus notam feci, ex qua hoc Inſtrumentum manu alterius fideliter tranſumptum in hanc publicam formam redegi; Ideo in fidem omnium, & ſingulorum præmiſſorum manu propria ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui ſolitum, & conſuetum requiſitus, atque rogatus.

Ali-

Alexander VI. decretum Magiſtri Generalis Ordinis Sancti Spiritus de Saxia, quo ſanctimoniales Spiritus Sancti Venetiarum in conſortium Ordinis recipit, Apoſtolica authoritate confirmat.

C

1493. 29. Martii.

Ex Autographo apud Moniales Spiritus Sancti.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sacræ religionis ſub qua in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii S. Spiritus Venetiarum Ord. S. Hieronymi ſub regula S. Auguſtini degentes devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum promeretur honeſtas, ut ea, quæ pro ipſarum perſiſtentia ſalubri, Divini quoque cultus, & religionis augumento provide facta comperimus Apoſtolicæ confirmationis ſuffragio roboremus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum petitio continebat, quod alias dilectus filius Conſtantius de Roma præceptor hoſpitalis noſtri ejuſdem S. Spiritus in Saxia de urbe ordinis ejuſdem S. Auguſtini habens ad id ut aſſerebat, ſufficientem a ſede Apoſtolica facultatem, etiam de conſenſu bo. m. Maphei tit. S.S. Sergii, & Bacchi Presbiteri Cardin. tunc Patriarchæ Venet. Monaſterium illiusque Abbatiſſam, & Conventum hujuſmodi in membrum dicti hoſpitalis recepit, ac Congregationi hoſpitalis ejuſdem aggregavit; decernens Abbatiſſam, & Conventum prædictos ex tunc de cætero omnibus & ſingulis Indulgentiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus hoſpitali, & illius ordini hujuſmodi in genere conceſſis, uti, potiri, & gaudere debere, prout in quodam publico Iſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut receptioni aggregationi, & decreto prædictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur & ſingulares perſonas conventus hujuſmodi a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendarum hujusmodi ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati receptionem aggregationem, & decretum præfata, prout illa concernit, omnia & ſingula in dicto Iſtrumento contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemusque omnes, & ſingulos defectus ſi qui forſan intervenerint in eisdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis, & conſuetudinibus hoſpitalis, & Monaſterii, ac ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, communicationis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac B.B. Petri, & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Inc. Dom. 1493. 3. Kal. Apr. Pont. noſtri An. I.

Ju-

Julius II. Patriarchæ Venetiarum committit, ut in controverſia inter Moniales S. Spiritus, & Confraternitatem ejusdem S. Spiritus exorta, quod juſtum fuerit, decernat.

D   1508. 4. Octobris.

Ex Autographo in Monaſterio Spiritus Sancti Venetiarum.

JUlius Epiſcopus Servus Servorum Dei Vener. Fr. Patriarchæ Venetiarum Sal. & Apoſt. Bened. Querelam Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii Monialium Spiritus Sancti Venetiarum, Ordinis Monachorum S. Hieronymi ſub regula S. Auguſtini accepimus continentem, quod licet in fundatione, & inſtitutione certæ Confraternitatis, & Scholæ ſub invocatione Spiritus Sancti in dicto Monaſterio inſtitutæ inter Abbatiſſam dicti Monaſterii tunc exiſtentem, & dictum Conventum ex una, ac tunc Guardianum, & Confratres dictæ Confraternitatis..... ex altera nonnulla licita, & honeſta conventiones pacta, & capitula inita fuerint, & ambæ partes altera alteri ad invicem illa obſervare, & adimplere, ac firma tenere promiſerunt, juramento deſuper appoſito, prout in quoddam inſtrumento, & in quadam alia publica ſcriptura, *Maregola* nuncupata, dicitur plenius contineri, ipſæque Abbatiſſæ pro tempore exiſtentes, & quælibet dicti Monaſterii conventiones, pacta, & capitula hujusmodi illa obſervaverint, & adimpleverint, & firma tenuerint pro earum parte. Tamen modernus Guardianus, & nonnulli ejus prædeceſſores, & Confratres dictæ Confraternitatis conventiones, pacta, & capitula hujusmodi obſervare, & adimplere, ac firma tenere contra juſtitiam recuſare, graveſque moleſtias, injurias, & jacturas eis, & dicto Monaſterio ſuper hoc inferre præſumpſerint, & præſumunt, & ſuper illis, ac quibusdam ſuctibus, redditibus, proventibus, pecuniarum ſummis, bonis, & rebus, & aliis ad dictum Monaſterium legitime ſpectantibus injuriarum eisdem in animarum ſuarum periculum, ipſarumque Abbatiſſæ, & Conventus præjudicium non modicum, & gravamen. Quare pro parte ipſarum Abbatiſſæ, & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum; ut eis ſuper his opportune providere paterna diligentia curaremus. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, vocatis, qui fuerint vocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit decernas, faciens quod decreveris per Cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium præbere.

Datum Romæ 1508. 5. Octobris Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Magi-

Magiſter Generalis Ordinis S. Spiritus de Saxia admonet Moniales & Confraternitatem Spiritus Sancti Venetiarum, ut conventiones inter ſe initas inviolabiliter obſervent.

E 1508. 14. Octobris.

Ex Archivo Spiritus Sancti Venetiarum.

ALbertinus de Rovere Sacri, & Apoſtolici Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis ejusdem Generalis Magiſter, & Electus Piſaurenſis, Vener. Dominæ Abbatiſſæ, Monialibus, ac Guardiano, & Confratribus Confraternitatis Noſtræ Sancti Spiritus Venetiarum Sal. in Domino, & preſentibus fidem indubiam adhibere. Dudum certa quæſtionis materia inter vos Moniales ex una, & Guardianum, & Confratres dictæ Confraternitatis ſuper quibusdam controverſiis, & diſceptationibus pariter ex altera pendentibus, tandem ad quasdam conventiones, pacta, & capitula deventum fuit ſub anno Domini 1492. 24. Octobris rogata, & ſcripta per Presbyterum Natalem Regiam Publicum Not. quæ nos vidimus, & tenemus, quorum vigore utramque partem coram nobis vocari fecimus. Nuper autem ad notitiam noſtram devenit, quod conventiones præfactas altera partium obſervare remiſit; volentes igitur de opportuno remedio, ut tenemur providere, tenore præſentium ſub excommunicationis pœna, quam Canonica monitione præmiſſa in vos, & veſtrum quemlibet ferimus in ſcriptis, niſi feceritis, quæ mandamus, & committimus diſtricte præcipiendo, quatenus receptis præſentibus, vos, & quemlibet veſtrum ſuper hoc requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremtorie quatenus infra 30. dierum ſpatium a die monitionis hujusmodi vobis factæ in antea proxime computandorum, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem pro termino, & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus; ut Capitula conventiones, & pacta prædicta obſervetis cum effectu, vel infra terminum ſupradictum ducatis, proponatis, & allegetis coram nobis juſtam cauſam, & quam habetis, rationabilem, quare ad præmiſſa minime teneamini. Alioquin dicto termino elapſo ad denunciationem, & publicationem dictæ Excommunicationis ſententiæ contra vos procedemus prout juris fuerit, & conſonum rationi, veſtra, vel alterius veſtrum abſentia, ſeu contumacia in aliquo non obſtante. Abſolutionem vero omnium, & ſingulorum, qui præfatam noſtram ſententiam incurrerint, ſeu incurrerit quoquomodo nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus, in cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtras exinde fieri, ſigillique proprii, quo utimur, juſſimus impreſſione muniri.

Datum Romæ in dicto Hoſpitali ſub anno Domini 1508. 14. Octobris Pont. Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Julii II. anno Quinto.

Antonius Contareno Patriarcha Venetiarum Cuſtodi & ſociis Sodalitii Sancti Spiritus Venetiarum mandat, ut pacta cum Monialibus Spiritus Sancti inita, inviolabiliter obſervent.

F

1512. 18. Novembris.

Ex Archivo Monialium Sancti Spiritus Venetiarum.

ANtonius Contareno Miſer. Div. Patriarcha Venetiarum. Dilectis Nobis in Chriſto Domino Guardiano, & Sociis Scholæ Confraternitatis Sancti Spiritus Venetiarum Sal. in Dom. Ad gravamen Venerabilium Dominæ Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii Spiritus Sancti etiam Venetiarum intelleximus, ut cum alias inita fuerint quædam Capitula inter ipſa Moniales, & dictam veſtram Confraternitatem ad beneficium, & commodum utriusque partis, ut conſtat in publico inſtrumento rogato per Venerab. Dominum Natalem Regia Canonicum Venetum, & Notar. Imper. ſub die xxiv. Octobris 1492. quibus compoſitionibus, & pactis in dicto Inſtrumento annotatis ſtare, ut dicitur, in præſentiarum non intenditis, quinimo fuit per vos ſæpe numero contrafactum præter juris debitum, & ad damnum, & jacturam dictarum Monialium in præmiſſis implorantium ſuffragium noſtrum. Quatenus tenore præſentium vobis committimus, & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis appoſitis in dicto Inſtrumento, & Capitulis approbatis, ut dicitur, per Sedem Apoſtolicam, debeatis dictum Inſtrumentum, & Capitula præfata de cætero ad unguem obſervare, exequi, & adimplere juxta illorum ſeriem, & tenorem, & in nullo contra facere, vel venire, alioquin procedemus contra vos, prout nobis de jure videbitur, forma Sacrorum Canonum ſervata. Verum ſi ex hoc ſenſeritis vos gravatos, debeatis coram nobis comparere, citatis Dominis Abbatiſſa & Monialibus, juſtitiam recepturi.

Datum &c. die 18. Novemb. 1512.

Leonardus Generalis Magiſter Ordinis S. Spiritus conditiones initas inter Moniales Spiritus Sancti & Sodalitium ejusdem Spiritus Sancti ſub excommunicationis pœna ſervari decernit.

G

1530. 21. Octobris.

Ex Archivo Monaſterii Spiritus Sancti de Venetiis.

LEonardus Bonafides de Florentia Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Cortonenſis, Sacri, & Apoſtolici Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis ejusdem Sancti Spiritus Generalis Magiſter. (a) Dilectis nobis in Chriſto Ven. ac Religioſis mulieribus D.D. Abbatiſſæ & Monialibus preſentibus & futuris, ac Conventui Monaſterii S. Spiritus Ordinis

(a) Leonardus ex Monacho Carthuſienſi Epiſcopus Cortonenſis adminiſtrata laudatiſſime ea Eccleſia per aliquot annos oneri renuntiavit atque ad antiquam Florentiæ Carthuſiam rediit, in qua & vitæ curſum conſumavit anno MDXLV. ætatis ſuæ LXXXXV.

nis . S. Hieronymi Venetiarum ſub regula S. Auguſtini ſalutem in Domino ſempiternam, & Spiritus Sancti conſolationem . Nobis humiliter exponi feciſtis quatenus Conſtantius prædeceſſor noſter Monaſterium , illiuſque Abbatiſſam , Moniales , & Conventum hujuſmodi in membrum hoſpitalis noſtri Sancti Spiritus in Saxia de Urbe recepit , & aggregavit , decernens Abbatiſſam , Moniales , & Conventum prædictos ex tunc de cætero omnibus & ſingulis Indulgentiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus , & exemptionibus hoſpitali , & illius ordini hujusmodi in genere conceſſis uti potiri, & gaudere debere prout in patentibus litteris ſuis ſub Datum Romæ annó Domini ab ejus Nativ. 1492. latius continetur ; Deinde quàm plurimi Chriſti fideles ingenti zelo devotionis S. Spiritus moti, & ejuſdem Monaſterii gratias , & Indulgentias aſſequendi cauſa ſcolam, ſeu Confraternitatem ſub nomine S. Spiritus de conſenſu, auctoritate , & licentia Monialium præfatarum prope Monaſterium ſub certis pactis , modis , & conditionibus prout tunc conventum extitit inter Abbatiſſam , & Moniales , & ejuſdem Confraternitatis Guardianos , & fratres , prout in publico Iſtrumento deſuper confecto manu D. Presbyteri Natalis Regia Not. Venet. ſub die 24. Octobr. anni Dom. 1492. plenius contineri dicitur inſtituerunt , & erexerunt; cujus quidem Inſtrumenti famam, ac conventiones , & pacta in eodem contenta prefati Guardiani ſervare, ac adimplere renuunt , ac recuſant ; proptereaque ſæpe , ac ſæpius lites , & controverſiæ inter Moniales , & Guardianos ipſos , ut accepimus ortæ ſunt in non modicum damnum , & jacturam ipſius Monaſterii, & ſcandalum civium iſtius civitatis, & ignominiam Religionis , ac contemptum noſtrum . Quare de remedio opportuno provideri poſtulatis , ut Monaſterium ipſum in membrum Hoſpitalis noſtri confirmare dignaremur. Nos igitur qui hoſpitale noſtrum S. Spiritus , & ejus membra in viſceribus gerimus charitatis cupientes hoſpitale S. Spiritus in Saxia hujusmodi quaſi mater fœcunda parturiri , Chriſtifidelium devotione devotius frequentari ad infraſcripta per Apoſtolicæ Sedis litteras ſufficienti facultate muniti auctoritate noſtra qua fungimur in hac parte , receptionem , ac congregationem, decretum , ac in membrum receptionem ac omnia & ſingula in dicti Conſtantii prædeceſſoris noſtri litteris contenta , ac Monaſterio , Abbatiſſæ , ac Monialibus hujusmodi omnes , & ſingulas gratias, conceſſiones , Indulgentias, peccatorum remiſſiones, ſtationes, exemptiones, immunitates, privilegia, & indulta quæcumque per quoscumque Rom. Pontifices hactenus hoſpitali S. Spiritus in Saxia de Urbe quomodolibet conceſſa, confirmata, ac approbata, & innovata queque , & qualiaque ſint, quorum tenores ac ſi preſentibus inſererentur haberi volumus pro expreſſis gratioſe concedimus , & indulgemus, & hactenus illi conceſſa potiori pro cautella preſentium tenore approbamus, & de novo concedimus ; & inſuper amputantes , & amputare volentes ut noſtrum eſt quaſcumque lites , & diſſenſiones ortas , & oriundas auctoritate qua in his fungimur , approbamus , & confirmamus Inſtrumentum prædictum inter Abbatiſſam , & Moniales, & Guardianos ipſos celebratum manu præfati D. Presbyteri Natalis Regia Not. Ven. ſub die 24. Octobris anni Domini 1492. in omnibus , & per omnia ut ſi in partibus inſererentur . Mandantes Dominabus Abbatiſſæ, & Monialibus, & Guardianis hujusmodi in virtute S. Obedientiæ , ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pena Inſtrumentum hujusmodi, & quæcumque in eo contenta inviolabiliter obſervari, & adimpleri expreſſe, & declarantes , omnes & ſingulæ eleemoſinæ quacumque de cauſa oblatæ per quoſcumque , & in futurum offerendæ in caſſis, & caſſulis exiſtentibus in Eccleſia Monaſterii dictarum Abbatiſſæ & Monialium ad eaſdem Abbatiſſam , & Moniales pleno jure in totum ſpectent, & pertineant , nec Guardianis , & ſo-

cii Confraternitatis hujusmodi, nec cuicunque alii portionem aliquam contribuere teneantur. Declarantes etiam Jubileum ſolitum publicari ſingulis annis in ſolemnitate Pentecoſtes intelligatur eſſe, & ſit in dicta Eccleſia dictarum Abbatiſſæ & Monialium prout primitus per prædeceſſores noſtros conceſſum fuit. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum fidem, & teſtimonium preſentes noſtras patentes literas noſtra, & ſecretarii noſtri manibus ſubſcriptas per eundem ſecretarium noſtrum infraſcriptum fieri, ſubſcribi, & publicari ſolitique ſigilli noſtri capitularis, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ in dicto Apoſtolico hoſpitali S. Spiritus in aula noſtræ ſolitæ Reſidentiæ ſub anno a Nat. 1530. Ind. III. die vero XXI. Octobris Pontif. S.S. in Chriſto P. & D. noſtri D. Clementis Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus VII. Preſentibus ibidem Vener. viris Dominis Leonardo Donati de Emporio Clerico Florentinæ Diœceſis, & Sebaſtiano de Comitibus Canonico Cortonenſi teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ita eſt Leonardus Bonafides qui ſupra Præceptor manu propria.

Clemens VII. conventiones inter Moniales Spiritus Santi ex una parte, & Sodalitium Sancti Spiritus ex altera parte initas Apoſtolica authoritate confirmat.

H 1533. 1. Decembris.

Ex Autographo in Archivo Spiritus Sancti.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Monialium S. Spiritus Venet. Ordinis S. Hieronymi ſub regula S. Auguſtini degentibus ſal. & Apoſtolicam benedict. Ea quæ judicio, vel concordia terminantur, ut firma, & illibata perſiſtant, & ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur Apoſtolico nos decet præſidio communire. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias poſtquam Monaſterium veſtrum in membrum hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe ordinis S. Auguſtini, per tunc præceptorem generalem dicti hoſpitalis receptum ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & exemptionibus eiſdem præceptori, & hoſpitali per prædeceſſores noſtros Rom. Pontifices conceſſis decoratum, ac ut illis ad dicti hoſpitalis inſtar libere, & licite uti poſſetis conceſſum, ac de conſenſu veſtro una Confraternitas ſcola nuncupata ſub invocatione ejuſdem S. Spiritus prope Monaſterium veſtrum ſub certis tamen pactis, modis, & conditionibus inter vos, & tunc Guardianos & confratres dictæ Confraternitatis habitis canonice inſtituta fuerant inter vos, & Guardianos, ac confratres dictæ Confraternitatis, ſuper eo quod ipſi pacta, modos, & conventiones prædictas obſervare recuſabant, & illis contraveniebant, & forſan ſuper percipiendi quaſdam oblationes, & aliis fructibus tunc expreſſis orta extitit materia quæſtionis, ac deinde ſuper his inter vos, & dictos Guardianos, & confratres nonnullorum proborum virorum forſan interventu amicabilis compoſitio, seu concordia intervenit, quam, ut firmius ſubſiſteret poſtmodum Ven.

Ec.

Fr. noſter Leonardus Epiſcopus Cortonenſis tunc præceptor Generalis dicti noſtri hoſpitalis auctoritate ſui præceptorii officii approbavit, & confirmavit prout in quibusdam publico Iſtrumento per dilectum filium Natalem Regia Venetum Not. Pub. recepto, & litteris dicti Leonardi Epiſcopi, & præceptoris deſuper reſpective confectis dicitur plenius contineri; quas quidem compoſitionem, ſeu concordiam, ac alia præmiſſa a nobis Apoſtolico petiiſtis munimine roborari. Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati concordiam, ſeu compoſitionem hujusmodi provide facta, & ab utraque parte ſponte ſubſcripta, nec non ea quæ per dictum Leonardum Epiſcopum, & præceptorem ſuper iis etiam provide facta extiterunt auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac B.B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incar. Dominicæ MDXXXIII. Kal. Decembris Pontiſ. noſtri anno Decimo.

Generalis Magiſter Ordinis S. Spiritus de Saxia Confratres Sodalitii S. Spiritus Venetiarum ad ſervanda pacta inita cum Monialibus S. Spiritus pariter Venetiarum gravibus verbis compellit.

I

1532. 8. Auguſti.

Ex Archivo Monialium Spiritus Sancti Venetiarum.

JOannes Petrus Sanctorum Sacri, & Apoſtolici Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Præceptor, totiusque Ordinis ejusdem Generalis Magiſter Dilectis vobis in Chriſto Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii noſtri Sancti Spiritus Venetiarum Sal. in Domino, & ejusdem Spiritus Sancti Conſolationem. Exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod cum alias per vos, ſeu Monaſterium veſtrum quædam Confraternitas *Scola* vulgariter nuncupata ſub nomine Sancti Spiritus erecta, & inſtituta fuerit, & pro bono regimine, manutentioneque, & propagatione ejusdem Confraternitatis nonnulla Capitula, & Conventiones tum inter Guardianum, & Socios, dictamque Confraternitatem, & Monaſterium Veſtrum facta, & etiam forſan jurata extiterint, & propterea tam vos, quam Confraternitas, Guardianus, & Scola ipſa ad illorum obſervationem faciendam inviolabiliter de jure teneantur. Nihilominus neſcitur, quo Spiritu ducti iidem Guardianus, Confratres, & Scola dictas conventiones, & capitula nedum obſervare contemnunt, quinimo, quod deterius eſt, & ipſis expreſſe, ac temere, & de facto contravenire in dies magis, ac magis non erubeſcunt, in quietis, & pacis veſtræ diſcrimen, & Monaſterii veſtri maximum damnum, & jacturam, ipſorumque Confratrum animæ detrimentum, & Chriſtifidelium ſcandalum plurimorum, idcirco humiliter nobis ſupplicari feciſtis, ut in præmiſſis de opportuno remedio providere dignaremur. Nos attendentes, quod nonniſi in pace bona colitur pacis auctor, & diſcordias in rebus maxime Eccleſiaſticis reprobantes ani-

[illegible] periculis in hac parte occurrere cupientes, ut vos Moniales magis devote, animique cum quiete vivere, Altiſſimoque famulari poſſitis, & Guardiani, ac Confratres ipſi tandem ab eorum auſibus deſiſtant, prædictorum Capitulorum tenores, & compendia, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur pro expreſſis habentes, illa omnia, & ſingula, quatenus tamen juſta, & juri, ac Sacris Canonibus, & facultatibus noſtris contraria non exiſtant, auctoritate noſtra approbamus, & confirmamus, dictoſque Confratres, & Scolam ad illorum obſervationem inviolabiliter faciendam teneri, & obligatam eſſe, quodque Indulgentiæ, & privilegia noſtra hujuſmodi in Eccleſia Monaſterii veſtri, & non alibi publicentur, volumus, decernimus, & declaramus. Adjicientes, quod ſi iidem Confratres, & Scola eiſdem Capitulis ullo unquam tempore de cætero contravenerint, aut præmiſſa obſervare neglexerint, ſeu recuſaverint ex tunc, prout ex nunc Contra omnibus, & ſingulis Indulgentiis, aliiſque privilegiis noſtris Sancti Spiritus eo ipſo perpetuo privati exſiſtant, dictaque Confraternitas, & Scola diſſoluta, & extincta eſſe cenſeatur, prout vos ex nunc in eventum prædictum, quod abſit, tenore præſentium revocamus, extinguimus, & annullamus, & nunc Confraternitatis omnimoda poteſtas, & auctoritas, ad vos Moniales, & Conventum cum omnibus, & ſingulis honoribus, & oneribus incumbentibus, & conſuetis libere devolvatur. Et inſuper, ut unicuique jus ſuum reddatur, ſub eiſdem pœnis volumus, & mandamus, quatenus infra ſex menſes, a die requiſitionis per vos Moniales fiendæ computandos, Guardiani, fraternitas, & Scola hujuſmodi debeat vobis Abbatiſſæ, Monialibus, & Conventui computum, & rationem omnium, & ſingulorum bonorum, introituum, & emolumentorum dictæ Confraternitatis ad vos, & Monaſterium veſtrum vigore dictorum Capitulorum ſpectantium a die ultima Auguſti 1524. uſque ad præſentem diem exactorum juxta conventiones alias factas realiter, & cum effectu reddidiſſe, & deinde debitum ſolviſſe, & ſucceſſive debitis temporibus, dictis juribus, & emolumentis veſtris hujuſmodi in futurum reſpondiſſe.

Quocirca Reverendiſſimos in Chriſto Patres, & Dominos D. Venetiarum, & Aquilejenſes Patriarchas, eorumque nunc, & pro tempore exſiſtentes Vicarios enixe rogamus vices noſtras in hac parte in eoſdem transferentes, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, ſi, & poſtquam pro parte dictarum Abbatiſſæ, & Monialium fuerint requiſiti per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem Monialibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præmiſſa omnia, & ſingula faciant inviolabiliter obſervari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per Cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, juxta facultates, & privilegia Apoſtolica, vobis, & hoſpitali veſtro conceſſa firmiter compeſcendo contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Quodſi Guardianus, Confraternitas, & Scola ipſa ex præmiſſis in aliquo ſenſerit ſe gravatam, infra tres menſes a die intimationis preſentium computandos compareant coram nobis citata parte juſtitiam æqua lance recepturi. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilli noſtri Capitularis, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ in præfato noſtro hoſpitali S. Spiritus in Saxia de Urbe ſub anno a Nativ. Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo Indict. v. die vero VIII. Menſis Auguſti, Pontificatus S. S. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Clementis Divina Provid. Papæ VII. anno IX.

Joannes Petrus Sanctorum Præceptor Sancti Spiritus de Urbe, & ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter.

Dominicus Cimarellus Secr.

Cle-

Clemens VII. litteras Generalis Magiſtri Ordinis S. Spiritus de Saxia pridie datas Apoſtolica auctoritate confirmat.

K 1532. 9. Auguſti.

Ex Autographo in Monaſterio Spiritus Sancti Venetiarum.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium Sancti Spiritus Venetiarum Ordinis Sancti Auguſtini Sal. & Apoſtolicam Bened. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim vos, cum tunc Guardianis, & Confratribus Confraternitatis Scolæ Sancti Spiritus nuncupatæ in Eccleſia Monaſterii veſtri Sancti Spiritus Venetiarum Ordinis Sancti Auguſtini canonice inſtitutæ in ipſius Confraternitatis primæva inſtitutione ad certa licita, & honeſta conventionum capitula tunc expreſſa inter vos, & præfatos Guardianos, & Confratres concorditer celebrata deveniſtis, illaque invicem, & viciſſim perpetuo obſervare, & contra ea non venire promiſiſtis, ac ſucceſſive per dilectum filium Joannem Petrum Sanctorum hoſpitalis noſtri Sancti Spiritus in Saxia de Urbe dicti Ordinis a quo Monaſterium prædictum dependet modernum Præceptorem confirmari, & approbari, ac Guardianis, & Confratribus præfatis, quatenus de omnibus, & ſingulis fructibus, proventibus, obventibus, & emolumentis dictæ Confraternitatis juxta formam Capitulorum eorundem vobis rationem, & computum reddant præcipi, & mandari inter alia obtinuiſtis prout in inſtrumentis publicis, & litteris patentibus deſuper confectis plenius dicitur contineri, quæ omnia a nobis Apoſtolico petiiſtis nomine roborari. Nos igitur veſtris ſupplicationibus hujusmodi inclinati Conventiones, & Capitula, ac confirmationem præceptum, & mandatum hujusmodi, necnon prout illa concernunt omnia, & ſingula in inſtrumentis, & patentibus litteris hujusmodi contenta, ſicut rite, & provide facta ſunt, & in alterius præjudicium non redundant, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domin. MDXXXII. Quinto Idus Auguſti Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Cle-

Clemens VII. Indulgentias, & alia privilegia Monaſterii & Eccleſiæ Spiritus Sancti Venetiarum Apoſtolica auctoritate confirmat.

L 1533. 14. Februarii.

Ex Autographo in Monaſterio Spiritus Sancti Venetiarum.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectæ in Chriſto filiæ Sal. & Apoſtolicam Bened. Exponi nobis nuper feciſtis, quod alias vos pro divini cultus augmento, & etiam pro urgentibus neceſſitatibus, quibus vos, Monaſteriumque veſtrum involutæ eſtis tam occaſione paupertatis veſtræ, quam devaſtationis, & ruinæ dicti veſtri Monaſterii, primum a [illegible] præceptoribus, & adminiſtratoribus hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe, omnes, & quaſcumque Indulgentias, facultates, & privilegia ſimiles, & ſimilia eidem hoſpitali conceſſas, & conceſſa, vobis, Monaſterio, & Eccleſiæ veſtris obtinuiſtis, necnon etiam, quod illa publicari facere in dicta veſtra Eccleſia, & civitate Venetiarum poſſetis, vobis conceſſum fuit, quæ facultates, privilegia, & indulgentiæ ſic videlicet Monaſterio veſtro conceſſa per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmata, & approbata fuerunt, cupitisque cauſantibus prædictis neceſſitatibus veſtris, ac aliis quamplurimis cauſis confirmationem, & corroborationem ſuper præmiſſis a nobis obtinere. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur vobis ſpecialem gratiam facere volentes, ac facultatum, indulgentiarum, & privilegiorum, ac confirmationum earum hujusmodi, & aliorum neceſſario exprimendorum tenores pro ſufficienter hic expreſſis habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & quaſcumque Indulgentias, facultates, & privilegia per tunc præceptores, & adminiſtratores prædictos vobis, ac Eccleſiæ, & Monaſterio veſtri hujusmodi, ut præmittitur conceſſa citra tamen queſtuatione auctoritate Apoſtolica tenore preſentium confirmamus, & approbamus, vobisque, ſeu pro vobis agentibus easdem Indulgentias etiam plenarias remiſſiones, & alia privilegia, & Indulta Monaſterio noſtro, & hoſpitali præfatis, ut præfertur, conceſſa, in eadem Eccleſia, ſeu Monaſterio veſtro hujusmodi dumtaxat, libere, & licite publicari faciendi, & eleemoſynas quascumque propterea erogandas recipiendi, & eligendi, & pro uſu, & in reportationibus ejusdem Eccleſiæ, & Monaſterii hujusmodi exponendi, & expendendi plenam, & omnimodam licentiam, facultatem, & poteſtatem auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & indulgemus, & præſentes quoad hoc validas, & efficaces exſiſtere decrevimus; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibusvis verborum formis, quibusvis conceſſis, confirmatis, & ſæpius innovatis, quibus hac vice dumtaxat illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Bononiæ ſub anulo Piſcatoris die XIIII. Februari 1533. Pontificatus Noſtri anno X. Jo. Centurionus.

a tergo | Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii S. Spiritus Venetiarum Ordinis S. Hieronymi ſub Regula S. Auguſt. de Obſervantia.

Pau-

Paulus III. Indulgentias conceſſas Eccleſiæ & Confraternitati Spiritus Sancti Venetiarum Apoſtolica auctoritate confirmat.

M 1539. 29. Januarii.

Ex Autographo in Monaſterio Spiritus Sancti Venetiarum.

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus, & Conventui Monaſterii Sancti Spiritus Venetiarum Sal. & Ap. Ben. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor egeſtatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum, ea propter dilectæ in Chriſto Filiæ veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, veſtras omnes libertates, ac gratias, & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſeu per privilegia, vel alia Indulta vobis, & Monaſterio veſtro, ac fraternitati veſtræ Scholæ nuncupatæ in Eccleſia ejuſdem Sancti Spiritus Venetiarum ... Inſtituta, & illas Guardianos, Confratribus, & Benefactoribus pro tempore in ea exſiſtentibus conceſſa, nec non libertates exemptiones ſæcularium ... & aliis Chriſtifidelibus vobis, ac Monaſterio, ac Confraternitati, & Guardiano Confratribus, & Benefactoribus hujusmodi rationabiliter indultas, ſicuti ea omnia juſta, & pacifica poſſidetis, vobis, ac Monaſterio, & Confraternitati, ac Guardiano, Confratribus, & benefactoribus hujusmodi auctoritate Apoſtolica confirmamus, & primi ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei; ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Dom. 1534. 3. Kal. Febr. Pontificatus noſtri Anno I.

Paulus Papa III.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſal. & Apoſtolicam Ben. Exponi nobis nuper feciſtis, quod poſtquam Monaſterio veſtro Sancti Spiritus Venetiarum Indulgentiæ hoſpitali noſtro S. Spiritus in Saxia de urbe per Sedem Apoſtolicam conceſſæ, per eandem Sedem communicatæ fuerant, cum fel. rec. Clemens Papa VII. Prædeceſſor Noſter certis per eum tunc acceptis cauſis, Indulgentias tam prædicto, quam aliis hoſpitalibus, & piis locis conceſſas, & communicatas per quasdam in forma Brevis litteras, ſuſpendiſſet: Chriſtifideles, qui dum pro conſequenda Indulgentia eidem Monaſterio, ut præfertur communicata, Eccleſiam ipſius Monaſterii viſitarent, viſis indigentiis, & neceſſitatibus dictæ Eccleſiæ pro illis ſublevandis, eleemoſinas ibi offerre conſueverant, habita notitia ſuſpenſionis ejusmodi, in viſitando Eccleſiam prædictam, a viſitatione dictæ Eccleſiæ abſtinuerunt, ſicque ibi eleemoſynas amplius non obtulerunt, & ex conſequenti dicta Eccleſia, reparatione fraudata, ad majorem ruinam tendere cœpit, & in dies magis tendit. Quare pro parte veſtrum aſſerentium, vos ſperare, ſi Indulgentiæ Monaſterio veſtro, ut præfertur, communicatæ adverſus dictam ſuſpenſionem reſtituerent, quod Chriſtifideles, viſis præfatæ Eccleſiæ neceſſitatibus, eis prout antea faciebant, ſubvenirent.

Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut circa præmiſſa vobis ſubvenire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum, quæ Dei Templa ſunt, Conſervationem ſinceris deſideramus affectibus, hujusmodi ſupplicationibus inclinati Indulgentias eidem Monaſterio veſtro, ut præfertur communicatas adverſus ſuſpenſionem prædictam, necnon in priſtinum, & eum, in quo antequam ſuſpenſio prædicta emanaret, quomodolibet erant, ſtatum, reponimus, reſtituimus, & reintegramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Anulo Piſcatoris die VI. Julii MDXXXV. Pont. Noſtri I.

Fabius Vigil.

a tergo | Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii S. Spiritus Venetiarum Ordinis S. Hieronymi ſub regula S. Auguſtini de obſervantia.

Paulus Papa III.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis, Præceptori, & fratribus Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia de Urbe Ordinis S. Auguſtini Sal. & Apoſt. Bened. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum, ea propter dilecti in Dominum Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrente aſſenſu, omnes libertates, & Immunitates a fel. record. Nicolao V. Sixto IV. Innoc. VIII. Clemente VII. & aliis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, & alia Indulta vobis, & hoſpitali veſtro, ac illius membris, & Confraternitatibus in Civitate Venetiarum, & toto dominio Venet. exiſtentibus conceſſa, nec non libertates, exemptiones ſæcularium exactionum a Regibus, & principibus, ac aliis Chriſtifidelibus vobis, & hoſpitali, ac membris, & Confraternitatibus prædictis rationabiliter indultas, ſicuti ea juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & dictis hoſpitali, ac membris, & Confraternitatibus auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto. IV. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno I.

DE

D E

XENODOCHIO S. SALVATORIS

I N C U R A B I L I U M.

QUinque olim numero fuiſſe celebriora Venetæ Urbis Xenodochia ex Marci Ziani Arbenſis Comitis teſtamento addiſcimus, quod anno MCCLIII. die v. Junii rogatus ſcripſit Marcus Grilioni tunc Presbyter, poſtea Eccleſiæ SS. Trinitatis Plebanus, & Notarius. Ita in eo legitur: “ Quinque vero hoſpitalibus Ri-
„ vialti Sanctæ Trinitatis, Sanctæ Mariæ de Cruciferis, San-
„ cti Joannis Evangeliſtæ, Sancti Marci, Sancti Lazari pro
„ unoquoque libras denariorum Venetorum viginti ſex dimit-
„ timus; tali modo, ut Commiſſarii noſtri eas diſpenſare de-
„ beant, ſecundumque videbitur eis in cibos pauperum di-
„ ctorum Hoſpitalium “. Ex iis, illud, quod *Sanctæ Trinitatis* nuncupatur, a Patritia Gente *dalle Bocole* inſtitutum fuit, ut dictum eſt Operis hujus Tom. IV. pag. 358. Hoſpitale *Sanctæ Mariæ de Cruciferis*, fundatorem agnoſcit Cletum Grauſonium ſeu Guſſonum, de quo Tom. II. pag. 173. Illud pariter, quod *Sancti Joannis Evangeliſtæ* nomine recenſetur, a Nobili Baduaria familia erectum fuit, & redditibus dotatum,

ut dicendum erit, cum de Eccleſia, & Prioratu S. Joannis Evangeliſtæ ſermo erit. Hoſpitale *S. Marci*, quod hodie Sancti Galli nuncupatur, Divi Petri Urſeoli Venetiarum Ducis pietati, & merito adſcribendum eſſe, diximus Tom. III. pag. 347; at de Hoſpitali *S. Lazari*, quod Leproſis olim aſſignatum, noviſſime Monachis Armenis Ordinis S. Benedicti traditum fuit, verba faciemus opportune. Fluxu temporis hæc illuſtria olim Chriſtianæ miſericordiæ monumenta, vel in diverſos uſus mutata, vel adeo diminuta ſunt, ut vix ex nominibus innoteſcant. Ipſorum deinde loco alia quatuor, & ædificiorum magnificentia & pauperum, infirmorumque numero illuſtriora ſurrexerunt Xenodochia, quorum unum illud eſt, quod ulceratis viris colligendis, medendisque, Divo Cajetano Thieneo potiſſimum urgente, ædificatum fuit ligneo opere circa annum MDXVII. cujus deinde pium inſtitutum, tum ad orphanos utriusque ſexus recipiendos, tum ad infelices abominabili Venerea lue infectos ſtatuto medicamine curandos, admiranda ſane liberalitate dilatatum fuit.

Divum Cajetanum loci hujus authorem fuiſſe aſſerunt non ii tantummodo viri, qui ex ordine Clericorum Regularium ipſius geſta concinnarunt, ſed & exteri quoque, quos inter Auguſtinus Turtura Congregationis Somaſchæ alumnus in vita Hieronymi Æmiliani lib. VI. cap. V. in quo hæc de loci inſtitutione affert: " Non ita pridem Venetiis inſigne pietatis " opus excitatum fuerat ejus *Cajetani Thienenſis Vicentini* " opera, qui poſtea Romæ cum Joanne Petro Caraffa Cleri- " corum Regularium parens, & auctor fuit, eoque in Reli- " gioſo ordine non obſcura ſanctitatis laude deceſſit. Noſo- " comium ſcilicet, in quo potiſſimum foverentur inter ægros " ii, quos vel inſanabilis morborum vexaret iniquitas, vel " membrorum debilitas incurabili dehoneſtamento notaret: " proinde loco inſanabilium valetudinario nomen factum; " Subdit deinde ipſe author, (ex quo deficientibus in loci Archivo documentis colligere, quidquid modo affertur, neceſſe fuit,) ſubdit, inquam, ex peſtifera lue per urbem fœde graſſante, adeo excreviſſe ægrotorum turbam, miniſtrorum vero ſibimetipſis metuentium numerum adeo imminutum fuiſſe, *ut perpaucis, ac tardis operi incumbentibus quotidiana in ægros deſiderarentur miniſteria*. Ne igitur tot laborum, & impen-

penſarum fructus miſere evaneſcerent, eorum, qui Hoſpitali præerant, prudenti conſilio factum eſt, ut Hieronymus Æmilianus, qui ſimul cum a ſe enutritis Orphanis in ædibus prope S. Rochum morabatur, ad loci hujus cuſtodiam, atque adminiſtrationem anno MDXXVII. evocaretur. Demandatam ſibi provinciam alacri animo ſuſcepit vir Dei, deductiſque ad Incurabilium ædem puerulis, quorum cura nihil illi erat antiquius, gemino charitatis munere in ægris ſaniſque juvandis, ita functus eſt, ut brevi tempore egregium opus ad antiquum ſplendorem, & plenam miſericordiæ perfectionem reſtitueretur, ex quo deinde Hieronymus, veluti alter a Cajetano, loci Fundator appellatus fuit. Ea propter tanti beneficii memores Noſocomii Præſides, cum anno 1747. accepiſſent Venerabilem Virum Cælitum faſtis adſcriptum fuiſſe, hoc ſuum, & commune totius Venetæ Urbis gaudium ſolemni pompa celebrantes, publicas feſtivo apparatu agi Domino gratias decreverunt.

Nec hi ſolummodo, quos veluti Parentes, & Fundatores pium hoc charitatis hoſpitium veneratur, Chriſto Regi ibidem in minimis ſuis deſervierunt, ſed & alii paris virtutis, & ſanctimoniæ viri, qui ob præclara merita ſacris aris donati ſunt, in eadem domo demiſſiſſimum infirmis famulatum humilia quæque ſubeuntes præſtiterunt. Hoc ex Hiſtoriis Societatis Jeſu a Nicolao Orlandino, ejuſdem Societatis Presbytero exaratis addiſcimus, Lib. etenim II. num. 1. refert Divum Ignatium Venetias, degentem anno MDXXXVII. Menſe Januario, excepiſſe ſocios Pariſiis advenientes, eoſque in duobus Noſocomiis ad ægrotantium ſervitutem ita locaſſe, ut quinque in Orphanodochio Derelictorum apud Sanctos Joannem & Paulum infirmis, qui ibidem recipiebantur, miniſtrarent, quinque vero in Xenodochio Incurabilium (quod Orlandinus vocat Invalidorum) ulceratis par miſericordiæ officium exhiberent. Æqualem hanc virorum diſtributionem affert quoque Daniel Bartholus in Hiſtoria Societatis Jeſu Italice ſcripta, additque Sanctum Ignatium, alternis in utroque Noſocomio adſtitiſſe; fuſeque inde narrat, quanto charitatis ardore Sanctus Franciſcus Xaverius ulcera ægroti fœtidiſſima ſugendo ſanaverit.

Eximia hæc beneficia a ſanctis viris in Xenodochii utilitatem

tem collata, quæ, & in præclarum ipſius decus redundarunt, recolentes ipſius Hoſpitalis Præſides Divorum Cajetani, & Franciſci Xaverii ſimulacra in Sacello ad Clauſtri angulum erecto poni curarunt, elogiis appoſitis, in quibus egregia miſericordiæ opera ab ipſis hoc in loco patrata memorantur.

Hinc cum ex inviolabili conſuetudine decretum fuerit, ut quisquis ad impudicæ Veneris tabem apto remedio purgandam exciperetur, prius anteactæ vitæ noxas ſalutari confeſſione expiaret, propterea ad ipſas confeſſiones excipiendas Clerici Regulares, ad conciones vero, quæ mores reforment, & pietatem excitent, habendas Societatis Jeſu Sacerdotes evocantur, atque hoc quidem, ut fert traditio, in memoriam, & grati animi monumentum erga ſupralaudatos Divos, qui labores ſuos ibidem ad corporum, animorumque utilitatem impenderunt. Divo quoque Ignatio ſuperioris Oratorii altare, ad quod pii viri optima religionis officia frequentant, expoſita ejus effigie dedicatum fuit.

Illuſtres Matronas ad hujus loci curam cuſtodiamque adhibitas fuiſſe, nos inſtruit aſceticum quoddam opuſculum Mediolani typis editum anno MDXXXX. cui titulus: *Specchio interiore, compoſto dal Reverendo Padre Frate Battiſta da Crema dell' Ordine de' Predicatori, per il quale l' uomo ſi conſidera fin a qual grado di perfezione poſſa e debbia pervenire.* Ipſum enim religioſus author iis Matronis inſcripſit, dicavitque, quas Hoſpitalis Incurabilium Gubernatrices appellat.

„ Alle venerande come Madri Madonna Maria Gradenica,
„ & altre ſue coadjutrici, Governatrici dell' Hoſpitale degl'In-
„ curabili in Chriſto honorande frate Battiſta da Crema S.

„ Per eſſere la voſtra una rara compagnia, biſogna, che ſia
„ ben regolata &c.

„ Ma acciò che non poſſa per modo alcuno fra voi naſce-
„ re alcuna emulazione; ſappiate fermamente, che per tutte voi
„ dodeci venerande Madri ho fatto queſt' operetta, &c.

Ex tabulis trabibusque compactum fuiſſe primitus hoc ædificium jam ſuperius innuimus, lateritios parietes deinde inſtruxit, marmoreisque pilis, & columnis ornavit Petrus Contarenus Epiſcopus Paphenſis. Templum Cellyptica figura ad Sanſovini Archetypum renovari cœpit, impenſis potiſſimum Antonii Centani Equitis, cujus quidem Templi, *venuſtiſſima*

laquea-

laquearia ex pio Laurentii Zantani legato, mirabili opere prodierunt. Nonnulla Sanctorum Lipſana, & eximiæ illuſtrium virorum picturæ Eccleſiæ decus augent, quas inter præcipua laude commendanda ſeſe offert tabula, in qua Diva Urſula Virgo & Martyr, numeroſo ſociarum agmine comitata, viſitur, opus Tinctoreti egregium. Chriſtum Crucifixum ejusque Cruci aſtantes matrem Virginem, & diſcipulum in tabula ad aram eidem Crucifixo ſacram depinxit Paulus Veronenſis.

Eccleſiam magnifico opere perfectam, ornatamque, ſolemni ritu, Domini Jeſu Salvatoris titulo dedicavit Raphael Invitiatus Epiſcopus Zacynthi, die xxv. Novembris anno MDC, cujus celebritatis memoriam exhibet lapidea epigraphe:

„ Anno Domini MDC. die xxv. Novembris. Raphael In-
„ vitiatus Epiſcopus Zacynthi, & Cephaleniæ conſecravit Ec-
„ cleſiam hanc ejusque Altare Majus in honorem D. N. J. C.
„ Salvatoris. Die vero poſtera, cætera Altaria.

Temporalium rerum procurationem (quod & in cæteris Urbis Xenodochiis in uſu eſt) curamque gerit virorum Congregatio, quæ tum ex Patritiorum, tum ex Civium ordinibus coaleſcit, Eccleſiæ vero cultus, & Sacramentorum adminiſtratio ſuperius laudati Hieronymi Æmiliani filiis, & in charitatis fervore hæredibus demandata fuit, qui præclare adeo munere ſuo funguntur, ut eo in loco non minori charitatis ſtudio animarum morbi, quam corporum ulcera oportuna medicatione curentur.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTÆ AGNETIS
VIRGINIS & MARTYRIS.

FAmilia Mellinorum avita ſanguinis nobilitate conſpicua, atque olim apud Venetos inter Patritias adnumerata, ac honoribus præſtans, nunc vero Florentiæ, ac Romæ opibus, ac honoribus vigens Templum Sanctæ Agnetis Virginis Romanæ, & Martyris, (ut aliqui aſſerunt) a fundamentis excitavit; alii vero ejus ædificationis meritum Familiæ Molinæ, adhuc apud Venetos nobiliſſimæ tribuunt; Litem hanc Sanſovinus, in ſuo de Veneta Urbe libro nobis exhibet, nec tamen dirimit, hoc ſolum adnectens, utcumque de fundatore res ſe habeat, Eccleſiam hanc antiquiſſimam eſſe, & ſtructuræ (juxta morem illorum temporum) elegantis.

Sanſovini dictis, cum meliora non ſuppetant documenta, acquieſcendum eſt. Templi locum paucis definit Sabellicus in libro de ſitu urbis regione prima: *Ligneus pons in Agne-*

tinam

ximam tranſmittit Inſulam in Jeſuaticæ domus (modo Prædicatorum) *conſpectu prejacenti area ; Agnetis vetuſta ædes modice aſſurgit , cui perexiguum virginium accubat ; Divæ ara vetuſtiſſima* . Eccleſia itaque vetuſtiſſima , quam circa annum M. erectam autumo, ſiquidem in pergameno inſtrumento anni 1081. Petrum Plebanum S. Agnetis memoratum legi , anno Mcv. ex vaſtiſſimo incendio apud Eccleſiam S. Laurentii in Geminis exorto conſumpta, nova poſtmodum molitione renovata , conſecrata fuit anno Mcccxxi. per tres Epiſcopos, Joannem Caprulanum, Joannem Magnum Equilinum, & Ottonellum Clodienſem , cujus conſecrationis lapideum monumentum ex incuria jacens neglectumque expoliri , atque exteriori Templi parieti, affigi curavit Clariſſimus Vir Apoſtolus Zeno, dum in ea Parœcia incolatum haberet.

„ ✠ Anno Dom. M.cccxxi. Menſe Junii in die B. Viti Mar-
„ tyris. Indictione iv. de conſenſu. &. voluntate. Rev. Patris.
„ Jacobi. Dei. & Apoſtolica gratia. Epiſcopi. Caſtellani. Nos.
„ Joannes. Caprulanus. Epiſcopus. Joannes. Magno. Epiſcopus.
„ Equilinus. &. Ottonellus. Clugienſis. Epiſcopus. ad petitio-
„ nem. Marci, Semiteculo. Plebani. Eccleſiae. Sanctae. Agne-
„ tis. pro noſtri. officii. debito. Eccleſiam. ſupraſcriptam. ad ho-
„ norem. Beatiſſimae. Virginis. & Martyris. Sanctae. Agnetis.
„ aedificatam. invocata. Sancti. Spiritus. gratia. dedicavimus. &
„ omnibus. qui. in anniverſario. dedicationis. ipſius. tribus. die-
„ bus. ante. &. tribus. poſt. ipſam. devote. &. humiliter. viſita-
„ verint. de injuncta, ſibi. poenitentia. per crimina. liberaliter.
„ xl. dies. pro quolibet. noſtrum. de Chriſti. miſericordia. &.
„ glorioſae. Virginis. Mariae. ac Beatorum. Apoſtolorum. Pe-
„ tri. &. Pauli. &. Beatae. Agnetis. praedictae. meritis. confiſi.
„ duximus. indulgendos.

Tradit Sanſovinus in hac Eccleſia quieſcere Corpus Sancti Venerii Martyris, quod (ut notat Martinonius in additionibus) tempore reparationis ipſius Eccleſiæ, vel deperditum vel abſconditum fuit. Corpus hoc ex Oriente deductum fuiſſe anno Mcclxxix. & Venetiis in Eccleſia Sanctæ Agnetis collocatum , nos edocet antiquus Index Reliquiarum , quæ in Sodalitio Sanctæ Mariæ de Miſericordia coluntur: his verbis.

Dell'Oſſo del Corpo di M. San Veneral el qual fu tolto a Porto Venere nel 1379. in la guerra de' Genoveſi, e toſſelo Sier Lorenzo Dono de S. Agneſe ſiando Comito di una galia Paron Sier Zan Miani de San Vidal, e quello Corpo fu preſentà a Madonna Santa Agneſe nell'Anno 1390. a di 13. Novembre.

De Oſſe Corporis Dom. S. Venerii, quod a Portu Veneris ablatum fuit anno MCCCLXXIX. tempore belli Januenſis, illudque abſtulit Dom. Laurentius Dono de confinio Sanctæ Agnetis, dum Triremem regeret, cui Præfectus erat Dom. Joannes Æmilianus de S. Vitale, quod corpus oblatum fuit Dom. S. Agneti anno MCCCXC. die XIII. Novembris.

Oſſo del Corpo di Miſſier San Veneral Martire lo qual corpo fu tolto da Porto Venere nel 1379. in la guerra de' Genoveſi, che detti Genoveſi havevano lega con il Re d'Ongaria con el Patriarca d'Aquileja, e con Franceſco Carrara Signor di Padoa e di tutta queſta lega era contro Veneziani, el detto Corpo lo tolſe Sier Lorenzo Dono Comito de una Galia che era ſopra Comito Miſſier Zan Miani de San Vidal. el qual Corpo Benedetto lo ditto Sier Lorenzo per ſua devozione lo offerſe con gran feſta alla Chieſa di Madonna Santa Agneſe nell' Anno del 1390 a di 13. di Novembre giorno di Domenica.

Os Corporis Dom. S. Venerii Martyris, quod corpus ablatum fuit a Portu Veneris anno MCCCLXXIX. tempore belli Januenſium, qui cum Rege Hungariæ, cum Patriarcha Aquilejenſi, atque cum Franciſco Carrarienſi Domino Patavii fœdus inierant adverſus Venetos. Corpus illud abſtulit D. Laurentius Dono vices Præfecti gerens in Triremi, cujus erat Præfectus Dom. Joannes Æmilianus de S. Vitali. quod benedictum corpus dictus Dom. Laurentius intuitu devotionis lætanter obtulit Eccleſiæ Dom. S. Agnetis anno MCCCXC. die XIII. Novembris die Dominica.

Anno MDCCXLV., dum altare Divi Petri a fundamentis ex marmore renovaretur, inventa ſunt in veteris aræ menſa humani corporis plurima oſſa, quæ cum nullum haberent appoſitum martyrii documentum, ita omnino, ut fuerunt reperta, iterum adaptantur.

Præ-

Precipua veneratione aſſervantur in hoc Templo Reliquiæ Titularis Virginis, nempe de capite, de ſanguine, de oſſibus, & cineribus, quas Joannes Baptiſta Faccius Urbinatis Ducis a Secretis Venetiis degens anno MDCXII. Gaſparo Martini Plebano dono dedit. Eas ex ipſo corpore S. Agnetis ablatas anno MDCIX. fuiſſe, teſtatus eſt ſuis litteris, Daniel Binellus Venetus, Canonicus Regularis S. Salvatoris, olim in Monaſterio S. Agnetis extra Urbem degens. Teſtimoniales haſce litteras datas anno MDCXI. die XXXI. Decembris Venetiis ex Monaſterio S. Antonii Abbatis, cum ſibi oblatas conſpexiſſet, & audiſſet Franciſcus Vendramenus Patriarcha Venetiarum eidem Plebano conceſſit, ut ipſas ſacras Divæ Agnetis Reliquias populi cultui, & venerationi exhiberet, & ut in eadem Eccleſia debitum honorem, & reverentiam obtinerent.

Corpus etiam S. Secundini Martyris è Cœmeterio Caliſti extractum, atque nonnulla Sanctorum Innocentium oſſa ad aras Eccleſiæ condita quieſcunt.

Index Chronologicus Plebanorum Eccleſiæ S. Agnetis.

1081 Petrus. Ex antiquo Inſtrum. pergam.

1321 Marcus Semiteculo Deleg. Apoſt. in cauſa Epiſc. Patavini contra Monaſt. S. Mariæ de Charitate Venet. Ex Arch. S. Mar. de Charitate.

1346 Philippus Boldù. Permutavit Plebem cum Pleb. Ruris Trium Baſilicarum. (Tre Baſeleghe) Ex Decret. Senatus.

1364 Nicolaus Semiteculo olim Pleb. Trium Baſilicarum. Ex rog. Arch. S. Mar. Serv.

1369 Dominicus Tirapelle. Ex rog. Naſcimbenii de Scarene Notar.

1371 Joannes de Prato. Ex rog. Philippi Presb. Sancti Gervaſii & Not.

1386 Stephanus. Ex rog. Philippi ſupradicti.

1394 Antonius de Sotagreda unus ex quinque Judicibus deputatis ſuper Decimas a Leonardo Epiſcopo Caſtellano. Ex rog. Jacobi Ciera Pleb. S. Jo. Chryſoſtomi & Not.

1447 Chriſtophorus de Fontana. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Angeli & Not.

1461 Antonius Angeli de Florentia. Ex Matr. Scholæ Charitatis.
1464 Nicolaus Thomæi. Ex ipſius Teſtam.
1478 Philippus Salvi. Ex lib. Eccleſiæ.
1481 Philippus Pellazagho prius Pleb. S. Crucis. Ex rog. Chriſtophori Rizzo Presb. S. Agnetis & Not.
1492 Hieronymus Pariſius Judex Delegatus in quadam cauſa a Dominico Franco Epiſcopo Tarviſino, Ex Arch. S. Michaelis de Muriano.
1507 Victor Blanchus. Ex Arch. Eccleſiæ.
1540 Franciſcus de Comitibus Canon. Duc. Ob. 1547.
1547 Franciſcus Patriarca. Ob. 29. Martii 1552.
1552 Paulus de Georgiis olim Primus Presb. S. Agnetis poſtea Pleb. Methamauci deinde Pleb. S. Agnetis, in cujus feſta die 21. Jan. Ob. ann. 1554.
1554 2. Febr. Hieronymus Contini 1576.
1576 Joannes Baptiſta Roſa. Ob. 29. Dec. 1605.
1605 Gaſpar Martini. Ob. 3. Decemb. 1626.
1626 Michael Lauranus. Ob. 6. Octob. 1630. peſte correptus.
1630 Bartholomæus Zarabinus. Ob. 1648. M. V. 2. Febr.
1648 M. V. 14. Febr. Vitalis Bogniolo. Ob. 1658. M. V.
1658 M. V. Leo Coſmus. Ob. 26. Febr. 1672. M. V.
1672 M. V. Stephanus Dioniſe. Ob. 4. Aug. 1674.
1674 Dominicus Borghetti El. ann. 35. Ob. 1735. 7. April. Nocte præcedente Feriam VI. in Paraſceve. Hic completo L. anno ſui Plebanatus ſolemnem Miſſam pro gratiarum actione cecinit ſummo cum plauſu totius Civitatis.
1735 11. Apr. Salvator Bertella. Ob. 30. Oct. 1745.
1745 5. Nov. Jo. Franciſcus Zacchi.

DE
MONASTERIO
S. MARIÆ DE CHARITATE.

EOdem ferme tempore quo Gelaſio II. Summo Pontifici Cluniaci morte ſublato, Calixtus ejusdem nominis pariter II. ſuffectus eſt, Marcus Julianus Nobilis Venetus, Eccleſiam ædificavit S. Mariæ de Charitate titulo inſignitam. Contigiſſe hæc Calixti II. anno I. Chriſti nempe MCXIX. narrat Dandulus in Chronico lib. IX. cap. XII. par. III. his verbis: " Calixtus igitur II. nationé „ Burgundus ibi (Cluniaci ſcilicet, ubi præceſſor ejus obie- „ rat) concorditer eſt electus, qui primo anno celebravit „ Concilium Tholoſæ, ubi damnati ſunt, qui Religionis ſpe- „ ciem ſimulantes, Sacramenta damnabant Conjugii, Altaris, „ & Baptismi. Tunc Marcus Juliano Eccleſiam, & Monaſte- „ rium Sanctæ Mariæ de Caritate vocabulo Venetorum con- „ ſtruxit, & cum conſenſu Papæ Canonicos Regulares ibi re- „ ſidere decrevit: quod per Innocentium Secundum Priori „ Sanctæ Mariæ in Portu Ravennæ poſtea conceditur, dein- „ de Alexander III. Eccleſiam illam conſecravit ". Verum

cum

cum ex Apoſtolico ipſius Calixti Diplomate conſtet „ Marcum loci fundatorem poſſeſſiones ſuas Beato Petro, ejuſque Romanæ Eccleſiæ obtuliſſe, & ædes, ubi Eccleſiam erigere deſiderabat, ipſumque Calixtum Pontificem oblationem ſuſcepiſſe, & lapidem in fundamento Eccleſiæ ponendum miſiſſe „ habendum pro certo eſt Calixti Pontificis tempore, non tamen anno ejus primo ædificatam fuiſſe Eccleſiam. Pontificias Calixti Epiſtolas ex Hiſtoriæ Tripartitæ Gabriellis Pennoti lib. 2. cap. 24. num. 1. exhibemus, in quibus Marcus Clericus pro Juliano ex errore amanuenſis irrepſiſſe dignoſcitur.

„ Calixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio „ Marco Clerico Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. „ Chariſſimus, & venerabilis frater, & Legatus noſter P. Por- „ tuenſis Epiſcopus, miſſis litteris ſignificavit nobis, te poſſeſ- „ ſiones tuas per manus ſuas Beato Petro, ejuſque Romanæ „ Eccleſiæ obtuliſſe, ſub cenſu annuo unius Bizantii. Ubi vi- „ delicet Eccleſiam ædificare deſideras, in qua ſub jure, ac „ dominio Beati Petri regulares canonici converſentur, & nos „ ergo devotionem tuam, & deſiderium approbantes oblatio- „ nem ipſam ſuſcipimus, & pro te Omnipotenti Domino ſup- „ plicamus, ut bonum, quod cœpiſti opus ad honorem ſuum, „ & ſalutem tuam, te faciat conſummare. Præterea lapidem, „ quem in fundamento illius Eccleſiæ ponere debeas, miſi- „ mus, in eo tibi conſenſum, & gratiam indulgentes. Da- „ tum Averſæ VIIII. Kal. Auguſti.

Litteras quoque Innocentii II. quibus Joanni Priori S. Mariæ in Portu Ravennatenſi, ejuſque Fratribus mandat, ut Venetæ Eccleſiæ regimen, aut abſque dilatione aſſumant, aut aliis adminiſtrandum dimittant, affert loco citato Dandulus ex Veneto S. Mariæ de Charitate Archivo deductas.

„ Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis fi- „ liis Joanni Priori, & fratribus Sanctæ Mariæ in Portu Sa- „ lutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Filius noſter Mar- „ cus Julianus Venetus, tempore prædeceſſoris noſtri bonæ „ memoriæ Papæ Calixti, vovit Eccleſiam in honorem Bea- „ tæ Mariæ conſtruere, & canonicos ibi Regulares ſtatuere „ cujus videlicet magiſterium eſt vobis conceſſum, verum vos „ ejus tardantes votum, nondum eam regere cœpiſtis. Ne igi- „ tur pium ejus evacuetur propoſitum, mandamus vobis, ut

ſi

„ ſi commodum viſum fuerit, absque dilatione prædicti loci „ regimen aſſumatis, aut, ut alios ibi poſſit ſubſtituere Cano„ nicos, libere refutetis. Datum Piſis x. Kal. Julii". Ex cujus adnotatione loci infertur anno MCXXXIV. datas fuiſſe Innocentii epiſtolas, ſiquidem eo anno ejus authoritate coactum fuerat Piſis adverſus Anacletum Antipapam Concilium, cui Pontifex Innocentius interfuit.

„ Cæterum (refert Pennotus loco citato) eosdem Cano„ nicos Portuenſes ipſius Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſe, & in ea „ Collegium Canonicorum ſtatuiſſe ſub Druduno Priore con„ ſtat authentico inſtrumento donationis, ſive ceſſionis factæ „ eidem Priori, & ſuis fratribus in dicta Canonica S. Mariæ „ commorantibus, a nobili viro Joanne quondam Antonii „ Polano de quadam petia terræ, poſita ſuper canale Sancti „ Vitalis, rogato per manum Joannis Presbyteri, & Notarii „ anno 1142. 2. Julii in Rivoalto cujus hoc eſt exemplum „ ab authentico, quod ſervatur in Archivio prædicti Mona„ ſterii fideliter extractum.

„ Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo Junii in „ Rivoalto. Plenam, & irrevocabilem ſecuritatem facio Ego „ quidem Joannes Polanus filius quondam Dominici Polani „ de confinio Sancti Lucæ, cum meis hæredibus Eccleſiæ S. „ Mariæ canonice ædificatæ ſuper allodium Marci Juliani, „ & ædificandæ, & tibi Drudono Presbytero, & Priori ipſius „ loci, & veſtris ſucceſſoribus, de una petia de terra poſita „ ſuper canale Sancti Vitalis, quam prædictus pater meus ac„ quiſivit de bonis relictis a commiſſaria Stephani Lucarelli, „ &c. & illam Drudono prædicto, & ſancto loco, & Cano„ nicis do, & offero ad faciendum quidquid vobis placuerit „ &c. Ego Joannes Presb. & Not. complevi & roboravi &c. „ Sed præter ſupradictam aliæ quamplures ſub eodem anno „ 1140. inveniuntur factæ fuiſſe donationes eisdem Canonicis „ in eadem Eccleſia degentibus, quarum ibi authentica inſtru„ menta in pergameno vetuſtiſſimo ſervantur, una videlicet „ ſub die 8. Maii quæ talis eſt.

„ Milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo menſis Maii „ in...... Ego quidem Helica Ziani de Rivoalti, in confi„ nio Sanctæ Trinitatis cum meis hæredibus, & ſucceſſoribus „ pro divino ſcilicet amore Dei, & remedio animæ meæ pa-

,, rentum meorum ſimiliter .... in Dei, & Chriſti no-
,, mine do, dono, cedo, & offero Eccleſiæ Dei, & S. Ma-
,, riæ della Carità, quæ ædificata eſt in Rivoalto, ſub titu-
,, lo Sanctæ Mariæ in portu Ravennatis omnibus pro futuris
,, temporibus in perpetuum poſſidendum, & dominandum vi-
,, delicet unam meam ſalinam poſitam in fundamento da Sa-
,, blono quæ eſt in lido &c. Ego Ægidius Presbyter comple-
,, vi & roboravi &c.

,, Hoc Monaſterium (ſequitur idem Author lib. III. cap.
,, XII.) plerique Romani Pontifices ampliſſimis privilegiis
,, decoraverunt, & muniverunt & in primis Innocentius II.
,, illud cum omnibus bonis ſuis ſub immediata protectione
,, Sedis Apoſtolicæ recepit, & liberavit a ſolutione decima-
,, rum, quod confirmavit Urbanus III. alio privilegio Vero-
,, næ dato die 4. Julii, in quo prioris privilegii Innocentii
,, II. meminit. Illud eſt in libro Indultorum pag. 587. Ale-
,, xander III. anno 1177. cum eſſet Venetiis Eccleſiam San-
,, ctæ Mariæ Charitatis propriis manibus conſecravit, & die
,, dedicationis cum tribus ſequentibus dictam Eccleſiam de-
,, vote viſitantibus plenariam Indulgentiam in perpetuum lar-
,, gitus eſt, confectis litteris Apoſtolicis, quarum exemplum
,, eſt Romæ in Archivio Sanctæ Mariæ Pacis: Dies ipſius
,, Dedicationis eſt 3. Aprilis, quo Sereniſſimus Venetorum
,, Dux cum toto Senatu ad prædictam Eccleſiam proceſſiona-
,, liter, & ſolemniter procedit. Ferunt Alexandrum III. Fe-
,, derici I. Imperatoris inſidias, & violentiam declinantem,
,, ſub habitu canonico in hoc Monaſterio latitaſſe, ibi vero
,, deprehenſum a Duce Venetorum, & toto Senatu cum ho-
,, nore exceptum: ac propterea theſauros Indulgentiarum viſi-
,, tantibus Eccleſiam largitum. Quæ non ſolum totius Civi-
,, tatis Venetiarum, ſed etiam finitimarum eo die ad prædi-
,, ctam Eccleſiam ſumma cum devotione quotannis concur-
,, ſum facientium vetus, & conſtans eſt traditio, quam te-
,, ſtantur imagines in majori Aula Palatii Divi Marci Vene-
,, tiarum, totam rei geſtæ ſeriem repræſentantes, & quod ma-
,, joris eſt ponderis, Alexander Sextus in quodam privilegio,
,, quod authenticum in eodem Monaſterio ſervatur, dato an-
,, no 1502. in quo ejuſdem Hiſtoriæ mentio habetur, per
,, quod privilegium Priori, & Canonicis facultatem indulget,

in

„ in crepuſculo noctis, ſeu poſt illud, expleto tamen matuti-
„ no, Miſſam Nativitatis Domini celebrare, quæ noctis tem-
„ pore celebrari conſuevit. Et licet hiſtoriam, quæ aſſerit,
„ Alexandrum III. ſub Canonicorum habitu in prædicto Mo-
„ naſterio deliteſcentem a Duce Veneto deprehenſum, rejiciat
„ Baronius tom. 12. ſub an. 1177. tamen Indulgentiarum per
„ Alexandrum III. prædictam Eccleſiam viſitantibus largita-
„ rum meminerunt Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocen-
„ tius VIII. Alexander VI. Clemens VII. Gregorius XIII. &
„ Clemens VIII. in aliis literis, quarum autographa vidi. Eſt
„ in Archivo Pacis Romæ copia literarum Alexandri III. ex
„ primo libro Parcorum Venetiarum extracta, carta 128. vi-
„ delicet: Hoc exemplum inventum eſt in primo libro Par-
„ corum Venetiarum.

„ Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis fi-
„ liis Priori, & Fratribus Sanctæ Mariæ de Charitate Salu-
„ tem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum pro commodo
„ Generalis Eccleſiæ, cujus curam, & regimen licet immeri-
„ to gerimus, veniſſemus Domino Ducente Venetias, ad pe-
„ titionem veſtram, pro noſtri officii debito Nonas Apr. Ec-
„ cleſiam veſtram, invocata Spiritus Sancti gratia, dedicavi-
„ mus, & omnibus, qui in Anniverſario dedicationis vel tri-
„ bus diebus ante, vel poſt eandem Eccleſiam contrito animo de-
„ vote, & humiliter viſitaverint, de pœnis ſibi injunctis,
„ confiſi de miſericordia Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolo-
„ rum Petri, & Pauli meritis duximus indulgendos. Ne igi-
„ tur illud Indulgentiæ, quod viſitantibus Eccleſiam veſtram
„ annuatim indulſimus, impoſterum a memoria hominum ela-
„ batur, remiſſionem, quam fecimus, auctoritate Apoſtolica
„ confirmamus, eamque ad perpetuam memoriam futurorum
„ in ſcriptis duximus redigendam.

„ Datum Venetiis in Rivoalto IV. Calend. Julii.

„ Ego Bonincontrus Ducatus Venetorum Scriba hoc
„ exemplum ſumptum ex Authentico, nihil addens,
„ vel minuens, ut comperi, bona ita fide ſcripſi,
„ & exemplavi, & meo ſigno corroboravi curren-
„ tibus ann. Dom. 1320. Ind. III. die X. Apr.

Innocentius III. aliud privilegium prædicto Monaſterio conceſſit, quod quia in libro Indultorum non habetur, hic addendum curavi.

„ Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Vincentio Priori Sanctæ Mariæ in Portu, ejusque fratribus tam præſentibus, quam futuris Religioſam vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis ſupplicationibus clementer annuimus, & Eccleſiam S. Mariæ de Charitate, conſtructam in poſſeſſionibus a Marco Juliano infra Ducatum Venetiæ Beato Petro collatis, quas piæ recordationis Innocentius II. Eccleſiæ veſtræ commiſſit, cum omnibus ſuis pertinentiis, ad exemplar ejusdem prædeceſſoris noſtri, ſub Beati Petri jure, ac Patrocinio perpetuis temporibus manere ſancimus. Statuentes, ut decimæ laborum veſtrorum, quos propriis ſumptibus colitis, fratrum ibidem Deo ſervientium uſibus cedant. Porro quamdiu religio in eodem loco duraverit, tam de Eccleſia ipſa, quam de omnibus ſuis appendiciis canonice habitis, vel habendis ordinandi, & diſponendi, ſecundum veſtram providentiam, & arbitrium, prout melius ad honorem Dei, & utilitatem ejusdem loci vobis viſum fuerit, in temporalibus, & ſpiritualibus liberam vobis concedimus facultatem. Omnibus Eccleſiaſticis, ſecularibusve perſonis vobis ſuper hoc contradictionem, ſeu moleſtiam inferendi Apoſtolica autoritate licentia interdicta. Chrisma vero, oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & communionem ſacroſantæ Romanæ ſedis habuerit, & ea voluerit vobis gratis, & ſine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis, Catholicum adire Antiſtitem, gratiam, & communionem Apoſtolicæ ſedis habentem, qui noſtra fretus autoritate vobis, quod poſtulatur, impendat. Sepulturam quo-

„ que

„ quæ ipſius loci liberam Eccleſiæ decernimus, ut eorum de-
„ votioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri delibe-
„ raverint, niſi forte excommunicati, vel interdicti ſint, nul-
„ lus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a
„ quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo,
„ ut nulli omnino hominum fas ſit in eadem Eccleſia, ſeu
„ in rebus ad ipſam pertinentibus, ſibi aliquid vindicare, aut
„ ejus poſſeſſiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, aut
„ aliquibus vexationibus fatigare, ſed integra omnia conſer-
„ ventur, eorum pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione
„ conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis A-
„ poſtolicæ autoritate. Ad hujus autem conceſſionis indicium,
„ ſeu quod eadem Eccleſia cum ſuis poſſeſſionibus B. Petri
„ juris exiſtat unum, Bizantium nobis, noſtriſque ſucceſſori-
„ bus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur in futurum Ec-
„ cleſiaſtica, ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis
„ paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſe-
„ cundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſa-
„ tisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate
„ careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata ini-
„ quitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei,
„ & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, at-
„ que in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cun-
„ ctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini
„ Noſtri J. C. quatenus, & hic fructum bonæ actionis perci-
„ piant, & apud diſtrictum judicem premia æternæ pacis inve-
„ niant. Amen.

„ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
„ Ego Petrus Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ Epiſcopus ſub-
„ ſcripſi.
„ Ego Joannes Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
„ Ego Joannes Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
„ Ego Nicolaus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.
„ Ego Guido Prænestinus Epiſcopus ſubſcripſi.
„ Ego Joannes tituli S. Stephani in Cœlio monte presb.
„ Card. ſubſcripſi.
„ Ego Sofredus tituli Sanctæ Praxedis presb. Card. ſub-
„ ſcripſi.

„ Ego Vencius SS. Joannis, & Pauli preſb. Card. tituli
„ Pamachii ſubſcripſi.
„ Ego Benedictus tituli Sanctæ Suſanæ preſb. Card. ſub-
„ ſcripſi.
„ Ego Rogerius tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Preſb. Card. ſub-
„ ſcripſi.
„ Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum Diacon.
„ Card. ſubſcripſi.
„ Ego Guidus S. Nicolai in carcere Tull. Diacon. Card.
„ ſubſcripſi.
„ Ego Guala Sanctæ Mariæ in Porticu Diacon. Card.
„ ſubſcripſi.
„ Ego Octavio SS. Sergii, & Bacchi Diacon. Cardin.
„ ſubſcripſi.
„ Data Romæ apud S. Petrum, per manus Joannis Sanctæ
„ Mariæ in Coſmedin Diac. Card. Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Cancellarii v. Id. Januar. Ind. II. Incar-
„ nat. Dominicæ ann. MCCVI. Pont. vero Dom. In-
„ nocentii Pp. III. ann. X.

Interea dum Romani Pontifices Eccleſiam hanc ſpiritualibus decorant ornamentis, pii quoque ac devoti viri temporalibus ſtudent ſubſidiis adjuvare. Hos inter Litifredus de Cavazudo anno MCLXXXVIII. prædia aliqua, cum ipſarum decima in finibus Plebis (quod agri Patavini oppidum eſt, Pjove de Sacco nuncupatum) in Valle Solana poſita, *titulo donationis* obtulit, cujus *offertionis cartulam* in publicas tabulas redegit Petrus Sacri Palatii tabellio.

Ad augendos Monaſterii redditus acceſſerunt quoque in ipſa *Villa Plebis duæ petiæ de terra aratoria*, quas ſoluto pretio nomine, & *vice Canonicæ Sanctæ Mariæ de loco Venetiæ* ipſius Procuratoribus *refutavit* Johannes Presbyter die IX. Junii anno MCIXC. De Decima ex hujuſce terræ fructibus proveniente controverſiam habuit, anno MCCCIXXI. Venetum Monaſterium adverſus Ildebrandinum Epiſcopum Paduanum, qui ipſam ad ſe jure Dominii pertinere aſſerebat; cumque pro Epiſcopatu Patavino, adverſus Priorem S. Mariæ de Charitate ſententiam tuliſſet ejuſdem Ildebrandini Vicarius Generalis; Prior, & Conventus ſe injuſte gravatos eſſe dolentes ad Sedem

dem Apoſtolicam, cui tunc Joannes XXII. præerat, appellarunt: Marco Semitecuo S. Agnetis Venetiarum Plebano, ejusque Collegis Apoſtolicis delegatis die VII. Octobris anno MCCCXXI. Pontifex per Apoſtolica ſcripta mandavit, *quatenus legitime in hujusmodi appellationis cauſa procedentes ſententiam ipſam confirmare, vel infirmare appellatione remota procurent* (A). Quid inde in hujusmodi cauſa actum ſit ignoramus.

Alterius diſſidii initia, quod circa annum MCCLVII. Monaſterium Sanctæ Mariæ de Charitate vehementiſſime perturbavit, ex Apoſtolicis Alexandri IV. epiſtolis clare dignoſcimus. Petrus Canonicus, & Prior Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Portu Ravennate Alexandro IV. Pontifici Maximo expoſuerat, ſe ex imbecillitate ſui corporis, atque ex incurabili morbo minus idoneum eſſe ad Prioratus hujuſce onus ſuſtinendum, quapropter ab eodem Pontifice litteras impetravit, quarum authoritate Epiſcopo Clugienſi mandatum eſt, *ut libera prius ab eo dicti Prioratus reſignatione recepta ipſi Petro de bonis Prioratus ejusdem, aut de aliqua obedientia ad Prioratum ipſum ſpectante provideret*. Reſignatione itaque recepta *dictus Epiſcopus de Eccleſia S. Mariæ de Charitate, memorato Petro providit*; cui tamen *proviſioni litteriſque impetratis, & impetrandis prædictus Petrus in manus Vicarii* Ravennatis (dubium, ſponte ne an coacte) renuntiavit. Poſt hæc *Prior & Conventus* Ravennatis Monaſterii Venetum S. Mariæ de Charitate Cœnobium, eidem Petro contulerunt, *ad eorum voluntatis beneplacitum retinendum*. De ſibi illata violentia apud Electum Ravennatem, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum, Petrus conqueſtus eſt, a quo deinde ad Primicerium Sancti Marci Venetiarum *litteras impetravit, ut ipſi Petro, ſi eſſet ita, provideret de memorata Eccleſia Sanctæ Mariæ de Charitate, renuntiatione hujusmodi non obſtante, ipſumque Petrum in corporalem ejusdem Eccleſiæ poſſeſſionem induceret*, & tueretur inductum. Ut Pontificii legati juſſa exequeretur Primicerius, negotio (ut probabile eſt) rite cognito, Portuenſi tamen Priore, nec monito, nec citato; Petrum in ſibi delati Prioratus poſſeſſionem immitti mandavit, ſed acriter reluctantibus Priore, & Canonicis vim adhibuit, ipſosque Priorem, & Conventum anathemate perculit. Querelas Ravennatis, & Veneti Priorum ad ſe delatas Alexander IV. certis a ſe conſtitutis Judicibus delegavit,

vit, *ut vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis*, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita rite decernerent (B). Judicum ſententia, & totius negotii exitus ex documentorum inopia deliteſcunt.

Honorium III. Monaſterio huic aliud privilegium conceſſiſſe anno 1285. refert loco citato Pennotus, *quod in libro Indultorum pag.* 175. *videri poteſt*.

Poſt hæc ad augendum Eccleſiæ decus, Marcus de Fano, Petri filius, Sacellum Divo Nicolao Myrenſi Epiſcopo, juxta Eccleſiam S. Mariæ de Charitate ædificare propoſuit, quod, ut rite perficeret, Canonicorum Capitulum ſolemni aſſenſu facultatem indulſit anno MCCCXLII. (C), nec multo poſt anno nempe MCCCXLIV. illuſtre ſodalitium, cui ex Monaſterii Eccleſia nomen inditum fuit S. Mariæ de Charitate annuentibus Priore Commendatario, & Canonicorum Collegio, in ejusdem Monaſterii ſolo prope Eccleſiam ſedem fixit, de quo inferius latiori ſermone dicendum erit.

Quinam iis temporibus in Prioris officio conſtituti Monaſterium adminiſtraverint incompertum: cum enim ipſorum electio ad Portuenſem Priorem, ſeu Regularem, ſeu Commendatarium ex jure ſpectaret, monumenta deſunt, a quibus ipſorum nomina colligantur. Circa annum MCCCCIX. Prioratui præerat Alexander Maurocenus, poſt cujus obitum Angelus de Anna S. R. E. titulo S. Potentianæ Presbyter Cardinalis, *tunc Prioratum S. Mariæ in Portu Ravennatenſi, in commendam obtinens*, Prioratum Venetum vacantem, Franciſco Capello Nobili Veneto ipſius Prioratus Canonico contulit. Cum autem jure dubitaret Franciſcus collationem hujusmodi non ſubſiſtere, eo quia prædictus Angelus, in deplorando Eccleſiæ univerſalis ſchismate a Gregorio XII. defecerat, ipſius Gregorii humanitatem exoravit, ut ſibi a ſchismatico homine collatum munus legitima authoritate concederet. Annuit ipſius votis Gregorii Papæ clementia, datisque die VII. Junii anno MCCCCIX. ad Abbatem S. Gregorii de Venetiis Apoſtolicis litteris ei præcepit, *ut ſi poſt diligentem examinationem dictum Franciſcum idoneum eſſe reppererit*, eidem Venetum Sanctæ Mariæ de Charitate Prioratum authoritate Apoſtolica conferret, & aſſignaret (D).

Inita Prioratus poſſeſſione Franciſcus cœpit pro ſui muneris

ris officio, quæ ad ejus utilitatem conferre poterant omni ſtudio curare; quapropter « cernens (refert Pennotus loco jam
„ citato) in ſuo Monaſterio numerum Canonicorum immi-
„ nutum, nec poſſe ſperari, illum ex Portuenſibus, de quorum
„ erat congregatione, reparari (quippe Cœnobium ipſum Por-
„ tuenſe, quod erat caput congregationis, ante aliquot annos
„ Angelo Cardinali S. Potentianæ fuerat commendatum, qui
„ præter redditus nihil omnino curabat, & ita canonicis fe-
„ re omnibus fuerat deſtitutum, illius fabricis in præceps di-
„ lapſis, ut non jam Cœnobium, ſed lapidum congeries, ac
„ ruderum videretur) intellecta fama converſationis Canoni-
„ corum Frigdnionariorum, illos ad ſuum Monaſterium ac-
„ cedere, & divina officia in eo celebrare, aliaque ſacra fa-
„ cere, plurimum rogavit: quod & libenter præſtiterunt,
„ miſſis canonicis, quibus habitationem cum Eccleſia, quoti-
„ dianis oblationibus, quæ in illa fiebant, & ſexaginta tritici
„ ſextariis annuis pro victu aſſignavit, cum quibus, ob lau-
„ dabilis illorum vitæ famam, per decem annos, triginta ca-
„ nonici commode in eodem Monaſterio vixerunt: intra quod
„ tempus multi nobiles tum ex Venetis, tum etiam ex aliis
„ civitatibus habitum canonicorum noſtræ Congregationis ibi-
„ dem aſſumpſerunt, & in canonica obſervantia magnos pro-
„ fectus fecerunt. Sublato autem ſchiſmate in Concilio Co-
„ ſtantienſi, & Martino V. Summo Pontifice communibus
„ votis renuntiato, pontificatus illius anno quarto, idem Fran-
„ ciſcus Prior unionem, & incorporationem omnimodam ſui
„ Monaſterii, cum noſtra congregatione procuravit, & obtinuit,
„ probante Martino V. Bullis Apoſtolicis eodem anno II. Cal. Ju-
„ lias emanatis. Quinimmo reformationem libentiſſime com-
„ plexus, in noſtram ſocietatem, cum ſuis tranſivit: qui vi-
„ ciſſim in Generalibus Comitiis Bononiæ celebratis, anno
„ 1422. primus Prior annualis ſecundum formam ſtatutorum
„ noſtræ Congregationis, & tanquam unus ex canonicis ipſius
„ congregationis fuit deſignatus, confecto publico inſtrumen-
„ to, rogato per Philippum quondam Stephani de Formagli-
„ nis, cujus exemplum ſubjicitur, videlicet:

„ In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejuſdem
„ milleſimo quadringenteſimo, vigeſimo ſecundo, Indictione
„ 15. die 12. Menſis Maii Pontificatus Domini Noſtri D. Mar-

„ tini

„ tini Papæ V. anno v. Venerabiles viri Canonici, ac D. Petrus
„ de Padua Rector, & capitulum generale Ordinis canonico-
„ rum Regul. S. Auguſtini de congregatione S. Mariæ de Fri-
„ ſonaria Lucanæ Diœceſis unanimiter, & capitulariter con-
„ gregati in Eccleſia, ſive Monaſterio S. Joannis in Monte Bo-
„ noniæ dicti Ordinis, & congregationis, diligenter attenden-
„ tes, quod perſona honeſti viri D. Franciſci Capelli de Ve-
„ netiis erit Prioratui S. Mariæ de Charitate de Venetiis dicti
„ Ordinis Congregationis Menſali, & manuali Monaſterii S.
„ Mariæ in portu Ravennatenſis Ordinis & Congregationis.
„ predictorum utilis, & proficua: ac nolentes eundem Priora-
„ tum ob Prioris defectum in ſpiritualibus, aut temporalibus
„ læſionem aliquam pati, unanimiter, & concorditer eundem
„ D. Franciſcum, licet abſentem elegerunt, conſtituerunt, &
„ deputaverunt in Priorem annualem dicti Monaſterii S. Ma-
„ riæ de Charitate de Venetiis, cum poteſtate, & arbitrio
„ aliis Prioribus annualibus a dicto Capitulo hactenus con-
„ cedi ſolitis, & quæ facere conſueverunt Priores dicti Mo-
„ naſterii, & eis conceſſum eſt in dictis literis Apoſtolicis
„ unionis, & colligationis infra dictæ conceſſis dicto Capitu-
„ lo, per D. Martinum Pp. V. ſcriptis, ſub datum Tibure
„ 2. Kal. Julii Pont. ſui ann. 4. præſente, volente, & conſen-
„ tiente Domino Galdino de Bardis Priore dicti Monaſterii
„ Sanctæ Mariæ in Portu, de cujus menſa eſt dictum Mona-
„ ſterium Sanctæ Mariæ de Charitate. Et deinde D. Paulus
„ de Briſſia dicti Ord. vice, & nomine dicti Franciſci electi
„ Prioris annualis dicti Monaſterii de Charitate abſentis, a
„ dicto Rectore nomine dicti Capituli dante recepit librum,
„ & ſigillum in ſignum electionis factæ de dicto D. Franci-
„ ſco ad prioratum dicti Monaſterii, ut ſupra dictum eſt.
„ Mandans idem Capitulum omnibus Canonicis dicti Mona-
„ ſterii, ut eundem D. Franciſcum in Priorem annualem an-
„ tedictum recipiant, & admittant, ſibique in cunctis licitis,
„ & honeſtis pareant, & intendant. Mandans mihi Philippo
„ de Formaglinis, ut de prædicto Notario infraſcripto publi-
„ cum conficiam Inſtrumentum. Actum Bononiæ in Mona-
„ ſterio S. Joannis in Monte Bononienſi Ord. & Congregat.
„ antedictæ. Præſentibus S. Thoma Zerardi de Lana mer-
„ catore, capelle S. Joan. in Monte S. q. Joan. de Zena Ja-

„ nardo

„ nardo dictæ Capellæ, & Magiſtro Hilario q. Richi de Flo-
„ rentia tinctore, Capellæ S. Luciæ teſtibus ad hæc vocatis,
„ & rogatis. Ego Philippus q. Stephani de Formaglinis Ci-
„ vis Bononiæ publicus Imperiali, communis Bononiæ ac Cu-
„ riæ Epiſcopalis Bononiæ auctoritate Not. prædictæ Electio-
„ ni, & omnibus, & ſingulis interſui, eaque rogatus ſcribe-
„ re, publice ſcripſi, ſignoque meo conſueto ſignavi in fidem
„ præmiſſorum.

„ Qua unione perfecta canonici noſtri ad Monaſterium
„ quoad ſpiritualia, & temporalia reparandum alacrius inſi-
„ ſtere cœperunt, & primo quidem ſublatis antiquis domibus
„ carioſis, & ruinoſis ædes novas extruxerunt, in quibus plus-
„ quam viginti nummum aureorum millia de communibus
„ contributionibus expenderunt, ut in vetuſtis Chronicis per-
„ gameno ſcriptis reperitur. Sed & Reverendiſſimus D. Ga-
„ briel Condulmerius S. R. E. Card. qui prioratum S. Sal-
„ vatoris Venetiarum in commendam obtinebat, eoſdem ca-
„ nonicos ad officia divina in dicto Prioratu celebranda vo-
„ cavit, quod ob eximiam tanti viri erga noſtram congrega-
„ tionem benevolentiam præſtiterunt aliquot annis, videlicet
„ usque ad an. 1427. quo anno locum ob cauſas lib. ſupe-
„ riori c. 24. notatas, decreto Generalis capituli dimittere
„ ſtatuerunt.

„ Interim ipſe Reverendiſſimus D. Gabriel Condulmerius
„ ad Summum Pontificatum evectus, Prioratum S. Clementis
„ Venetiarum, qui erat antiquum canonicorum regul. cœno-
„ bium, ſed canonicis ante multos annos omnino deſtitutum,
„ tunc vacantem per mortem D. Jacobi de Leonardis illius
„ ultimi Prioris, qui ſolus ex canonicis regularibus in eo re-
„ ſidebat, extincta in illo dignitate, ac titulo Prioratus, Mo-
„ naſterio Charitatis perpetuo univit, & donavit, datis litte-
„ ris Apoſtolicis apud S. Petrum 4. Non. Decemb. ann. Do-
„ mini 1432. & quia prædictum Monaſterium S. Mariæ Cha-
„ ritatis, erat membrum congregationis Portuenſis, a Mona-
„ ſterio S. Mariæ in Portu Ravennæ pendens, quod Portuen-
„ ſe Monaſterium epidemia in partibus Romandiolæ graſſan-
„ te, & multis copiis armatorum per totam illam provinciam
„ diſcurrentibus, & cuncta ſubvertentibus circa ann. Domini
„ 1438. multas preſſuras graviſſimas ſuſtinuerat, canonicis par-

„ tim morbo extinctis, partim fugatis, omnibusque illius bo-
„ nis a militibus, ſeu latronibus direptis, ne malum capitis
„ in membra derivaret, idem Pontifex eodem anno Monaſte-
„ rium S. Mariæ Charitatis, cum alio S. Bartholamæi prope
„ Mantuam, a prædicto Portuenſi Cœnobio cum omnibus il-
„ lorum bonis, juribus, & pertinentiis, in finibus tamen Ca-
„ ſtellanæ, Paduanæ Mantuanaque civitatum conſiſtentibus,
„ auctoritate Apoſtolica in perpetuum dismembravit, & ſepa-
„ ravit, & ad univerſitatem totius congregationis duntaxat
„ deinceps ſpectare, illique ſubjecta eſſe voluit. Necnon Prio-
„ res, & canonicos dictorum Monaſteriorum ab omnibus ſo-
„ lutionibus, & præſtationibus eidem Portuenſi Monaſterio
„ debitis abſolvit, & in perpetuum liberavit. Conſtat ex lit-
„ teris Apoſtolicis ea de cauſa directis Mauro Abbati S. Ju-
„ ſtinæ Patavinæ ann. 1438. ibibus Auguſti, Pontificatus ſui
„ ann. VIII.

Pontificias Eugenii epiſtolas ſuperius enuntiatus Maurus de Papia Abbas Sanctæ Juſtinæ Venetiis degens in Monaſterio S. Georgiis Majoris executioni poſtea mandavit die XIII. Julii anni ſubſequentis MCCCCXXXIX. (E)

Inter hæc *locus ipſe numero Canonicorum, & regulari obſervantia cæteriſque virtutibus adeo eſt adauctus, ut Eccleſia ipſa confluenti ad devotionem populo, & divina celebraturis officia Canonicis ſtrictior debito videretur*. Ea *ratione, cum eſſet* ipſis *per Chriſtifidelium eleemoſinas oblata occaſio, prædictam Eccleſiam* Apoſtolica Eugenii IV. interveniente facultate ampliare cœperunt, ipſique Pontifici ſe etiam majus Eccleſiæ ſacellum *fundare & erigere* paratos eſſe ſignificarunt. Religioſam virorum pietatem datis die III. Septembris anno MCCCCIVL. ampliſſimis epiſtolis collaudavit Pontifex, & *Calixti prædeceſſoris* ſui veſtigia imitatus *lapidem porphiriticum, qui primus omnium in fundatione prædictæ majoris capellæ poneretur, & facultatem conſtruendi dictam capellam ſimul cum benedictione Apoſtolica miſit*; volens *quod ampliata hujusmodi Eccleſia omnibus indulgentiis privilegiis, & gratiis* gauderet, & uteretur, *quibus parva, & ante appoſitam amplificationi manum gaudere, & uti ſolita erat* (F). Reædificata itaque, atque ornata elegantibus aris Eccleſia, cum Monaſterium quoque *in ſuis ſtructuris plurimum reparatione indigeret*,

Pau-

Paulus II. Pontifex Maximus annô MCCCCLXV. *ſupplicationibus Canonicorum inclinatus* ad ejus inſtaurationem indulſit; ut ſacrarum vota peregrinationum in eleemoſinas pro hujus operis reparatione erogandas converterentur (G).

Proficiente vero de die in diem (ita Pennotus loco citato) in eodem Monaſterio vigore diſciplinæ regularis in humilitate, & paupertate profunda, circa an. Domini 1505. Illuſtriſſimi Comites Collalti, Comites de Tarviſio, quandam Eccleſiam Sanctæ Mariæ loci Marcadelli Comitatus Collis alti, & Diœceſis Cenetenſis, quæ de jure patronatus illorum fuerat, cum illius bonis, & juribus eidem Monaſterio conceſſerunt. Conſtat ex conceſſione facta per Illuſtriſs. D. D. Comites Joannem Antonium, & fratres de Collalto, Comites de Tarviſio, & D. Catharinam relictam q. Clariſſimi Comitis, & Equitis Dom. Joannis Baptiſtæ, illorum matrem, eodem anno die 11. Septemb. quam probavit Julius II. Prid. Id. Decemb. Pontific. ſui anno III.

Deinde an. 1547. Monaſterium S. Mariæ Charitatis omnia bona, prædia, poſſeſſiones, & jura Monaſterii Portuenſis, quæ habebat in civitate, & diſtrictu Senogalliæ civitatis, acquiſivit, conſentiente toto Capitulo Generali, eodem anno Ravennæ celebrato, publicoque Inſtrumento confecto per Hieronymum q. Juſtiniani a Portu Civem, & Notarium publicum Ravennatenſem rogato, die 12. menſis Maii, pro quibus Monaſterium Charitatis ſolvit tria millia nummorum aureorum, quæ Monaſterium Portuenſe occaſione pecuniæ mutuo acceptæ, diverſiſque perſonis Romæ, & Cameræ Apoſtolicæ perſolutæ, creditoribus debebat. Probata eſt ejuſmodi acquiſitio per Paulum III. VII. Kal. Decemb. ann. ſui Pont. XIV. exiſtente Priore dicti Monaſterii Ven. P. D. Gregorio Barbadico Nobili Veneto, qui novam Monaſterii fabricam inchoavit, quam utinam illius ſucceſſores perfeciſſent.

Sumptuoſam Deiparæ aram, ubi veneranda ejus imago præcipuo cultu aſſervatur, erigi mandarunt Marcus, & Auguſtinus, e Barbadica gente Duces Venetiarum, ſuaque marmorea ſimulacra, & emortuales memorias hinc inde ad decoris augumentum diſpoſuerunt.

Majoris Sacelli aram, aliaſque Divis Stephano Prothomartyri, Laurentio, atque Antonio Patavino dicatas conſecravit

 die

die II. Auguſti anno MCCCCLXXI. Ludovicus Lodigus Epiſcopus Mothonenſis. Anno poſtea MDVII. die XVIII. Octobris aræ S. S. Salvatoris atque aliæ S. Nicolai conſecrationis munus attulit, Titus Venetus Epiſcopus Chiſamenſis.

Jam ſuperius dictum eſt ex Pontificia Eugenii IV. liberalitate huic Sanctæ Mariæ de Charitate Monaſterio adnexum fuiſſe vetuſtiſſimum Divi Clementis Cœnobium, in cujus Eccleſia ſacrum, ac venerabile corpus Divi Aniani Alexandrini Patriarchæ aſſervabatur. Sanctiſſimum Pontificem Alexandriæ ſepultum fuiſſe, juxta corpus Divi Marci refert, antiquus codex Paſſionarius Ducalis Baſilicæ his verbis in calce ejus vitæ notatis: quæ etiam a Petro de Natalibus referuntur lib. IX. cap. XIX. *Sepultus eſt juxta corpus B. Marci in loco Bubulci, ejusque corpus proceſſu temporis Venetias inde translatum, & in Monaſterio S. Clementis reconditum ſervatur*. Tempus vero, quo Venetias deductum fuit indicat Dandulus in Chron. lib. IV. cap. III. par. XIII. „ Anianus Alexandriæ Epiſcopus, poſt Beatum „ Marcum ſuis meritis Eccleſiam Dei multipliciter auxit. di- „ ſpoſitus mortis ſubire tormentum pro Chriſti nomine. Sed „ ſicut Domino placuit XXII. anno ſui Epiſcopatus de hoc „ turbine emigravit, translatusque Venetias ſub Petro Pola- „ no Duce „, ex his hauſit Ferrarius, qui in Catalogo Sanctorum extra Martyrologium die II. Decembris hæc ſcribit. „ Venetiis S. Aniani Epiſcopi Alexandrini. (In Annot. Ania- „ ni Epiſc.) Ex Tab. Eccleſiæ Venetæ corpus illius haben- „ tis. Natalis dies XXV. Aprilis in Martyrol. Roman. adnota- „ tur. Hic vero die Translationis eſt, quando Corpus ex A- „ lexandria Venetias translatum eſt, atque in ſacra Charita- „ tis æde conditum „.

Noviſſimam Translationem ab Inſula S. Clementis ad Eccleſiam S. Mariæ de Charitate peractam fuiſſe, die IV. Nov. anno MCCCCLIIII. teſtatur antiquus Codex in Archivo ejusdem Monaſterii de Charitate aſſervatus.

1453. Adì 4. Novembrio fu translatato il corpo de S. Anniano da la noſtra Chieſia de San Clemente e poſto in la Chieſia de la Carità allo

Al-

MCCCCLIII. Die IV. Novembris. Translatum fuit corpus S. Aniani ex noſtra Eccleſia S. Clementis, & repoſitum in Eccleſia Charitatis ad Aram Majorem,

ubi

Altare Maggior dove è fino à questo giorno. | ubi usque in hodiernam diem requieſcit.

Accedunt ad ſpiritualis decoris augumentum Dens S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris, Coſta S. Bartholamæi Apoſt. atque S. Thomæ Apoſtoli Digitus.

Privilegio tunc temporis ſingulari Eccleſiam auxit Alexander VI. die VII. Auguſti MDII. ipſius priori concedens, ut in pervigilio Dominicæ Nativitatis in ipſo crepuſculo noctis, poſt completum Matutinum primam Miſſam, quæ in nocte ejusdem Vigiliæ celebrari conſuevit, perpetuis futuris temporibus ſolemniter, & alta voce celebrare poſſent. (H)

Iis, quæ ſuperius enuntiavimus, Ducum ex Barbadica Familia monumentis inſculpta viſuntur hæc ipſorum emortualia elogia.

„ Marci Barbadici Principis oſſa hic ſunt, ejusdem recte „ factorum inter homines nunquam interitura laus, quem cum „ diu in Principatu admirari non potuiſſent, eundem pene vi„ ventem patriæ iterum reſtituerunt, Auguſtinum fratrem ei „ ſuffecerunt, debitum virtutum teſtimonium, quod antea „ inauditum, poſteros ac gloriam ſemper excitavit. Præfuit „ menſes IX. vixit annos LXXII. MCCCCLXXXVI.

„ Auguſtinus Barbadicus, Fratri Duci optimo, incredibili „ totius civitatis conſenſu ſuffectus, Rhetico bello confecto; „ Cypro recepta; Piratis toto mari ſublatis; rebus Italiæ „ poſt fuſos ad totum Gallos, Ferdinandumque juniorem in „ regnum reſtitutum, compoſitis maritimis Apuliæ Oppidis „ Imperio adjunctis, Hetruſco tumultu ſedato, Cremona Ab„ duanaque Glarea receptis Cephalonia de Turcis capta, Flo„ rentiſs. Reip. ſtatu vivens M. H. P. vixit ann. LXXXII. præ„ fuit XV. DXXIII. Ob. M. D. I.

Ex adverſo celebri Ducis Nicolai de Ponte memoriæ erectum fuit mauſoleum, cujus ſimulacro ſubjecta fuit hæc epigraphe:

„ Nicolao de Ponte Principi, qui ad Reip. administratio„ nem, præter Nobiliſs. ſcientiarum ornamenta, ſingularem „ quoque ſapientiam, atque innocentiam cum attuliſſet, am„ pliſs. honoribus ac legationibus apud omnes Europæ Prin„ cipes, præclariſs. functus, illisque potiſs. duabus, altera ad

„ Tri-

„ Tridentinam ſynodum, altera exacta jam ætate ad Gregor.
„ XIII. Pontif. Max. ſuſcepta optim. de patria meritus. ad
„ Principatum. evectus. Republ. graviſs. ære liberata. Urbe
„ plurimis belli ſubſidiis, & pacis ornamentis aucta deceſſit
„ memorabile ſuis civibus exemplum. MDLXXXV. III. Kal. Sex-
„ til. vixit anno LXXXIV. in Principatu VII. Menſ. IV. die XI.

Lazarus Mocenicus Venetæ claſſis Imperator, ac Turcarum terror, qui fortiter pro patria pugnando occubuit anno MDCLVII. die XIX. Julii emortualem in hoc Templo pacem invenit.

In primo clauſtro altum, & a pariete proſtans ſepulcrum viſitur Briamontis celeberrimi Ducis, cui affixæ adhærent duæ æneæ tabulæ egregii operis, in quarum una pedeſtre prælium, in altera vero equeſtre Victorius Gambellus effinxit.

Litifridus donat terram poſitam in finibus Plebis in Valle Solana Monaſterio S. Mariæ Charitatis Venetiarum.

A 1188. 7. Maii.

Ex Autographo in Monaſterio Charitatis Venetiarum.

IN Nomine Domini Dei Eterni. Anno ejusdem Nativitatis Milleſimo centeſimo octuageſimo VIII. die VII. intrante menſe Madii Indictione VI. Eccleſie Sancte Marie de Caritate de loco venecie. (*a*) Ego Liteſredus de cavazudo offertor, & donator ipſius Eccleſie propterea dixi. Quisquis in ſanctis ac venerabilibus locis de ſuis aliquid contulerit rebus juſta auctoris vocem in hoc ſeculo centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Ideoque Ego qui ſupra Litiſredus dono confero titulo donationis X. Vanezias (*b*) de terra juris mei ad proprium cum decima ſu mea eſt, & foidrum (*c*) Presbitero bellone in vice prioris deporto pro jamdicta Eccleſia de Caritate Camerlengo pro anima mea ſicuti habebam & tenebam in me habendo uſufructum dum vixero & poſt meum deceſſum legitime remaneat in eadem Eccleſia; que jacet in finibus plebis in valle Solana coheret ei de uno latere Sancta Maria, de alio Zaninus, de uno capite via, de alio foſſa. Quam autem ſopraſcriptam terram cum acceſſione & ingreſſu ab hac die

in

(*a*) Ex Archivo S. Mariæ Murianenſis ad annum 1183. legitur Ildefonſus Prior S. Mariæ de Charitate Judex delegatus a Lucio III inter Leonardum Epiſcopum Torcellanum, & Bonum Balbi Plebanum S. Mariæ Murianenſis. Sententiam latam menſe octobris ejusdem anni dabimus in *Torcello Sacro* ad Eccleſiam Matricem Murianenſem.

(*b*) Vanezia, Veneto vernaculo *Vaneza*, eſt modica portio terræ in longum protenſa.

(*c*) Foidrum, idem eſt ac *Fodrum* ſeu *Foderum*, *Fodrium*, & *Forium* juxta varietatem temporum & ſcriptorum. iis verbis authores inferioris ævi ſignificabant annonam militarem.

in antea Eccleſie S. Marie Ego Liteſredus anime meo redemptione dono, recedo, conſero & per preſentem cartulam ibidem habendum conſirmo ut ſupra licet illum cum guarentatione, & deſenſione mea & meorum heredum ab omni homine in ratione ſub pena dupli. Actum eſt hoc ſub porticu ſuo.

Teſtes Maurus menzotus miſotus, Nicolaus Cagnus, Dominicus de Reginza & alii.

Ego Petrus Sacri Palatii tabellio interſui, & hanc cartulam offercionis rogatus ſcripſi.

Procuratores Canonicæ Sanctæ Mariæ Venetiarum accipiunt nomine dictæ Canonice petias de terra poſitas in Villa Plebis.

1141. 9. Junii.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ de Charitate.

Die Lunæ que eſt nono die intrante menſe Junii in Villa Plebe (*a*) Præſentia Domini Bellini Dei Gratia Venerabilis Paduani Epiſcopi, & Ingelfredi Judicis atque Joannis dallo ſeu Busnardi. Item Faleo dargere Petrus Dargere, Petrus Dravido, Joannes de presbitero penſo & aliisquamplurimis. In iſtorum preſentia, & preſentia aliorum, qui preſentes aſtabant refutavit Johannes de Silvabullionis filius q. Ambroſii in manibus presbyteri Johannis, & Henrici Longobardi vice Canonice Sancte Marie de loco Venetie petias duas de terra aratoria, que eſt juris proprietatis ipſius Eccleſie, & advenit per unam cartam venditionis ex parte Alberti de Juſtino, & jacet in loco & fundo caſaſeſaldi in fine de Villa Plebis. Inſuper & per factam refutationem, & acceptionem libr..... quinque Ven. monetæ ab eodem Joanne Presbytero, & Henrico Lambardo. Dedit prædictus Johannes uvadiam (*b*) in manibus eorum disbrigandi & uva ventandi ipſam terram ab...... homine ſub pena librar. x. Ven. Petrus Dota extitit fidejuſſa, & placitis obedire M.CXXXXI. Indict. Quarta.

Ego quidem Adam Notarius rogatus S.S.

(*a*) Villa Plebis nunc elegans oppidum in agro Patavino *Piove de Sacco* nuncupatum.

(*b*) W*adium*, ſeu *vadium* ſeu *Gaudium* dicitur de eo, quod rei alicujus ſignum, ac ſymbolum eſt, ſic feſtuca, quam in ſignum, atque pignus translationis poſſeſſionis tradebat emptori venditor, appellabatur. Alia videſis in Gloſſario Cangii, & in Monachorum additionibus.

Joan-

Joannes XXII. Delegatis Apoſtolicis mandat, ut cauſam appellationis inter Epiſcopum Patavinum & alios ex una parte, ac Monaſterium S. Mariæ de Portu ex altera recognoſcant, latamque a Vicario Paduano ſententiam vel confirment, vel infirment.

1321. 7. Octobris.

Ex Autographo in Monaſterio Charitatis Venetiarum.

JOannes Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis (a) Plebano plebis Sancte Agnetis Caſtellan. ac . . . Officiali Caſtell. ac ... Priori Fratrum Ordinis Predicatorum Caſtell. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sua nobis . . Prior & Conventus Monaſterii S. Marie in portu per Priorem ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, ac Johannes Robini filius quondam Petri Bonſtralli laicus Ravennat. & Paduan. Dioceſ. petitione monſtrarunt, quod perceptio decime provenientis ex fructibus cujusdam pecie terre ſite in confinio, ſeu territorio Ville de Sacco ejusdem Paduane Dioceſis ad eodem Priorem, & Conventum de antiqua & approbata, & hactenus pacifice obſervata conſuetudine dinoſcitur pertinere, & tam iidem Prior & Conventus ſint, quam predeceſſores eorum qui fuerunt pro tempore, in pacifica poſſeſſione vel quaſi juris percipiendi hujusmodi decimam fuerint a tempore cujus contrarii memoria non exiſtit, idemque laicus qui per triennium & amplius terram ipſam tenuit & poſſedit, & adhuc dinoſcitur poſſidere hujusmodi decimam provenientem ex dictis fructibus dictis Priori & Conventui a tempore quo terram ipſam habuit & poſſedit dumtaxat dinoſcitur poſſediſſe. Verum Vener. Frater Noſter Ildebrandinus Epiſcopus, tunc electus Paduanus, minus veraciter aſſerens dictam decimam ad ſe jure Dominii pertinere, ac Petrus dictus peratus & Algerius q. Nicola Arepati laici, dicte Paduane Dioceſis falſo aſſerentes decimam ipſam eis ab Eccleſia Paduana in pheudum ab antiquo eo modo fore conceſſam, ut Epiſcopi Paduani qui erant pro tempore & ipſi communiter debent decimam percipere antedictam, & quod idem Johannes ipſi Epiſcopo, Petro & Algerio per triennium, & amplius in hujusmodi decime ſolutione ceſſerat dictum Johannem, ſuper hoc petendo eum compelli ad exhibendum decimam de dictis fructibus coram .. Vicario generali ejusdem Electi non ex delegatione Apoſtolica traxiſſent in cauſam dictus Prior & Conventus rem ſuam agi conſpicientes, & metuentes ſibi exinde præjudicium generali ad defenſionem hujusmodi cauſe ab eodem Vicario ſe admitti cum inſtantia poſtularunt, quos idem Vicarius ad id admiſit juſtitia ſuadente ac deinde idem Vicarius perperam in hujusmodi cauſa procedens diffinitivam, contra dictos Priorem & Conventum ac Johannem ſententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte dictorum Prioris & Conventus & Johannis fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum. Quocirca diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus legitime in hujusmodi appellationis cauſa procedentes ſententiam ipſam confirmare, vel infirmare appellatione remota procuretis prout de jure fuerit faciendum. Non obſtante indulgentia, qua fili Prior ordini tuo a Sede Apoſtoli-

(a) Marcus Semiteculus Pleb. S. Agnetis, qui eo ipſo anno 1321. Eccleſiam ſuam conſecrari curavit.

ſtolica dicitur eſſe conceſſum, ut ipſius ordinis fratres non teneantur ſe intromittere de quibuscumque negotiis, que eis per ipſius ſedis litteras committuntur niſi in eis de conceſſione hujusmodi plena & expreſſa mentio habeatur. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe duo veſtrum ea nichilominus exequantur.

Datum Avinione Nonis Octobris Pontificatus noſtri anno Sexto.

Alexander IV. Delegatis Apoſtolicis committit, ut cognoſcant in cauſa Monaſterii S. Mariæ de Portu Ravennate contra Petrum aſſertum Priorem Monaſterii Sanctæ Mariæ de Charitate Venetiarum.

B 1257. 7. Februarii.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ de Charitate.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis... Priori Sanctorum Victoris & Johannis in Monte Bononienſi, (*a*) Thediſio Canonico Belvacenſi Capellano noſtro, & Marco dicto paradiſo Canonico Gradenſi Bononie commorantibus Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dilecti filii.. Prior & Conventus Eccleſie S. Marie de Portu Ravennate Ordinis S. Auguſtini nobis ſignificare curarunt, quod Petrus Canonicus tunc Prior ejuſdem Eccleſie ſuggeſto nobis, quod propter debilitatem ſui corporis, & morbum incurabilem quem habebat onus Prioratus ipſius Eccleſie non poterat ſuſtinere, noſtras ad Ven. Fratrem noſtrum... Epiſcopum Clugienſem impetravit litteras inter alia continentes, ut libera prius ab eo dicti Prioratus reſignatione recepta ipſi Petro de bonis Prioratus ejuſdem aut de aliqua obedientia ad Prioratum ipſum ſpectante (*b*) auctoritate noſtra providere curaret, quarum litterarum auctoritate dictus Epiſcopus de Eccleſia S. Marie de Caritate de Venetiis pertinente ad Prioratum eundem memorato Petro poſt hujusmodi reſignationem providit. Tandem vero cum predictus Petrus proviſioni ſibi facte de prefata Eccleſia S. Marie de Caritate ac litteris ipſis impetratis, & aliis etiam de cetero impetrandis in manibus ... Vicarii dilecti filii.. Electi Ravennatis (*c*) tunc in remotis agentis & ſupradicti Prioris renuntiaſſet ſpontanea voluntate idem Prior prefati Conventus accedente conſenſu dictam Eccleſiam S. Marie de Caritate Petro commendavit eidem ab ipſo usque ad eorum voluntatis beneplacitum retinendam. Set idem P. poſtmodum ad excogitatam malitiam ſe convertens, & falſo ſuggerens eidem Electo tunc Apoſtolice Sedis Legato, quod Canonici Prioratus predicti eundem Petrum ad re-

(*a*) Monaſterium S. Victoris prope Bononiam in colle poſitum unitum eſt alteri Cœnobio S. Joannis in monte ejuſdem Civitatis a Canonicis Regularibus Lateranenſibus excultum.

(*b*) *De aliqua obedientia* ſcilicet de aliquo Monaſterio ab ipſo Pioratu dependente.

(*c*) Philippus Fontana Epiſcopus Ferrarienſis, poſtea electus Florentinus, demum Archiepiſcopus Ravennas anno 1251. Apoſtolicæ Sedis Legatus adverſus impiiſſimum Tyrannum Eccelinum a Romano. Obiit anno 1274. de eo Ughel. Tom. II. col. 380.

renuntiandum proviſioni & litteris ſupradictis per violentiam compuliſſent, ab eodem legato ad Primicerium Sancti Marci de Venetiis Caſtellane Dioceſis litteras impetravit, ut ipſi Petro ſi eſſet ita, provideret de memorata Eccleſia S. Marie de Caritate, renuntiatione hujuſmodi non obſtante, ipſumque Petrum in corporalem ejuſdem Eccleſie poſſeſſionem induceret & tueretur inductum. Set dictus Primicerius eis non monitis nec citatis, nec ſe per contumaciam abſentantibus de hujuſmodi violenta ſpoliatione non cognito dicto P. de ipſa eccleſia ex abrupto providit. Propter quod dicti Prior & Conventus, cum id ad ipſorum pervenit notitiam ad noſtram duxerunt audientiam appellandum. Quocirca diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita decernatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint cenſura ſimili appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hiis expediendis potueritis intereſſe duo veſtrum ea nihilominus exequantur.

Datum Laterani VII. Idus Februarii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Alexander IV. Delegatis Apoſtolicis mandat, ut cognoſcant in querela Conventus S. Mariæ in Portu Ravennate contra Primicerium Eccleſiæ S. Marci.

1257. 9. Auguſti.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Charitatis.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Thediſio de Lavania Belvacenſi Capellano noſtro Bononie commoranti, Octaviano Bononienſi, & Johanni de Muriſano Ariminenſibus Canonicis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum.. Prioris & Conventus Eccleſie S. Marie in Portu Ravennatis Ordinis S. Auguſtini recepimus continentem, quod... Primicerius Eccleſie S. Marci de Venetiis eccleſiam S. Marie de Caritate de Venetiis ad ipſos pleno jure ſpectantem, & domos ejus armata manu invadens eis dampna gravia irrogavit. Ideoque diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis cauſam & appellatione remota fine debito decidatis facientes, quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes qui fuerint nominati ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint cenſura ſimili appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere, quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe duo veſtrum ea nichilominus exequantur.

Datum Viterbii v. Idus Auguſti Pontificatus noſtri anno tertio.

Ale-

Alexander IV. Delegatis Apoſtolicis mandat, ut cognoſcant in cauſa excommunicationis, quam Primicerius S. Marci Venetiarum promulgaverat contra Priorem & Conventum S. Mariæ de Portu Ravennate.

1257. 18. Auguſti.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ Caritatis.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Thediſio de Lavania Capellano noſtro Bononie commoranti, & Octaviano Bononienſi ac Johanni de Murizano Ariminenſibus Canonicis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Querelam dilectorum filiorum . . . Prioris & Conventus Eccleſie S. Marie de Caritate Ordinis S. Auguſtini recepimus continentem, quod Primicerius Eccleſie S. Marci de Venetiis in ipſos, in quos nullam habebat juriſdictionem ordinariam vel etiam delegatam, excommunicationis ſententiam temeritate propria promulgavit. Ideoque diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione remota ſine debito terminetis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nichilominus exequantur.

Datum Viterbii xv. Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno tertio.

Præpoſitus & Capitulum Monaſterii S. Mariæ de Charitate concedunt certis ſtatutis conditionibus fundum pro conſtruendo Sacello S. Nicolai prope Eccleſiam S. Mariæ de Charitate.

C

1342. 20. Martii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Charitatis.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleximo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo Indictione decima die vigeſimo menſis Martii Venetiis. Cum Marcus de Fano filius olim Domini Petri de Fano de confinio S. Baſilii de Venetiis jamdiu propoſuerit & conceperit in mente ſua ob reverentiam Dei & Virginis glorioſe, & in titulum & honorem beati piique Nicolai Epiſcopi & confeſſoris edificare & facere tam pro devotione ſua, quam ſalute animarum parentum ſuorum, & ſua ac heredum & ſucceſſorum ejuſdem unam capellam juxta Eccleſiam beate Marie de caritate de Venetiis, & ipſi Eccleſie coherentem, in qua divina celebrentur miſteria. Et ſuper hoc idem Marcus ſepius cum Reverendo viro fratre Nicolao de Ceſena prepoſito Eccleſie Sancte Marie in portu dioceſis Ravenatis & locum prioris tenente, & cum providis viris confratribus Eccleſie ſupradicte Sancte Marie

de Caritate raciocinationem & collationem habuerit, & ipſi prepoſitus locumque prioris tenens & confratres divinum contemplantes intuitum, & conſiderantes & attendentes pium affectum & conceptum Marci predicti nedum laudaverunt, ſed chohortati fuerunt, ut idem Marcus opere perficiat, quod concepit. Ecce in capitulo Eccleſie ſupradicte Sancte Marie de Caritate ſono campanelle & more ſolito ac ſolempniter convocato & congregato, in quo interſuerunt dictus Rev. Vir D. Fr. Nicolaus de Ceſena prepoſitus, & locum Prioris tenens, Fr. Jacobinus de Mantua, Fr. Nicolaus de Arimino, Fr. Petrus de Venetiis, Fr. Andriolus de Feraria, Fr. Andriolus de Venetiis, Fr. Jacobus de Ceſena, Frater Guilielmus de Ceſena, Fr. Guilielmus de Forimpopulo, Fr. Antonius de Parma, & Fr. Benedictus de Ravenna confratres loci & eccleſie ſupradicte, & qui totum capitulum dicte Eccleſie repreſentant, cum plures vel alii ad preſens in dicto loco vel capitulo non exiſtant, aſſiſtente ibi predicto Marco de Fano ipſi prenominati Dominus prepoſitus locumque Prioris tenens & confratres nomine ſuo & Prioris & Capituli ſupradicti, ac ſucceſſorum ſuorum eccleſie ſupradicte ex parte una & predictus Marcus de Fano ex parte altera, ſponte libere & concorditer ad invicem convenerunt modis pactis promiſſionibus & conditionibus infraſcriptis. In primis videlicet, quia dicti Dominus prepoſitus locumque prioris tenens & confratres nomine ſuo & quo ſupra promiſerunt, & debent ad omnem requiſitionem ipſius Marci aſſignare conſentire & libere eidem concedere locum & terram juxta predictam eccleſiam S. Marie de Caritate ex parte Canalis, ubi poſſit dictus Marcus edificare ſeu edificari facere unam capellam ad honorem beati Nicolai in ea latitudine & longitudine, que ipſis Domino prepoſito, locumque Prioris tenenti & confratribus & dicto Marco congrue videbitur convenire, que capella ſit contigua cum muro ipſius Eccleſie; ita quod murus eccleſie ſit una de ſpondis ſive unum latus capelle predicte cum tegulis & lapidibus que reperientur ibidem, & murus campanilis à latere ſiniſtro ſit alia ſponda dicte capelle, & murus porticalis a latere anteriori ſit pro tota de ante. Ita quod in hiis muris nulla fiat nec fieri debeat novitas ſine expreſſa licentia ipſius Marci vel heredum aut ſucceſſorum ſuorum ullo tempore ſive modo. Item quod omnes ſepulture que caderent vel cadere poſſent infra ſpatium murorum dicte capelle inde penitus aufferantur, & eas aufferre & aufferri facere promiſerunt, ita quod infra dictam capellam non remaneat in terra vel in muro dicte capelle aliqua ſepultura vel ſepulcrum interius vel exterius, & inſuper quod in dicta capella aut in muro ipſius interius vel exterius nullus debeat perpetuo ſepelliri, nec corpus aut corpora vel oſſa mortuorum poni nec ſepulcrum hedificari ſine expreſſo conſenſu, & voluntate dicti Marci de Fano dum vixerit & ſuorum heredum & ſucceſſorum poſt mortem ſuam. Item quod ſepulcrum patris dicti Marci poſſit idem Marcus in capella predicta ſive extra in muro ipſius capelle ponere libere & ſicut melius ſibi placuerit, in quo ſepulcro vel in alio per ipſum Marcum vel heredes & ſucceſſores ſuos edificando ibidem poſſit ipſe Marcus & corpora defunctorum ſuorum perpetuo ſepeliri. Item quod dictus Marcus & etiam heredes & ſucceſſores ſui poſſit & poſſint, & ei & eis liceat concedere illis perſonis, quibus voluerint & eis placuerit, ſepulturam in dicta capella, & illa perſona & perſone, quibus conceſſum fuerit per dictum Marcum vel heredes, & ſucceſſores ejus poſſint ibi ſepelliri ſive intra ipſam capellam ſive extra in muro ad diſpoſitionem ipſius Marci vel heredum ſeu ſucceſſorum ſuorum ſine contradictione aliqua prepoſiti ſeu prioris vel confratrum Eccleſie ſupradicte aut ſucceſſorum eorum vel alterius cujuſcunque perſone; verum ſi aliqua proviſio vel utilitas daretur pro hujuſmodi conceſſione ſepulture ea tota pervenire debeat in lo-

cum

cum & eccleſiam ſupradictam, & poſtquam dicta capella hedifficata fuerit & completa per dictum promiſerunt & convenerunt dicti prepoſitus locumque prioris tenens & confratres per ſe & ſucceſſores ſuos & pro capitulo ſupradicto facere cum effectu, quod per unum ſeu aliquem eccleſie ſupradicte presbiterum vel per aliquem capellanum ipſorum fratrum ſeu dicte eccleſie celebrabitur miſſa omni die usque in perpetuum in capella predicta pro anima dicti Marci & pro animabus parentum & heredum & ſucceſſorum ſuorum qui ibi ſunt vel erunt ſepulti & tali fratri vel capellano ſic celebranti omni die adminiſtrare paramenta calicem, miſſalem & alia congruentia neceſſaria pro miſſa celebranda ibidem, & tenere altare preparatum de pannis palio cereis & candelis in perpetuum ſumptibus & expenſis ipſorum fratrum & eccleſie ſupradicte, continuando & manutenendo modum & ordinem qui incipietur per dictum Marcum, ut infra dicetur. Item quod in dicta capella ſint due porte una in facie anteriori, altera in muro eccleſie Sancte marie predicte, que reſpondeat in dicta eccleſia. Item promiſerunt & convenerunt eidem Marco dictam capellam poſt mortem ſuam diligenter tractare recipere in concio, & in culmine tenere omnibus ipſorum fratrum & dicte eccleſie ſumptibus & expenſis. Item promiſerunt & convenerunt eidem Marco aliquod opus ſeu laborerium vel hedificium non facere nec fieri facere vel permittere in capella predicta vel extra aut ſupra ipſam capellam nec aliqua ibi collocare recipere vel tenere per ſe vel alios, ex quo vel quibus dicta capella impediatur vel dehoneſtetur, aut viſta ſibi accipiatur ſine conſenſu & voluntate ipſius Marci vel ſuorum heredum & ſucceſſorum. Predicta omnia & ſingula promiſerunt, & convenerunt dicti Dominus prepoſitus locumque prioris tenens & confratres nomine ſuo & capituli ſupradicti & ſucceſſorum ſuorum & per ſe & ſucceſſores ſuos in perpetuum dicto Marco preſenti, & pro ſe & ſucceſſoribus ſuis & heredibus ſtipulanti & recipienti firma & rata habere & tenere attendere & obſervare facere & complere & non contravenire defficere vel atemptare per ſe vel alios ullo modo vel ingenio aut aliqua cauſa ſeu aliquo exquiſito colore & ea omnia & ſingula ac infraſcripta per confratres & capitulum S. Marie in portu Dioceſis Ravennatenſis facere, quam citius fieri poterit promitti laudari confirmari & approbari cum ſubſcriptionibus ipſorum omni exceptione & contrarietate remotis. Et ſi contra predicta vel aliquod predictorum ipſi vel ſucceſſores eorum per ſe vel alios, aut aliqui pro eis vel eorum cauſa ire vel facere dicere vel operari temptaverint & predicta omnia & ſingula prout ſuperius dictum eſt non obſervaverint vel obſervari fecerint cadant & cadere debeant ab omnibus infraſcriptis que promittunt per dictum Marcum pro ſuſtentatione & occaſione dicte capelle & illius qui celebrabit in ea. Et quod ipſi fratres aut ſucceſſores eorum vel aliqui alii pro eis non poſſint nec debeant aliquid exinde petere vel requirere ab ipſo Marco vel ab heredibus & ſucceſſoribus ſuis nec eum vel eos in aliquo ullo unquam tempore moleſtare ſed omnia cedant & revertantur libere, ad ipſum Marcum, & ad heredes & ſucceſſores ſuos omni exceptione & contradictione remota cum reſtitutione etiam eorum que per dictos fratres recepta fuiſſent & inſuper quod contrafacientibus vel non obſervantibus dictis fratribus vel eorum ſucceſſoribus, ut eſt dictum. Liceat ipſi Marco & heredibus & ſucceſſoribus ejus claudere vel claudi facere de muro portam capelle predicte que reſpondebit in eccleſia dictorum fratrum & ibi ſcilicet in dicta capella deputare & ordinare unum ſacerdotem ſive capellanum qui ibi debeat celebrare, & ſtare de celebrando quodque ipſi Marco vel heredibus aut ſucceſſoribus ejus melius placuerit, & quod ipſe Marcus in dicto ca-

caſu & ſui heredes & ſucceſſores poſſint libere habere & tenere omnes claves ipſius capelle ſine impedimento vel contradictione alicujus. Verſa vice dictus Marcus de Fano promiſit & convenit dictis Dominis preposito locumque Prioris tenenti & confratribus ſtipulantibus & recipientibus nomine ſuo & ſucceſſorum ſuorum, & capituli & eccleſie ſupradicte hedificare & facere unam capellam ad honorem beati Nicolai in ea latitudine & longitudine, que ipſis Domino preposito & confratribus ac ipſi Marco congrue videbitur convenire juxta predictam eccleſiam S. Marie de Caritate omnibus ipſius Marci ſumptibus & expenſis prout ſuperius in primo capitulo continetur. Item edificare altare in dicta capella & ornare ipſum altare, cum una inconia pulcra & nova & cum una pala de ante & cum pannis & ornamentis ipſius altaris & cum cereo & candelis in iſto principio ſuis expenſis. Item promiſit & convenit dictus Marcus dare omni anno donec vixerit dicto loco ſeu eccleſie S. Marie de Caritate pro proviſione mercede, & ſuſtentatione unius Sacerdotis ſive de fratribus dicti loci, ſive ex ſuis capelanis, qui celebrare debet & celebrabit in dicta capella libras viginti duas parvorum ad monetas & incipiat dicta proviſio & merces perſerviri quando dictus Marcus voluerit quod incipiatur celebratio ſupradicta. Item promiſit & convenit tantum & taliter deputare & firmiter ordinare de impreſtitis ſuis, vel aliis impreſtitis acquirendis quod dicta eccleſia ſive locus Sancte Marie de Caritate poſt mortem ipſius Marci habeat, & habere poſſit omni anno de prode ipſorum impreſtitorum libras XXII. parvorum pro ſuſtentatione & proviſione dicti ſacerdotis & capelle. Ita quod capitale impreſtitorum in ſuo ſemper culmine remaneat, & ſi redderetur de capitali non reddatur ipſi loco ſeu eccleſie S. Marie de Caritate, ſed remaneat ipſum capitale penes officiales impreſtitorum, qui per tempora fuerint, qui intuitu divino faciant de eo, quod ſic redderetur de capitali per aliquem modum quo honeſtius poterunt. E... de aliis impreſtitis pro mercede & ſuſtentatione predicta, & ſi tali modo redderetur capitale impreſtitorum quod impreſtita non forent, tunc capitale quod deſſignaverit dictus Marcus predicta de cauſa poni debeat ad cameram frumenti communis Venetiarum, & prode ipſius capitalis dari debeat loco & eccleſie predicte per offitiales frumenti ſicut dabitur per offitiales impreſtitorum: & conditio ſupradicta ſcribi debeat in quaternis officialium impreſtitorum ad memoriam & cautelam tempore quo dictus Marcus faciet deſſignantem de impreſtitis ſupradictis, intelligendo, quod etiam apud offitiales frumenti capitale ſemper firmum remaneat ſi ponentur ibidem. Et predicta omnia & ſingula promiſit & convenit dictus Marcus attendere & obſervare facere & complere ſub obligatione bonorum ſuorum attendentibus, obſervantibus ipſis Domino preposito priore confratribus & ſucceſſoribus eorum ea que ſuperius ſunt diſtincta, & ratis manentibus omnibus antedictis in caſu vel caſibus, quo vel quibus ipſi vel ſucceſſoribus eorum non attenderent & obſervarent ut ſuperius eſt naratum. Et in majorem firmitatem premiſſorum & ad eternam evidentiam ſingulorum Ipſi dominus prepoſitus & confratres, & dictus ſ. Marcus de Fano ſe in hoc inſtrumento propriis manibus ſubſcripſerunt. Rogantes me Notarium, ut de predictis unum & plura ejuſdem tenoris conficiam inſtrumenta. Actum in capitulo Eccleſie ſupradicte Sancte Marie de Caritate preſentibus D. Philippo Baldu, Plebano Eccleſie S. Agnetis de Venetiis, Presb. Servio Luciano Eccleſie Sancti Gervaſii, Presb. Thoma de Juſtinopoli dicte Eccleſie Presb. Bartholomeo Sancto Eccleſie S. Angeli teſtibus rogatis & aliis.

Ego Petrus filius q. Domini Jacobini publicus Imperiali auctoritate Notarius ac Ducalis Aule Venetiarum Scriba vigore.

pore libertatis michi tradite a Ducali Dominio Venetiarum relevandi in publicam formam Abreviaturas q. Domini Jacobini olim Patris mei dictum Inſtrumentum fideliter ſcripſi & in publicam formam redegi nil addens vel minuens, quod ſententiam mutet vel intellectum meumque ſignum appoſui conſuetum.

Gregorius XII. Abbati Sancti Gregorii de Venetiis mandat, ut Franciſcum Capellum Canonicum S. Mariæ de Charitate Venetiarum inſtituat Priorem ejusdem Monaſterii.

D 1409. 7. Junii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Charitatis Venetiarum.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio... Abbati Monaſterio S. Gregorii de Venetiis Torcellane Dioceſis Salut. & Apoſtolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, ut illis ſe reddat ſedes apoſtolica gratioſam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter ſuffragantur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Franciſci dilecti filii Nobilis Viri Maffei Capelli de Venetiis domicelli nati Canonici Prioratus Sancte Marie de Caritate dicti loci ordinis Sancti Auguſtini Caſtellane Dioceſis petitio continebat, quod olim prefato Prioratu quem quondam Alexander Mauroceno olim ipſius Prioratus Prior, dum viveret, obtinebat, per ipſius Alexandri obitum, qui extra Romanam Curiam deceſſit vacante perditionis alumnus Angelus olim titulo Sancte Potentiane Presbiteri Cardinalis, (*a*) tunc Prioratum Sancte Marie in Portu Ravennatenſi Ordinis predicti ex conceſſione ſedis predicte in commendam obtinens & cum ad Priorem ejusdem Prioratus Sancte Marie in Portu ſeu ipſum in commendam obtinentem pro tempore exiſtentem ipſius Prioratus Sancte Marie de Caritate collatio & proviſio de antiqua & approbata ac hactenus pacifice obſervata conſuetudine pertineant eumdem Prioratum Sancte Marie de Caritate ſic vacantem eidem Franciſco auctoritate ordinaria contulit, & providit etiam de eodem, ipſeque Franciſcus prefatum Prioratum Sancte Marie de Caritate vigore collationis & proviſionis hujusmodi aſſecutus extitit; illumque ex tunc tenuit & poſſedit, prout tenet & poſſidet de preſenti. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat idem Franciſcus dubitet collationem & proviſionem hujusmodi ex certis rationabilibus cauſis viribus non ſubſiſtere, & ſicut accepimus dictus Prioratus Sancte Marie de Caritate adhuc, ut prefertur, vacare noſcatur. Nos volentes eundem Franciſcum, qui dictum ordinem expreſſe profeſſus exiſtit apud nos de religionis zelo vite & morum honeſtate aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore proſequi gratioſo, diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi poſt diligentem examinationem dictum Franciſcum ad hoc ido-

(*a*) Angelus de Anna de Sumaripa S. R. E. Cardinalis Ordinis Camaldulenſis qui Alexandro Papæ V. adhærebat, atque ideo a Gregorio XII. vocatur perditionis alumnus.

idoneum eſſe reppereris ſuper quo tuam conſcientiam oneramus eundem Prioratum Sancte Marie de Caritate qui ſine cura & manualis eſt & a dicto Prioratu dependet & Conventualis non exiſtit cujusque fructus redditus & proventus quadringentorum Ducatorum auri ſecundum communem exſtimationem valorem annuum, ut ipſe Franciſcus aſſerit non excedunt ſive ut premittitur ſive alias quovis modo, & ut ex alterius cujuscumque perſona vacet etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem predictam legitime devoluta, vel ipſe Prioratus Sancte Marie de Caritate, diſpoſitioni Apoſtolice ſpecialiter reſervatus exiſtant dummodo tempore date preſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus queſitum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis preſato Franciſco auctoritate noſtra conferre & aſſignare procures inducens per te vel alium, ſeu alios eundem Franciſcum, vel procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Prioratus Sancte Marie de Caritate juriumque & pertinentiarum predictorum & defendens indutum ammoto exinde quolibet illicito detentore ac faciens ipſum Franciſcum, vel dictum procuratorem pro eo ad dictum Prioratum S. Marie de Caritate, ut eſt moris admittit ſibique de ipſius Prioratus Sancte Marie de Caritate fructibus redditibus proventibus juribus & obventionibus univerſis integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus ſi alioqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi Prioratibus nec non dignitatibus, perſonatibus vel officiis, aut aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum quibus omnibus prefatum Franciſcum in aſſecutione dicti Prioratus volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Prioratuum & dignitatum, perſonatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari. Seu ſi Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Ravennatenſi, & prefato Priori Sancte Marie in portu pro tempore exiſtenti vel quibusvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur & ad id compelli, aut quod interdici ſuſpendi vel excommunicari non poſſint quodque de hujusmodi Prioratibus, dignitatibus, perſonatibus vel officiis aut aliis beneficiis eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, preſentationem ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeat provideri per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuscumque tenoris exiſtat per quam preſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Non enim ſi dictus Franciſcus ad hoc repertus fuerit idoneus, ut prefertur, ex tunc perinde irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper hiis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari: ac ſi die date preſentium eidem Franciſco ad hoc reperto idoneo de dicto Prioratu S. Marie de Caritate cum interpoſitione decreti provideri mandavimus.

Datum in Civitate Auſtria. VII. Idus Junii. Pontificatus noſtri anno Tertio.

Mau-

Maurus de Papia Abbas Sanctæ Juſtinæ de Padua ex commiſſione ſibi facta ab Eugenio Papa IV. Monaſterium Charitatis de Venetiis ſeparat a Monaſterio S. Mariæ in Portu Ravennatenſi, cui ſubjectum fuerat.

E 1439. 13. Julii.

Ex Autographo in Monaſterio Charitatis Venetiarum.

MAurus de Papia Abbas Monaſterii S. Juſtine de Padua Commiſſarius, & executor ad infraſcripta a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter deputatus. Religioſis in Chriſto fratribus cariſſimis, & univerſitati Canonicorum Ordinis S. Auguſtini de Congregatione B. Marie de Friſonaria Lucane Dioceſis preſentibus & futuris ac aliis omnibus & ſingulis preſentem noſtrum proceſſum inſpecturis cujuscumque dignitatis preheminentie ſtatus, gradus & conditionis exiſtant, quos hujusmodi tangit negotium ac tangere poterit quomodolibet in futurum Salutem in Domino ſempiternam. Ad univerſitatis veſtre notitiam deductum eſſe volumus per preſentes, qualiter literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Eugenii Divina Providentia Pape IV. ejus vera bulla plumbea in filo canapis more Romane Curie impendenti bullatas non vitiatas, non cancellatas, non abraſas nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes Nobis per manus V. a. & religioſi Patris Domini Pauli de Verona, profeſſi ordinis predicti, & pro univerſitate predicta Canonicorum Ordinis S. Auguſtini predicti ſive pro directione ſtatus eorumdem ac indemnitatis ſue proviſione facientis & gerentis hujusmodi legitime nomine ſuo procuratorio ſecundum quod de illo nobis plenius conſtitit preſentatas ſub die nono menſis Julii cum qua decuit reverentia ſuſcipimus preſentibus notario & teſtibus infraſcriptis que hunc per omnia tenorem continet atque formam. Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Abbati Monaſterii S. Juſtine Paduane Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad ea per que Monaſteriorum & aliorum religioſorum locorum nec non in illis ſub regulari habitu degentium perſonarum omnium comodo & utilitati conſulitur & indemnitatibus ſubvenitur libenter intendimus illisque quantum cum Deo poſſumus favorem benivolum adhibemus. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſitatis Canonicorum Ordinis S. Auguſtini de Congregatione B. Marie de Friſonaria Lucane Dioceſis nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod licet ipſi a pluribus annis citra Prioratum B. Marie in portu dicti Ordinis Ravennatenſis Dioceſis & conceſſione & donatione eis de illo per ſedem apoſtolicam perpetuo factis tenuerint & teneant ac in eo plures ex ipſis ſub regulari dicti ordinis obſervantia divina inibi continuo celebrando officia laudabiliter habitaverint, & habitent de preſenti tamen interim propter aeris intemperiem partium illarum nonnulli mortui, & aliqui ex illis canonicis habitantibus prefatis diverſis ſuorum corporum infirmitatibus affecti remanſerint & alias dictus Prioratus a quatuor menſibus citra fugatis inde illis ex prefatis Canonicis, in eo tunc exiſtentibus aliquandiu per gentes armigeras totaliter occupatus ac pluribus ejus rebus & bonis ſpoliatus extitit. Quodque exponentes ipſi tam propter premiſſa, quam etiam propter partium earumdem indiſpoſitionem & populi diminutionem de cetero in ipſo Prioratu, non abſque eorum magnis incommodis, & periculis permanere ipſumque Prioratum ad poten-

ventum manus facile devenire poſſe formidant. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat B. Marie de la Caritate de Venetiis Caſtellane Dioceſis, ac S. Bartholomei extra muros Mantuanos ordinis & congregationis eorumdem Prioratus a preſato Prioratu in portu dependeant, ſeu illius membra aut de ipſius menſa fore noſcantur & propterea in eventum ſiniſtrorum predictorum congregatio Canonicorum hujuſmodi quorum aliqui ſub obſervantia predicta in Prioratu de la Caritate miſſas & alia officia hujuſmodi inibi continuo etiam celebrando jam pluribus elapſis annis etiam laudabiliter permanſerint & permaneant de preſenti tam ſuper de la Caritate quam S. Bartolamei Prioratibus predictis eorumdemque rebus & bonis mobilibus, & immobilibus moleſtias & impedimenta plurima ſuſcipere & alia eis prejudicialia ſubire poſſe dubitent tempore ſuccedente pro parte univerſitatis Canonicorum hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eorum ſtatui & indemnitati conſulere & opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur vitam laudabilem & fructuoſa opera exponentium predictorum, qui variis & diverſis hactenus multiplicarunt prout in dies multiplicant virtutum meritis debite compenſantes ac eorum indemnitati hujuſmodi, quantum cum Deo poſſimus ſuccurrere volentes & alias de ſiniſtris predictis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus de premiſſis omnibus, & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes & ſi per informationem ipſam ea fore vera eſſe repereris ſuper quo tuam conſcientiam oneramus B. Marie de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratus predicto ac eorum dictique Prioratus in Portu & cujuslibet eorum ac ad ipſos & quemlibet eorum ſpectantia ac in Caſtellana predicta nec non in Paduana ac Mantuana Dioceſibus & Civitatibus dumtaxat conſiſtentia membra poſſeſſiones domos & bona mobilia & immobilia omnia & ſingula. Nec non etiam quoscumque introitus ſive redditus ſuper impreſtitis communis Venetiarum dicte Caſtellane Dioceſis per Priorem, & Canonicos Congregationis hujuſmodi qui hactenus in dicto Prioratu de la Caritate permanſerunt percipi ſolitos & ipſi olim pia fidelium largitione relictos a Prioratu in portu predicto auctoritate apoſtolica dimembres & perpetuo ſepares atque ſegreges. Illaque omnia non ad Prioratum in portu predictum, aut alicui alteri Monaſterio ſive loco, ſed dumtaxat ad univerſitatem Canonicorum preſentium & futurorum Congregationis hujuſmodi ſpectare & pertinere & ipſi univerſitati ſubjecta eſſe eadem auctoritate decernas pariter & declares. Necnon ſingulos Priores, qui erunt per tempora ac ſingulos conventus eorumque fructus & perſonas de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratuum predictorum ipſosque Prioratus ab omnibus & ſingulis annuis, ſeu aliis cenſibus penſionibus redditibus & perſolutionibus quibuslibet per eos eidem Prioratui in portu quomodolibet debitis ac eorum ſolutionibus preſentationibus & aſſignationibus de cetero faciendis auctoritate prefata perpetuo eximas atque liberes. Nos enim ſi ſeparationem ſegregationem & alia premiſſa per te vigore preſentium fieri contigerit de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratibus eorumque Prioribus, & Conventibus pro tempore nec non ſervientibus & perſonis predictis, ut ipſi & eorum quilibet omnibus & ſingulis privilegiis exemptionibus prerogativis gratiis & indultis per nos vel ſedem apoſtolicam aliis ordinis & Congregationis prefatorum Monaſteriis Prioratibus Canonicis & perſonis generaliter conceſſis uti valeant pariter & gaudere auctoritate prefata tenore preſentium indulgemus ac volumus quod in ſingulis de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratibus prefatis nonnulli Canonici ordinis, & Congregationis hujuſmodi conventualiter vivere & permanere debeant. Non obſtantibus premiſſis ac privilegiis, & litteris Prioratui pre-

predicto illiuſque Priori & Canonicis per eamdem ſedem hactenus forſan conceſſis quorum omnium tenores preſentibus haberi volumus pro expreſſis, & quibus quo ad hoc ſpecialiter derogamus. Nec non conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ſtatutis quoque conſuetudinibus Prioratus in portu & ordinis predictorum juramento confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Ferrarie Anno Incarn. Domin. MCCCCXXXVIII. Id. Auguſti Pontificatus noſtri anno VIII. Poſt quarum litterarum Apoſtolicarum preſentationem nobis, ut premittitur factam, Cupientes ſupradictum Apoſtolicum mandatum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur poſtquam de veritate narratorum & contentorum in apoſtolicis litteris prelibatis pleniorem ſupreſimus informationem. Atque veridice perceperimus & ante oculos in preſentiarum poſitum ſit quod licet a pluribus annis citra Prioratum beate Marie in portu prefati ordinis veſtri Ravennatenſis Dioceſis ex conceſſione & donatione vobis de illo per Sedem Apoſtolicam perpetuo factis tenueritis & teneatis, ac de illo & omnibus ejus juribus inde pleno jure diſpoſueritis, prout diſponitis in dies inſtituendo deputando, & quamlibet aliam ordinationem faciendo ſine alicujus ordinarii, aut alterius cujuſvis ſuperioris contradictione vel requiſitione aut auctoritate ad hujuſmodi requiſita quemadmodum ſic & plenius in privilegiis apoſtolicis veſtre univerſitati conceſſis dignoſcitur contineri. Nec non plures ex vobis ſub regulari dicti ordinis obſervantia divina inibi continue celebrando officia laudabiliter habitaveritis & habitetis de preſenti. Tamen interim propter aeris intemperiem partium illarum nonnulli mortui, & aliqui ex Canonicis habitantibus prefatis diverſis ſuorum corporum infirmitatibus affecti remanſeritis ac alias a quattuor menſibus citra fugatis inde illis ex dictis Canonicis in eo nunc exiſtentibus aliquandiu per gentes armigeras totaliter occupatus ſuiſque pluribus rebus, & bonis mobilibus ſpoliatus exiſtit, & quod tum propter premiſſa, tum propter partium earundem ſive ſitum loci indiſpoſitum & populi diminutionem in ipſo Prioratu, non abſque magnis eorum incommodis periculiſque permanere. Ipſumque Prioratum in portu proſpiciamus ſicut & vos formidatis ad potentum manus non niſi facile deventurum. Unde quia a prefato Prioratu in portu dependentibus ex conceſſione & donatione apoſtolica de illo dudum, ut premittitur facta predictis prioratibus S. Marie de la Caritate de Venetiis, Caſtellane Dioceſis ac S. Bartholomei extra muros Mantuan. prefatorum ordinis & Congregationis Prioratibus etiam illius membra ſeu de ipſius menſa fore noſcuntur. Non ſit niſi propterea dubitandum de ſiniſtrorum eventu predictorum ac quod qui de univerſitate ordinis & Congregationis hujuſmodi ſub obſervantia predicta in prioratu de la Caritate miſſas & alia divina officia inibi continuo, ut hactenus celebraveritis & laudabiliter permanſeritis plurimas moleſtias & impedimenta aliaque vobis prejudicialia tam ſuper de la Caritate, quam S. Bartholomei prioratibus predictis eorumque rebus & bonis mobilibus & immobilibus tempore ſuccedente non ſuſcipiatis, ut actenus vos ſepius ſuſcepiſſe comperimus propter quod necnon propter omnium & ſingulorum premiſſorum circumſtantias univerſas eorum ſtatui & indemnitati ſalubriter conſulendo ſit opportune providendum. Ideo nos Maurus Abbas S. Juſtine Paduan. prefata auctoritate apoſtolica nobis in hac parte conceſſa de ſiniſtris predictis certam notitiam habentes, & per diligentem informationem quam de premiſſis percepimus premiſſa omnia & ſingula fuiſſe & eſſe vera comperientes, & ſeu ſic ut premittitur in onus conſcientie noſtre ea veridice profitentes B. Marie de la Caritate, & S. Bartholomei prioratus predictos ac eorum dictique Prioratus in portu & cujuſlibet eorum ac

ad ipſos & eorum quemlibet ſpectantia ac in Caſtellana predicta nec non in Paduana nec non in Mantuana Dioceſibus & civitatibus dumtaxat conſiſtentia membra poſſeſſiones domos & bona mobilia & immobilia omnia & ſingula nec non etiam quoscunque introitus ſive redditus ſuper impreſtitis communis Veneciarum dicte Caſtellane Dioceſis per Priorem & Canonicos congregationis hujusmodi qui haſtenus in dicto Prioratu de la Caritate permanſerunt percipi ſolitos, & ipſi olim pia fidelium largitione relictos a prioratu in portu predicto prefata auctoritate apoſtolica nobis in hac parte conceſſa dimembramus, ac perpetuo ſeparamus, & ſegregamus, & ſeu dimembravimus ſegregavimus ac perpetuo ſeparavimus. Ea omnia & ſingula non ad dictum Prioratum in portu aut alterum Monaſterium ſive locum ſed dumtaxat ad veſtram univerſitatem Canonicorum preſentium & futurorum ordinis S. Auguſtini de Congregatione Beate Marie de Friſonaria Lucane Dioceſis ſpectare & pertinere, & ipſi univerſitati ſubjecta fore de cetero decernentes pariter & declarantes. Nec non ſingulos priores qui fuerunt per tempora ac ſingulos conventus eorumque ſervientes ac perſonas de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratuum predictorum. Ipſosque Prioratus ab omnibus & ſingulis annuis ſeu aliis cenſibus penſionibus redditibus & perſolutionibus quibuslibet per eas dicto Prioratui in portu quomodolibet debitis ac eorum ſolutionibus preſentationibus & aſſignationibus de cetero faciendis auctoritate prefata perpetuo eximimus & liberamus ſeu liberavimus & exemimus, ut & ipſi eorum quilibet omnibus & ſingulis privilegiis exemptionibus prerogativis, gratiis & indultis per ſedem apoſtolicam aliis ordinis & congregationis prefatorum Monaſteriis Prioratibus, Canonicis & perſonis generaliter conceſſis uti valeant pariter & gaudere & in ſingulis de la Caritate, & S. Bartholomei Prioratibus prefatis nonnulli Canonici ordinis & congregationis hujusmodi conventualiter vivere & permanere debeant. Non obſtantibus omnibus & ſingulis contentis & deſcriptis in apoſtolicis litteris prelibatis. In quorum omnium fidem & robur premiſſorum preſentes per Jacobum de Correziatis Notarium infraſcriptum de premiſſis rogatum fieri & ſigilli Rev. Patris Domini Ludovici Barbo, alias Abbatis prefati Monaſterii S. Juſtine preceſſoris noſtri quia pro nunc proprio caremus ſigillo appenſione juſſimus communiri. Datum & Actum Venetiis in Monaſterio S. Georgii Majoris Caſtellane Dioceſis in camera ſuperiori apud majus clauſtrum. Anno Dominice Nativitatis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono Indictione ſecunda die tertiodecimo menſis Julii. Preſentibus Vener. Patre Domino Maffeo Contareno, Rectore Congregationis S. Georgii in Allega dicte Caſtellane Dioceſis, & Domino Andrea de Mugnolinis de Venetiis, & Domino Antonio filio Bonaugini de Vincentia Clericis dicte Congregationis S. Georgii in Allega, ac diſcretis Viris ſ. Andrea Polo q. Domini Benedicti, & ſ. Gabriele roſſo filio ſ. Johannis a campo Civibus Venetis pro teſtibus ad hoc habitis ſpecialiter & rogatis. Pontificatus vero Santiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Eugenii divina providen. Pape IIII. Anno octavo.

Ego Jacobus de Correziatis filius ſ. Nicolai de Venetiis, publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex ordinarius, quia predicte preſentationi receptioni, informationi, pronunçiationi, dimembrationi, ſeparationi, ſegregationi, decreto, declarationi, exemptioni & liberationi ceteriſque omnibus & ſingulis ſupraſcriptis dum ſic ut premittitur fierent & celebrarentur una cum teſtibus ſupraſcriptis preſens fui vidi & audivi ac ea pariter cum ipſis teſtibus per prefatum Dominum Commiſſarium & executorem rogatus fui. Ideo ipſa omnia & ſingula ſic rogatus de dicti Domini Commiſſarii & executoris mandato fideliter hic tradidi ſcripſi & publicavi cum dicti appenſione ſigilli quo premiſſa

miſſa roborari mandavit per carentiam proprii ſigilli ſui & ad majorem roborationem & fidem premiſſorum ſolito ſigno tabellionatus & nomine proprio ſignavi rogatus & requiſitus de premiſſis omnibus & ſingulis ſupraſcriptis.

Locus ſigilli.

Lud. Barbo.

Eugenius IV. Canonicis Regularibus Sanctæ Mariæ de Charitate Venetiarum facultatem concedit ampliandi Eccleſiam, mittitque lapidem porphiriticum ponendum in fundamentis Sacelli Majoris.

F

1446. 3. Septembris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ de Charitate.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Canonicis Regularibus S. Marie de Charitate de Venetiis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Olim felicis recordationis Calixtus Papa Secundus predeceſſor noſter oblatas a Petro Presbitero poſſeſſiones in loco nunc eccleſie & Monaſterii veſtri ſitas acceptans predictam Eccleſiam veſtram inibi ædificari & per regulares Canonicos, quorum eſtis ſucceſſores, ſub Principis Apoſtolorum protectione voluit gubernari, deinde edificaturis eamdem Eccleſiam ipſis Canonicis lapidem miſit, qui primus in jaciendis dicte eccleſie fundamentis ponendus benedictionem Domini & Dei noſtri in eodem loco affuturam pronuntiaret, gaudemusque ſanctam predicti predeceſſoris noſtri intentionem effectum optatum hactenus habuiſſe, quandoquidem locus ipſe veſter numero Canonicorum omnique alia ex parte in primis regulari obſervantia ac ceteris virtutibus concedente Domino eſt adauctus, adeo ut eccleſia ipſa confluenti ad devotionem populo & divina celebraturis offitia canonicis ſtrictior debito videretur. Qua ratione cum eſſet vobis per Chriſtifidelium eleemoſinas oblata occaſio predictam eccleſiam proximis temporibus cum noſtri licentia ampliare cepiſtis, & ſicut nobis ſignificare curaſtis, nunc capellam dicte eccleſie majorem fundare atque erigere inſtituiſtis. Quare poſtquam virtutum Domino concedente religioſe vite veſtre tenor perpetuus nobis notiſſimus talis eſt, ut ejus odor civitatem Venetiarum letificet, & bonis repleat exemplis. Cupientes predicti Calixti predeceſſoris noſtri veſtigia imitari lapidem porphiriticum, qui primus omnium in fundatione predicte majoris capelle ponatur, & licentiam conſtruendi dictam capellam ſimul cum noſtra benedictione vobis mittimus, volentes quod ampliata hujusmodi Eccleſia omnibus indulgentiis, privilegiis & gratiis gaudeat & utatur, quibus parva & ante appoſitam amplificationi manum gaudere, & uti ſolita erat.

Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXLVI. tertio Nonas Septembris Pontificatus noſtri Anno Sextodecimo.

Pau-

Paulus Papa II. remittit votivas peregrinationes erogantibus ſtatutas eleemoſinas pro reſtauratione Monaſterii de Charitate Venetiarum.

G 1465. 27. Januarii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ de Charitate.

PAulus Papa Secundus. Ven. Fr. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Supplicatum fuit nobis humiliter pro parte Dilecti filii Prioris Monaſterii de Charitate Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini de Venetiis, ut cum Monaſterium ipſum in ſuis ſtructuris & ædificiis plurimum reparationis indigeat, neque ex proventibus ipſius, quoniam exiles ſunt, opportune provideri queat, idcirco hujusmodi eorum indigentiæ aliquo pacto conſuleremus, eam ob rem de noſtra Apoſtolica benignitate ejusmodi ſupplicationibus inclinati per præſentes concedimus, ut ſuper voto ſive ultramarino, videlicet S. Antonii de Vienna, vel S. Jacobi in Compoſtella, vel ſuper quolibet hujusmodi voto cum illis perſonis, de quibus tibi videbitur, quod tantum erogent pro ſubſidio dictæ reparationis, quantum, ſi iviſſent per omnia impenſuræ erant vel plus aut minus pro modo facultatum ejusmodi perſonarum prout tuæ conſcientiæ melius videbitur Apoſtolica auctoritate diſpenſare valeas quam omnem pecuniam ad hujusmodi reparationem ſignanter deputabis & converti facies; ſuper quo tantum tuam conſcientiam oneramus.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Jan. MCCCCLXV. Pontificatus Noſtri anno primo.

Alexander VI. Monaſterio S. Mariæ de Charitate concedit ut in crepuſculo noctis in pervigilio Nativitatis celebrare poſſint unam Miſſam.

H 1502. 6. Auguſti.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ de Caritate.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Priori & Conventui Monaſterii per Priorem ſoliti gubernari beatæ Mariæ de Caritate Venetiarum, Ordinis Sancti Auguſtini Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Romanus Pontifex, ex Apoſtolicæ ſervitutis officio ſingulorum preſertim ſub religionis jugo domino famulantium que Eccleſiarum & piorum locorum quorumlibet venuſtatem, & divini cultus augumentum ac populi devotionem reſpiciunt libenter ad exauditionis gratiam admittit ac ea quantum cum Deo poteſt favoribus proſequitur opportunis. Cum itaque ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat inter ceteras inſigniores Eccleſias Civitatis Venetiarum Eccleſia veſtri Monaſterii per Priorem ſoliti gubernari beate Marie de Caritate Venetiarum Ordinis S. Auguſtini

Ca-

Canonicorum regularium regularis obſervantie Congregationis Lateranenſis in maxima populi ejuſdem Civitatis devotione conſiſtat & ſel. record. Alexander Papa III. predeceſſor noſter, qui alias dum inimicitias clare memorie Federici Romani Imperatoris Barbaroſſa nuncupati fugiens in ipſa Eccleſia latuit, poſtmodum agnitus Eccleſiam ipſam pluribus & dignis indultis apoſtolicis decoraverit, & communiverit pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum ut vobis in vigilia Nativitatis D. N. J. C. in crepuſculo noctis vel etiam poſt quandocunque vobis videbitur poſt completum Matutinum Primam Miſſam que in nocte ejuſdem vigilie celebrari conſuevit perpetuis futuris temporibus ſolemniter & alta voce incipere & finire libere & licite valeatis concedere & indulgere ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti meritis licet inſufficientes vices gerimus in terris dignum exiſtimantes noctem prædictam in qua pro omnium Chriſtifidelium ad vitam æternam ſalute lux mundo orta eſt ſpecialibus prerogativis communire, ac cupientes quantum cum Deo poſſumus devotionem Chriſtifidelium eorumdem in dicta Eccleſia non ſolum conſervare ſed etiam augere veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati vobis ut in vigilia Feſti Nativitatis ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti in ipſo crepuſculo noctis vel etiam poſt quandocunque vobis videbitur poſt completum matutinum primam miſſam quæ in nocte ejuſdem Vigiliæ celebrari conſuevit prout etiam in nonnullis aliis eccleſiis ejuſdem Civitatis ...... celebratur perpetuis futuris temporibus ſolemniter & alta voce incipere & finire libere & licite poſſitis & valeatis Conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus apoſtolica auctoritate tenore preſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri indulti infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſecundo Octavo Idus Auguſti Pontificatus Noſtri anno Decimo.

Eccleſiæ & Monaſterio Sanctæ Mariæ de Charitate adjacent religioſæ ædes in magnifici Oratorii formam conſtructæ quas celeberrimum ſodalitium a proximo Canonicorum Lateranenſium Templo *Schola Charitatis* nuncupatum aſſiduo Religionis exercitio frequentat. Exordia apud Divi Leonardi Eccleſiam anno MCCLX. propter Deiparæ imaginem miraculis claram habuiſſe refert Sanſovinus in ſuo de Veneta Urbe libro: Hoc & ipſa Illuſtris Societas fatetur, quæ Eccleſiam ipſam cui originis ſuæ initia accepta refert, ſolemni ſupplicatione in Sancti Titularis ſolemnitate quotannis inviſit. Ex eo loco ad Judaicæ inſulam Confratres tranſmigrarunt, ubi anguſtum Oratorium ſub S. Jacobi Majoris titulo ædificaverunt, eo in loco ubi poſtea ad Fratres Ordinis Servorum excipiendos Templum & Monaſterium nomine Sanctæ Mariæ Novellæ inſignita ex Marſilii Cartarienſis Legato ædificata fuerunt. Rei teſtimonium profert

fert ex antiquis Monaſterii Sancti Jacobi de Judaica documentis excerptum Garbius in Annalibus Servorum Tom. I. pag. 283. dum Eccleſiam ſupradictam Sancti Jacobi de Judaica erectam fuiſſe aſſerit: " Sub titulo Sanctæ Mariæ Novellæ eodem in " loco, ubi vetus illud erat Sancti Jacobi Sodalitium ad Judai- " cam ſupra Canale majus in ameniſſima Venetorum Inſula. " Cum autem locus iſte extrueretur, Confratres Sancti Jacobi " tum commodo Fratrum, tum maxime Pauperum neceſſitati- " bus occurrere volentes, parvo illo Oratorio relicto, ſub eo- " dem titulo Sancti Jacobi, ad aliam Canalis partem receſ- " ſerunt, ubi etiam, ſed nomine mutato majus & elegantius " Oratorium, quod Charitas a piis operibus diceretur, egre- " gie fundarunt, cujus annui proventus, qui in Pauperes an- " nuatim errogantur, ad triginta tria millia aureorum aſcen- " dere dicuntur. Etſi vero ab antiquo illo Oratorio Sancti " Jacobi receſſiſſent Confratres, illius tamen obliti nunquam " fuere, ex quo ſuam originem traxerunt. Hinc ſingulis an- " nis ſolemni ritu procedentes ob ſuæ originis memoriam il- " lud viſitant, & venerantur, nec non Eccleſiam prædictam " S. Mariæ Novellæ in feſto Sancti Jacobi.

Erectionem hujus Sodalitii anonymus rerum Venetarum Chronologus ad annum MCCLX. alligat, easdemque ſibi conſtitutiones aſſumpſiſſe aſſerit, quas Divus Dominicus Ordinis Prædicatorum inſtitutor quibusdam a ſe in civitate Piſana erectis Congregationibus obſervandas ſtatuerat.

1260. Molti de Venetia fra loro fecero una Fraterna, e redotti ad uno ad 6. Novembre el zorno de San Lunardo de conſentimento del Commun de Venetia, e de Papa Urbano IV. elevorno queſta fraterna in la Contrada de San Lunardo e la intitolorno Fraterna ovver Scola de Carità imitando molte conſtituzioni, che per S. Domenico fu date a certe Fraterne, che lui levo in la Cit-

MCCLX. Multi ex Venetis Sodalitium erexerunt, ſimulque congregati die VI. Novembris Divo Leonardo ſacra, aſſentientibus Urbano Papa IV. atque Communitate Venetiarum inſtituerunt hoc Sodalitium in Eccleſia Sancti Leonardi, illudque Congregationem ſeu Scholam Charitatis appellaverunt, multasque conſtitutiones imitarunt, quas Sanctus Dominicus nonnulli Con-

tà

tà de Piſa & fra loro ancora ſeceno molte inſtituzioni, la qual Fraterna fu traſerida poi alla Zuecha, e di poi fu portada appreſſo la Chieſa di S. Maria della Carità, doppo ad imitation di queſti molti altri da Venezia levorno un'altra Fraterna dell'anno 1261. del meſe de Marzo in Contrà de S. Aponal intitolada Scuola de S. Zuanne Evangeliſta, la qual doppo del 1307. fu traslatada in la Parochia di San Stin, & ivi fu fabricado un luogo per congregarſe inſieme.

fraternitatibus tradidit, ab eo in Urbe Piſarum inſtitutis, aliasque etiam regulas adjecerunt; Illud Sodalitium translatum fuit deinde ad Inſulam Judaicæ, & poſtea apud Eccleſiam S. Mariæ de Charitate deductum. Pios hoſce viros æmulantes multi alii ex Venetis aliam confraternitatem erexerunt anno MCCLXI. de Menſe Martio in confinio S. Apolinaris, quam appellaverunt Scholam S. Joannis Evangeliſtæ. Hæc poſtea anno 1307. translata fuit in parœcia Sancti Stephani C. ibique ædificatum fuit hoſpitium, in quo ſimul congregarentur.

Igitur è Judaicæ loco egreſſi devoti viri locum pietati ſuæ idoneum, apud ſacras Divæ Mariæ de Charitate ædes elegerunt, ubi ſatis ampla ſoli planities, quæ de jure Monaſterii erat, apud aream Templi extendebatur. Charitatis Cœnobium in obedientia erat eo tempore, ut jam dictum eſt, Ravennatenſis *Prioratus Sanctæ Mariæ in Portu de littore Maris*, cui commendatario titulo præerat Aymericus de Chalus S. R. E. titulo S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Archiepiſcopus Ravennas, quapropter eidem ſupplicarunt Confratres, ut æquis conditionibus conſtitutis ſibi vacuus locus concederetur, in quo elegans Oratorium, & alia ſuis uſibus neceſſaria ædificia erigerentur. Piis hominum votis cum annuiſſet Cardinalis, atque aſſenſum pariter uterque Conventus Ravennæ, & Venetiarum de Prioris Commendatarii facultate ſibi conceſſa præbuiſſent, anno MCCCXLIV. die XIV. Martii ſolemni conventione pactum fuit, ut Societatis Rectores ejusque ſocii opportuno in loco ædes excitare *pro libito* poſſent, ſolutis tamen *ducatis auri ducentis in emptione unius poſſeſſionis pro Veneta Canonica convertendis*, ſtatutoque annuo cenſu

ſolidorum viginti groſſorum in moneris, quem annuatim loco S. Mariæ de Charitate ſolvere tenerentur (A). Statuta pacta approbavit inde Aymericus Cardinalis, datoque Ravennæ in Epiſcopali Palatio *præſentibus teſtibus vocatis & rogatis* ampliſſimo diplomate, Apoſtolicæ legationis, qua eo tempore fungebatur, authoritate alienationem factam, & omnia inſuper acta, & conventa confirmavit, ipſasque confirmationis litteras per Jacobum de Azzolis de Bretenorio publicum Apoſtolica, & Imperiali authoritate Notarium fieri mandavit, & ſui ſigilli appenſione muniri die xx. menſis Februarii anno MCCCXLIV. (B).

Erecto itaque Oratorio cœperunt pii viri divinis obſequiis in ipſo impenſius inhærere, ſtatutisque *horis, & temporibus ſecundum laudabiles conſuetudines, & ordinationes ipſorum ad orandum, & miſſas, & Divina Offitia audiendum, ſeque etiam verberandum, & fuſtigandum, carnemque ſuam affligendam ob reverentiam Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, optimo exemplo conveniebant. Ex hac tam ſingulari in Deum pietate eximia quoque in homines charitas redundavit, cujus impulſu anno MCCCCXI. hoſpitale erigere decreverunt, ubi inopes ipſius ſodalitii confratres eleemoſinis enutriendi reciperentur. Extat in Archivo Monaſterii autographum venditionis documentum, quo Franciſcus Capello, cujus laudes ſuperius enuntiavimus, Prior Monaſterii Charitatis *certas domunculas juxta ipſum Monaſterium poſitas, quæ præcipitium minabantur, & ruinam*, Sodalitio S. Mariæ de Charitate, ejusque Confratribus ſtatuto pretio vendidit, ea tamen conditione, *quod ſuper dictis domunculis* Hoſpitale erigeretur. Venditionis tabulas ſcripſit, & firmavit die XXVI. Novembris anno ſuperius enuntiato MCCCCXI. Hector de Bonxinis publicus Imperiali authoritate Notarius (C).

Anno MCCCCLXIII. Beſſarion S. R. E. Cardinalis Nicenus, cujus laudes, & ſigillum dedimus operis hujus Decade I. pag. 241., cum Venetiis degeret Pii II. Romani Pontificis Legatus a latere, devotionis ſuæ intuitu, Sodalitii Oratorium inviſere, & piis Confratrum exercitiis intereſſe voluit, quorum religionem admiratus ipſorum conſortio adnumerari poſtulavit, quod cum ea, qua decebat tantum virum, veneratione præſtitiſſent Sodalitii Cuſtos ejusque Socii, Clariſſimus Vir in grati

ti animi monumentum argenteam Crucem, cui vivifici ligni fruſtulum, & Dominicæ Veſtis portio incluſa erat, eis pio munere obtulit hac conditione, ut ſibi eam, quoad viveret, retineret, & deinde e vivis ſublato ad ineſtimabile Sodalitii ornamentum transferretur.

Res ex vetuſtis Sodalitii codicibus patet, ubi hæc leguntur.

MCCCCLXIII. Adi XXVIIII. Avoſto in tempo de Meſ. Marcho dalla Coſta, e de li ſuo Compagni.

Il Reverend. Padre, & Eccellentiſſimo Sig. M. Biſarion per la Miſeration Divina Veſcovo Tuſchulano, de la Santa Gleſia Romana Cardenal detto Niceno, & Patriarcha di Coſtantinopoli. Eſſendo in queſta Terra per nome del Summo Pontificho Legato de Latere volſe per propria devozion entrar in queſta noſtra Schuola, e Fraternità, & coſi adi ſoprafcritto per reverentia de la Sua Signoria e per honorar quella Meſ. Marcho de la Coſta Noſtro Guardian inſieme con i ſuo Compagni ando al Monaſterio de S. Zorzi Mazor dove era alozado il dito Reverendiſſimo Cardenal, & li cum gran devozion, & reverentia el fu receudo per Noſtro fradelo.

MCCCCLXIII. Die XXIX. Auguſti tempore Domini Marci a Coſta, & ſociorum ſuorum.

Reverendiſſimus Pater atque Excell. D. Beſſarion miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis Nicenus & Patriarcha Conſtantinopolitanus Venetiis degens, ubi Summi Pontificis nomine legationis munere fungebatur, devotionis intuitu huic Sodalitio noſtro, & Confraternitati adſcribi voluit. Quare die ſupradicta ob reverentiam Dominationis ſuæ & honoris cauſa Dominus Marcus a Coſta Sodalitii Cuſtos Sociis ſuis comitantibus acceſſit ad Monaſterium S. Georgii Majoris, in quo dictus Reverendiſs. Cardinalis hoſpitabatur, ibique devote, & reverenter in album Confratrum relatus eſt.

Nota che adi XXVIIII. Avoſto 1463. per el Reverendiſſimo Padre, & Sig. Excellentiſ-

Die XXIX. Aug. MCCCCLXIII. Reverendiſſimus Pater atque Excellentiſſimus Dominus Beſ-

ſimo M. Beſarion per la Divina Providentia Veſcovo Tuſcholano de la Santa Gleſia Romana Chardenal, e Patriarcha de Coſtantinopoli fù promeſſo, e donado alla noſtra Schuola de Madonna Santa Maria de Charità una devotiſſima Chroxe ſanctiſſima, & de la veſte del Noſtro Signor Chreator Meſſer Geſu Chriſto, la qual Chroxe per ſua devotion el vol tegnir appreſſo de ſi in vita ſoa. Et da poi la ſua morte vol, & hordena che quella ſia, & eſſer debbia de la Scuola Noſtra chome appar per publico Iſtromento ſchritto, & roborado per man de Sier Aliſes Dialeoti Noder d'Imperio adi milleſimo ſopraſchritto. El qual Iſtrumento ſi è in la noſtra Chaſa de fero dove ſe tien la Chaſa de danari.

ſarion Divina Providentia Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis & Patriarcha Conſtantinopolitanus promiſit, & dono dedit Sodalitio noſtro Dominæ S. Mariæ de Charitate quamdam magnæ devotionis Sanctiſſimam Crucem, & portionem de Veſte Domini Noſtri & Creatoris Domini Jeſu Chriſti, quam tamen Crucem devotionis intuitu apud ſe retinere, quoad vivat, decernit. Poſt ſuum vero obitum ſtatuit, & vult ipſam Crucem ad Sodalitium noſtrum devenire, ut apparet ex publico inſtrumento completo & roborato manu Domini Aloyſii Dialeoti Imperiali authoritate Notarii Anno ſupraſcripto. Quod inſtrumentum in capſa ferrea extat, in qua pecunia noſtra aſſervatur.

Mox Clariſſimus Vir anno MCCCCLXXII. dum Sixti IV. Legatus in Galliam proficiſceretur, propoſitis ſibi itineris longitudine, & incerto humanæ vitæ exitu, tutius eſſe judicavit oblatum munus Confraternitatis Sodalibus, dum in vivis degeret, aſſignare, quod & datis die XII. Martii epiſtolis per nuntios ad hæc deſtinatos piiſſime præſtitit. Ejus autem epiſtolæ hic eſt tenor.

„ Beſſario Cardinalis Nicenus. Fratribus Domus Charitatis
„ Salutem. Poſtquam in Fraternitatem Veſtram ſum aſcri-
„ ptus, & initiatus iſta ſanctiſſima religione optavi vehemen-
„ ter pignus aliquod, & monumentum meæ fidei relinquere:
„ quo, & divinæ pietati ſatisfacerem, & animo erga vos meo.
„ Quum igitur Crucem auream excellenti artifitio elaboratam, in
„ qua veri ligni particula Chriſtianæ Crucis, & ejus Divinæ

Ve-

„ Veſtis non nihil repoſitum eſt, mihi delata eſſet, ſtatui eam
„ donandam Domui iſti. Nam opus eſt, cum forma ipſa Re-
„ ligioni conſentaneum, tum ornamento tantæ domus, & re-
„ ligionis amplitudine dignum. Donavi eam vobis ſuperiori-
„ bus annis Donatione inter vivos, ſed apud me hactenus
„ retinere volui. In Galliam vero proficiſcens Legatus Reipu-
„ blicæ Chriſtianæ cauſa propono mihi, & itineris longitu-
„ dinem, & incertum exitum humanæ vitæ, tutiusque ju-
„ dico eam Crucem vobis relinquere: Ornandam curavi ar-
„ gento, quo eſt concluſa: & adhibendam haſtam, ut ad ge-
„ ſtationem in ſupplicationibus ſit accommodata; Eamque
„ miſi vobis, ut in divinæ Majeſtatis honorem, Charitatis in-
„ ditium, Fraternitatis Noſtræ argumentum utamini, & exhi-
„ beatis populo venerandam, quemadmodum aut locus, aut
„ tempus poſtulabit. Jacobus Parleo, Volterius Juſtinianus,
„ Jacobus Sceba noſtrarum rerum Procuratores vobis eam af-
„ ferent noſtro nomine, quam venerandam, & diligenter cu-
„ ſtodiendam curetis, oramus, in ſempiternum Domus Cha-
„ ritatis, & Fraternitatis Noſtræ ornamentum; Cui hoc opus
„ dicavi, pro mea in Deum pietate. Valete.

„ Bononiæ IIII. Idus Majas 1472.

Non cum ſodalitii tantummodo, ſed & cum totius urbis lætitia pretioſum munus exceptum fuit, quod ex S. C. decreto in Ducali Divi Marci Baſilica publicæ populorum venerationi expoſitum, mox ſolemni ſupplicatione comitante ad Oratorium Charitatis deductum fuit. Commune civitatis gaudium, & illuſtrem translationis pompam Ampliſſimo Cardinali datis litteris ſignificarunt Confratres, qui in grati animi teſtimonium depictam viri benemeriti effigiem, & marmoream accepti beneficii epigraphen pingi, & exſculpi ſtatuerunt.

Epiſtolarum tenor, & inſculptum elogium ex Sodalitii codicibus, & extante marmore exhibemus.

„ Fraternitas Charitatis Venetiarum Summo Patri, ac Do-
„ mino Beſſarioni Cardinali Niceno Salutem.

„ Munus tuum ſicut precioſiſſimum ita religioſiſſimum ac-
„ cepimus: qua veneratione, & pietate decet, perlatum No-
„ bis a tribus Procuratoribus tuis viris ſpectatiſſimis, & in
„ obeundis ſtrenue mandatis tuis diligentiſſimis. Letati, &
„ gaviſi ſumus quam maxime omnes. Imo univerſa hæc in-

clita

„ clita Civitas talis, ac tanti muneris donatione, cum pro „ divinitate tam ſublimium, & rariſſimarum Reliquiarum, tum „ donantis excellentia, & liberalitate. Es enim, & merito „ eris inter optimos clariſſimus: inter clariſſimos optimus: „ inter utrosque ſapientiſſimus. Multa nimirum extant vel „ varietate ſua. Vel magnitudine preclara tua merita in hanc „ Nobiliſſimam, & Illuſtriſſimam Civitatem. Sed nullum hoc „ tuo novo, & recenti benefitio fieri poteſt preclarius. Quid „ enim precioſius eo, ſi ultra aurum, & argentum atque affa- „ brefactum opus Divinæ Crucis, & Veſtis Reliquias ſpectes? „ Nemo eſt certe ſive Rex, ſive Princeps qui pro hujus ge- „ neris theſauro comparando non omnes fortunas effunderet. „ Quid preterea religioſius, & ſanctius quam ſpectare, & ado- „ rare particulas Ligni in quo Chriſtus Deus Optimus Ma- „ ximus Crucis ſubire tormentum Redemptionis Noſtræ cau- „ ſa non dubitavit? Particulam item Veſtis, quæ contigit at- „ que texit divina illa, & vivificantia Servatoris Noſtri mem- „ bra interpoſita Cruce aurea cum celeberrimo Crucifixo. O „ rem admiratione, & ſtupore dignam. O munus divinum, „ O Liberalitatem, & Magnificentiam omnibus Sæculis pre- „ dicandam. Cetus, & Fraternitas Noſtra hoc tuo pio, & „ immortali munere illuſtrata non modo te dignitate Prin- „ cipem, pietate Patrem Charitate fratrem, omni laude, & „ veneratione perſequi non deſiſtit. Sed & gratias agit maxi- „ mas, ſic tuæ amplitudini ſumma omnia optat: vitam quam „ diutiſſimam, felicitatem, & ad extremum celeſtis Patrie „ ademptionem jugi Oratione precatur pro talibus Meritis. „ Quantum autem in Nobis fuit, nichil omnino pretermiſi- „ mus, quod ad ipſius Sanctæ Crucis, & Muneris tui nobiliſ- „ ſimi venerationem pertineret. Acceſſit ad Studium Noſtrum „ mira benignitas, & propenſa voluntas Illuſtriſſimi Princi- „ pis, Dominii, & Senatus incliti nominis tui in primis ſtu- „ dioſiſſimi. Affuerunt omnia que in declaranda pietate, & „ letitia publica ac tali Munere decorando preſtanda erant. „ E veſtigio Senatus Decreto ſolemnis ſupplicatio indicta fuit. „ Dictus dies Dominicus Sanctæ Trinitatis. Quo delata, & „ ſtatuta ſanctiſſima Cruce ipſa ſuper Altare Divi Marci pre- „ cioſis, & lucentibus gemmis referto, licuit paſſim omnibus „ eam ſpectare, & adorare: tantis usque dum res divina re-

„ ligio-

„ ligioſiſſime fieret, & Clerus cum quattuor Fraternitatibus
„ Civitatis Noſtræ lucentiſſimis funalibus, & religioſis can-
„ ticis conveniret. Peracta autem re divina, Cantata Miſſa
„ a Reverendiſſimo Patriarcha Venetiarum (Mapheo Gerar-
„ do) preſente Principe, & Dominio, ac reliquis pluribus
„ procedere pompa incepit geſtantibus Sacerdotibus Crucem,
„ ac obumbrante veſte deaurata. Adambulabant Liriſtæ, pariter
„ & Cythariſtæ, atque alia Muſicorum diverſa genera pulſantes,
„ & cantilantes ſuaviſſime. Proſequebantur plures in denſiſſi-
„ mo, & frequentiſſimo numero, & reliqua turba Civium in-
„ credibili devotione, & cuncta Civitas ſtudio videndi, &
„ adorandi effuſa adeo, usque ut pre multitudine utrius-
„ que Sexus vix tranſiri poterat, donec ventum eſt ad Tem-
„ plum, & Edem Caritatis receptaculum tam pii, & divini
„ Muneris: & ne per tranſitum Canalis interpellaretur, re-
„ moraretur've curſus multitudinis, firmato altrinſecus ponte
„ ligneo per viam iter omnibus factum eſt, ſicut in anniver-
„ ſaria ſolemnitate, & publico Feſto Divi Viti Senatus face-
„ re conſuevit. Fuit præterea pulcherimum, & pietate ma-
„ xima dignum Spectaculum videre Religioſos Templi Chari-
„ tatis indutos Pluviali, & Sacerdotali veſte Carmen Sacrum
„ iterantes pomparum more, & ſupplicationum prodire ob-
„ viam tunc Sanctæ Cruci, & venientem excipere, exceptam-
„ que collocare, & ſtatuere in trono, Quod peractum ad id
„ fuerat ornatiſſime. Totus ille dies ad veſperam usque con-
„ curſu, & conventu omnium ſpectantium adorantium, ac
„ lacrimoſo vultu adprecantium Crucem ipſam conſumptus
„ eſt. Te donatorem, Te auctorem tanti Muneris prope vo-
„ ciferantium, & admiratione proſequentium. Hæc voluimus
„ pro pietate, & Offitio Noſtro tibi nota facere, ut intelli-
„ gas Munus tuum pie, & immortaliter poſitum, & collo-
„ catum eſſe. Decrevimus autem muniri ipſi divino taberna-
„ culum, & Monumentum faberrimum in loco Edis Noſtræ
„ Fraternitatis celebri, & conſpicuo cum inſcriptione Nomi-
„ nis tui honorificentiſſima. Servabimusque diligentiſſime, &
„ in ſupplicationibus, atque ſolemnitatibus ad immortalis Dei
„ gloriam amplitudinis tuæ ſempiternam laudem pietatis, &
„ Fraternitatis noſtræ ornamentum. Cruce ipſa Sanctiſſima

„ per-

„ perpetuo utemur, populoque devotiſſime adorandam eam,
„ ut jubes, exhibebimus. Vale.

„ Venetiis die Sexto Menſis Julii 1472. Reverendiſſimæ Dominationis Tuæ.

Filii Devotiſſimi
Guardianus, ac cæteri Colleghæ Charitatis.

Monumentum itaque ex pii Collegii Decreto in tanti beneficii memoriam erectum fuit, in quo ſapientiſſimi Cardinalis Beſſarionis imago omnium, quam fieri potuit, ſimillima viſitur, & ejus largitatis elogium legitur lapidi aureis caracteribus inciſum.

„ Si quando Fratres, Oculos Huc Adieceritis Beſarionis Cardinalis Memoriam Pie colere ne gravemini: Qui Majorum Veſtrorum in ſe animum, atque obſervantiam grate reputans Ligno Crucis Sanctiſſimo Servatoris Chriſti, Tunica, multiſque præterea Religioſiſſimis, ac pretioſiſſimis Muneribus ſe ipſum privans iis Sacrarium Hoc Veſtrum, & vetuſtate, & Sanctimonia apud omnes clarum vivens perpetuo decoravit.

Aliæ quoque marmoreæ Epigraphes Oratorii parietibus in interiori parte affixæ tempus indicant fundatæ ſeu reſtauratæ ſocietatis, ipſiusque ſancta charitatis inſtituta recenſent.

„ Charitate, Amore, Humanitate, pauperes anteceſſores edificaverunt MCCLX. Succeſſores vero reſtauraverunt MDLXVI.

„ Dominium Venetorum, Religione, Lege, Juſtitia conſervat Rempub. Charitate, Amore, Pietate ſubditos MDLXVI.

„ Quid prodeſt homini, ſi charitate hominem non alit? Charitas enim a Deo deſcendit: ſi charitatem in pauperes habebimus, ſedem in cœlo animabus noſtri lucrabimur.

Queſta poſeſion fò comenzada al honor de lo altiſſimo Dio, e de la ſoa dolce Mare, beatiſſima Madonna S. Maria de la Caritade, e per ben, e honor, di tutti i noſtri Frari de la Scuola de li batudi, e
fò

Ædes hæ inceptæ fuerunt ad honorem Altiſſimi Dei, atque dulcis ſuæ Genetricis Beatiſſimæ Dominæ Sanctæ Mariæ de Charitate, ad utilitatem quoque, & decus omnium Confratrum noſtrorum Sodalitii
tii

fò complida del meſe de Zener, e tuta la poſeſion fò comenzada, e complida in tempo di meſſer Mattio Biſſuol de Santo Vidal, Vardian de la ditta Scuola, e con tutti li ſoi compagni fò complida e roborada, e col ſacco de Santa Maria, e de le borſe de li boni omini de la Scuola fo pagada.

tii Verberatorum, & perfecta fuit menſe Januarii, atque omne ædificium inchoatum, & completum fuit tempore Domini Matthæi Biſſuol de confinio S. Vitalis, Cuſtodis, & omnium ſodalium ſuorum. Completum & roboratum fuit ære ſacro Sanctæ Mariæ, & impenſis bonorum hominum Sodalitii.

Nec unus Beſſario Cardinalis tantummodo, ſed & quamplurimi alii vel Romana, vel Veneta purpura clariſſimi viri Sodalitium hoc ſuis nominibus illuſtrarunt, quos inter memoratu digniſſimi ſunt illuſtres ex Japponiæ Imperio Principes, Ito Mantius Regis Fiungæ nepos, & Michael Cingiva Regis Arimæ conſanguineus, quorum primum Rex Bungi, alterum vero Rex Arimæ Legatos ad Romanum Pontificem, obedientiæ preſtandæ cauſa deſtinaverant, quibus ſocii adjuncti fuerant nobiliſſimi viri Martinus Fara, & Julianus Nicaura, ita ab ipſorum feudis nuncupati.

Hi ſuæ legationis officio Romæ functi, cum ad proprias ſedes reverterentur Venetias advenientes, ſummo cum omnium ordinum plauſu excepti fuerunt; ubi id præ cæteris ſummo ſtudio exoptarunt, ut ſacra loca Divorum reliquiis ditiora præſentes inviſerent, & venerarentur.

Die itaque v. Julii anno MDLXXXV. ad ſacras ſodalitii ædes acceſſerunt, ubi pretioſa pignora venerati, & virorum pietate adlecti ſummis precibus exorarunt, ut in Confratrum numerum reciperentur, ſeſe in propria regna reverſos idem charitatis inſtitutum ibidem erecturos fore promittentes; quapropter, & albo Sodalitii habitu a magno Cuſtode induti, & præclaris muneribus donati fuerunt. Hæc ex lapide addiſcimus, quem in rei memoriam Rectores, loci parieti exteriori affigi juſſerunt his notatum verbis.

Charitas a Japono in ſpe fide data remanſa.

Li intrepidi, & Illuſtriſſimi Ito Mantio Nepote del Re de Fiunga, Nonzio del Rè di Bungo, D. Michael Cingiva Conſobrino del Rè de Arima, & dell' Eccelſo Bartholameo, & li Illuſtriſſimi Baroni, & Sereniſſimi Principali del Regno di Tegen, D. Juliano Nacaurà, & D. Martino Fara del Japon dell' eſtreme parte dell' altro Hemiſpero alli v. Luglio MDLXXXV. Viſte le Santiſſime Reliquie di queſta Scola, già paſſate per l' Illuſtriſſimo & eſemplariſſimo Cardinal Beſſarione. Con reverentia, e nome delli lor Reggi, & ſuoi entrorno in quella con giurata promeſſa, di altra ſimile in queſto nome di Carità elevar in eſſe lor parti, & perciò a loro dal Guardian Maggior fu donà la ſua Cappa con tutti altri ſuoi adherenti, & a nome di queſta Scola in eſquiſito modo preſentati. Il che ſia Gloria de Santa Prottetrice Noſtra Amen.

Intrepidi & Illuſtriſſimi Ito Mantius Nepos Regis Fiungæ, Legatus Regis Bungi. Dominus Michael Cingiva Regis Arimæ, atque Excelſi Bartholamæi conſanguineus, atque Illuſtriſſimi Proceres & Sereniſſimi Principes Regni Tigen, Dominus Julianus Nacaura, & Dominus Martinus Fara ex extremis partibus alterius Hemiſphærii die v. Jul. MDLXXXV. Viſis Sanctiſſimis Reliquiis hujus Sodalitii olim ab Illuſtriſſimo atque exemplariſſimo Cardinale Beſſarione donatis reverenter ſua ſuorumque Regum nomina dederunt Sodalitio jurejurando promittentes aliud ſimile ſub hoc Charitatis nomine inſtituturos in ſuis regionibus, ideoque Cuſtos Major ipſis, atque eorum ſociis ſuam Sodalitatis veſtem obtulit, atque hujus Confraternitatis nomine ipſos eximiis muneribus donavit. Quod omne ad gloriam ſit Sanctæ Protectricis Noſtræ Amen.

Fuſius rei ſeries in pii Collegii codicibus enarratur, ex quibus depromptam aſſerimus.

MCCCCCLXXXV. Ind. XIII. adi Zobbia v. Luglio. Per eſſer coſa ſucceſſa nella preſen-

MCCCCCLXXXV. Indict. XIII. die Jovis v. Julii. Quum res hæc fortaſſe ſine exemplo evenerit

te Scola di Madonna Santa Maria della Carità sotto il Guardianado di Domino Giulio Negro, la qual dir ſi può per avanti non eſſer occorſa, & accio che traſcendi alla Poſterità delle venienti perſone, li ha parſo di voler far far nota nel preſente Originario Cataſtico, & Regiſtro delle coſe maggiori della preſente Scola. Come gionti in Venezia l'Illuſtriſſimi Signori D. Mantio Ito, Nepote dell'Altiſſimo Rè di Fiunga, & Nuntio del Supremo Rè di Bungo, e Dom. Michael Cingiva Conſobrino dell'Ennarabil Rè di Arima, & dell'Eccelſo Bartholameo, & li invitiſſimi Baroni, & Sereniſſimi Principali del Regno di Tingen l'Illuſtriſs. D. Giuliano Macaura, & D. Martino Jara venuti dalle parti dell' altro Emiſpero oltra extreme del Giappon a detti ſottopoſte il viaggio de quali a venir qua paſſa anni trè, poiche ſon diſcoſti miglia quindeci millia in circa, non veramente con pompa, che a ſuoi convenienti gradi ſi conveniva, ma totalmente guidati catholicamente, e religioſamente dalli R. R. P. P. Geſuiti, che in quelle Parti conduſſero eſſi Popoli alla Fede Noſtra, anzi ſtanziando nel proprio loco delli Geſuiti, & al modo di loro dormendo rimeſſa

nerit in Sodalitio noſtro Cuſtode Julio de Nigris, ut ad perpetuam nepotum notitiam deveniat optimum viſum eſt, eam adnotare in præſenti originali Cataſtico, & repertorio rerum notabilium Sodalitii noſtri. Venetias ingreſſi ſunt Illuſtriſſimi Domini Mantius Ito, Nepos Celſiſſimi Regis Fiungæ, & Supremi Regis Bungi Legatus, & Dominus Michael Cingiva Conſobrinus memoria digniſſimi Regis Arimæ, & Excelſi Bartholomæi, atque invictiſſimi Proceres & Sereniſſimi Principes Regni Tingen Illuſtriſſimi D. Julianus Macaura, & D. Martinus Jara ex altera Emiſpherii parte procedentes a regionibus Japponiæ, quæ iiſdem viris Principibus obediunt, quorum iter ad tres annos computatur, diſtant enim ab Italia ultra quindecim mille milliaria paſſuum, & advenerunt non eo utique ſumptuoſo apparatu, quo ſuos decebat natales, ſed religioſe & catholice ducti a Rev. Patribus Jeſuitis, qui earum regionum populos ad fidem catholicam converterunt. Morati ſunt in ipſa Jeſuitarum domo & juxta ipſorum Patrum uſum dormierunt ſuper culcitras ſtramineas ſobrie comedentes, & a vino abſtinentes, & ſolos Jeſuitas comites habentes. Hi cum ſe-

meſſa ogni gravità ſopra li paggiarizzi, manziando ſobriſſimi, laſſando il guſto del Vino, nè più oltra tranſitando, nè Compagnia avendo, ſe non de quanto erano guidati da eſſi R. R. Geſuiti, li parſe forſe per aver viſto il giorno della Proceſſione fatta far per il Sereniſſimo Prencipe in Piazza il giorno di San Pietro Mattina a loro inſtantia, avendo viſte le noſtre Santiſſime Reliquie d' interceder veder quelle in Scola all' improviſo ſotto di ſopra Mattina, dove venuti in Scola, con molti di eſſi R. R. Geſuiti, & altri Sacerdoti di lor Signori, & Donzelli del Sereniſſimo Prencipe, & guidati dal Clariſſimo M. Coſtantin da Molin del Clariſſimo M. Zuanne certo Gentilhomo Cattolico di Spirito, & humaniſſimo, ben degno di Carico tal a lui remeſſo di honeſtiſſima Compagnia a tal Signori, e fattale moſtra di eſſe Santiſſime Reliquie, tolte fuora ad una ad una dal Santuario di eſſa Scuola, & prima per loro viſte, ſtando in ginocchioni, & bacciandole, facendo foſſero toche con ſue Corone nelli Criſtalli di quelle dalli ſopradetti R. R. Padri, e poi quelle poſte ſopra il Tribunal dell' Albergo, dove religioſamente furono viſte da

feſta S. Petri die ſolemnem ſupplicationem vidiſſent, quam ipſorum intuitu Princeps indixerat noſtrasque intuiti eſſent Sanctiſſimas Reliquias, ipſas proprius cernere & venerari optarunt. Quapropter quodam mane multis Jeſuitis aliisque Sacerdotibus, atque nonnullis Sereniſſimi Ducis famulis comitantibus ad Sodalitii Noſtri Ædes ducti fuerunt a Cl. Viro Conſtantino Molino, Joannis filio Viro piiſſimo & humaniſſimo, atque muneris hujus digniſſimo. Sanctiſſimæ igitur Reliquiæ e Sanctuario Sodalitii eductæ fuerunt, quas Japponenſes Principes genibus flexis venerati & oſculati ſunt, globuliſque oratoriis per manus Jeſuitarum tetigerunt. Ut eadem quoque venerationis officia agerent ii, qui ex Japponenſium comitatu erant, depoſitæ fuerunt Reliquiæ ſuper Tribunal Sodalitii, atque deinde Sacerdos Capellanus omnes de ipſarum Reliquiarum nomine, & qualitate certiores reddidit. Poſt hæc Legati Japponenſes devotionis intuitu ſuo ſuorumque Regum nomine inter Sodalitii Confratres adſcribi poſtularunt, ut Indulgentiarum participes fierent. Interrogati itaque a Jeſuita ipſorum Duce, num Regulas Sodalitii ſervare vellent, aſſenſere; atque geni-

quelli, che ſeco erano, & ſimilmente bacciate, e toccate con ſue Corone, eſſendo pienamente informati dal Reverendo Capellano della Scola della qualità loro, & ſuprema grandezza li parſe per moto di Carità di voler per nome de loro Reggi, e ſui entrar in eſſa Noſtra Fraterna, con ſottoponerſi, & inſieme accettar li Indulti conceſſi, prima caritativamente dimandatili in loro lingua dal Rev. Geſuito lor Guida, che quelli conduſſe da parti sì longinque, dove pienamente contentorno, & per eſſo Guardian di Scola tolta la Santiſſima Croce di Criſtallo, nella quale eſiſte del Legno Santiſſimo di quella di Noſtro Signore Gieſù ordinaria all' accettar delli Fratelli di Scola, inzenocchiato con eſſa in mano, & appreſſo inzenocchiatiſi li quattro Signori predetti, bacciando ogn'uno di loro eſſa Santiſſima Croce, & poi bacciatoſi l' un l'altro gli accettò in queſta Noſtra Fraterna, & Scola; come Cariſſimi Fratelli per loro, & detti Nomi, pregando il Signore, che li feliciti in sì lungo viaggio con Sacramento promettendo loro con il Reverendo ſuo Padre Geſuito, che li guarda di levar in eſſe lor Parti altra Scuola ſimile in Nome

genibus flexis oſculantes portionem Dominicæ Crucis chryſtallina Cruce incluſam, quam Sodalitii Cuſtos ipſis oſculandam porrexerat, ſeſe invicem oſcularunt in oſculo ſancto, atque deinde per Cuſtodem ipſius Sodaliti inter Confratres adnumerati fuerunt; Qui communi Confratrum voto proſperitatem in longo itinere eis auſpicatus eſt. Ipſi vero, atque una cum eis Rev. Jeſuita ipſorum ductor promiſerunt jurejurando interpoſito ſe in Japponiæ partibus ſimile Sodalitium erecturos titulo Sanctæ Mariæ de Charitate. Cereis inde depictis, in quibus ipſorum ſuorumque Regum nomina ſcripta erant; donati fuerunt, quibus muneribus ipſe Cuſtos veſtem ſuam adjecit, cum ſigno, diſciplina, pileo & ſandaleis, quibus uterentur dum in Japponico Imperio par Sodalitium erigerent.

me Quan-

me della Santa Maria de Carità, quali fur preſentadi di Cere miniade con li Nomi loro, e delli Reggi, & appreſſo da eſſo Guardian di ſua Cappa, Senzelo, Scuriata, Beretta, e Zoccoli, per Nome di quella hanno promeſſo come di ſopra di elevar di tal nome in ſue parti.

Quanta comitate Venetiis excepti fuerint nobiles Japponii teſtantur exteri etiam ſcriptores, & præſertim Franciſcus Sacchinus in Hiſtoria Soc. Jeſu ab ipſo concinnata, atque a Petro Poſſevino edita ubi l. v. num. 21. pag. 230. hæc habentur.

„ Præter cætera Veneti cum adfuturos ad Corporis Chriſti „ ſolemnia Japponios conjectarent ſolito magnificentius diei „ ejus ſupplicationem inſtruxerant, hæc maxime rati ſpecta- „ cula a veteribus Chriſtianis, novellæ ſoboli proponi decere. „ Sed cum ad eam diem Legati non adfuiſſent, ſupplicationem, „ quam in apparitionis S. Marci memoriam quotannis habent „ diſtulere in eorum adventum, in eaque cum jam veniſſent „ apparatum quo Chriſti Domini Corpus deduxerant totum „ multis partibus auctum explicuere. Cætera inde magnificen- „ tia æſtimetur, quod religioſa fercula ac pegmata, in quibus „ vel ſacra, vel pretioſa Reipublicæ, vel argumenta e veteri „ novoque Inſtrumento ſacrarum Hiſtoriarum, multorumque „ Martyrum ſtatuis expreſſa auro gemmiſque, & unionibus „ diſtincta Sodalitates, quas Scholas majores appellant, geſta- „ bant, plus centum quadraginta ducta ſunt. Quorum in po- „ ſtremo ipſorum quatuor Japonum, ad Summum Pontificem „ Legatio ſcite repræſentabatur. Eandem Legationis hiſtoriam „ ſingulosque adoleſcentes in Curia, quam magni Conſilii vo- „ cant depingi accurate juſſerunt, & Japonicam veſtem, gla- „ dium duosque pugiones dono ab iis acceptos dixerunt con- „ ſervari publice velle cum titulo. Dona autem iis numero, „ & pretio dedere inſignia, bina tota holoſericæ veſtis volu- „ mina, bina damaſcenæ, totidem e ſerico raſo quatuor e tex- „ tili auro; capſas præterea ingentes duas plus quingentis e „ vitro pellucido egregie in multas figuras elaboratis operibus „ refertas, ſpecula item maxima octo: quatuor ebeno circum-

„ tecta

„ tecta, totidem tabulis auro pictis incluſa minioque illuminata. Ad hæc quattuor ex ebore Crucifixi ſigna nobilis artificii, decretis ad ultimum ubique locorum Veneti juris honoribus hoſpitiis impenſiſque publicis.

Eadem ferme Italico fuſiori ſermone enarrat Daniel Bartolus in Hiſtor. Jappon. lib. 1. pag. 200. qui deinde refert optimos viros in patriam reverſos Societati Jeſu nomen dediſſe die XXV. Julii anno MDIXC. atque ex eis unum Julianum ſcilicet Nicauræ Principem poſt XLII. annos ſanctiſſime in religione transactos, catholicam fidem, quam ſuſceperat, ſanguinis effuſione confirmaſſe anno a Nat. Dom. MDCXXXIII.

Præter eas quas ſuperius enuntiavimus ſacras Reliquias a Beſſarione Cardinale donatas, alia quoque in Sodalitii Oratorio honorifice aſſervantur ſive Dominicæ Paſſionis inſtrumenta, ſive Divorum Lipſana, quæ ſunt:

Tres ex Dominica Corona Spinæ.

Fragmentum Columnæ, ad quam alligatus Chriſtus Dominus flagris cæſus fuit.

Ex Oſſibus SS. Petri Apoſt. Bartholomæi Apoſt. Laurentii Levitæ Mart. Leonardi Conf. aliorumque plurimorum Sanctorum.

Vetuſtiſſima Imago Deiparæ ſingulari religione in hoc loco colitur quæ ſolemni apparatu in publicis ſupplicationibus ornatiſſime circumfertur. Hanc de cujus origine, & donatore mihi ſciſcitanti nihil datum fuit invenire, ex Divi Lucæ penicillo prodiiſſe vulgo traditum eſt.

Celeberrimam tabulam, in qua Beata Virgo viſitur ad Templum præſentata, Titianus Vecellius depinxit.

Superliminari lateralis januæ, qua patet aditus ad januam Monaſterii inciſa viſitur marmorea epigraphe, aureis caracteribus, gemina Divinæ iracundiæ flagella edocens, quibus anno MCCCXLVII. attrita fuit Veneta Civitas.

In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & B. Mariæ Virginis Anno ab Incarn. 1347. die 25. Menſis Januarii.

Nel zorno della Converſione di S. Paulo certa ora de Veſpero fu grande terremoto in Veneſia, e quaſi per tuto el mondo, caſcò molte cime de Campanieli, & caſe, e camini, e la Gieſia de S. Baſeggio, & fu de gran ſpavento

Feſta Converſionis S. Pauli die circa viceſimam diei horam ſubito terremotu Urbs Veneta, & magna orbis pars, ita concuſſæ ſunt, ut multæ ſacrarum ædium turres, multaque ædificia, tam ſacra, quam profana, atque ipſa

to, che quaſi tutta la zente penſava de morir, & non ſtette la terra de tremar circa zorni 40, e più driedo queſto comenzò una gran mortalità & moriva la zente da diverſe malátie, & nation alcune ſpudava ſangue per lo mal del carbon per le carne, e pareva che queſti mali ſe piaſſe uno dall'altro, zoè li ſani dalli infermi, & era la zente in tanto ſpavento, chel Padre non voleva andar dal Fiol, ne 'l Fiol dal Padre e durò queſta mortalità cerca meſi ſei, e ſe diſeva communalmente, ch'era morto ben le do parte della zente de Veneſia, & in queſto tempo sè trovà Guardian de queſta Scuola M. Piero Treviſan de Barbaria, & viſſe circa meſi undeſe, & morì ello, e dieſe della sò compagnia; & con più de 300. de queſta Scuola, & fu la Scuola in gran rotta, & può adi 20. de Zugno fò fatto Guardian Grando M. Jacomo Bon dalla Zuecca. Ancora in queſto anno havè li fideli Chriſtiani una grandiſſima grazia dalla Santità di M. lo Papa, che in ciaſcheduna parte che morivà contriti delli ſoi pecadi, dal dì de la Aſſenſion de Chriſto, ſina al dì de S. Maria Madalena, ſenza pena andaſſe a la gloria de vita eterna, a la qual ne conduca l'onnipotente Iddio Padre Fiol & S. Santo, il qual vive in ſecula ſeculorum Amen.

ipſa Eccleſia S. Baſilii corruerint. Eo portento in magnam trepidationem civitas adducta fuit, ita ut mortem ſibi proximam omnes timerent. Per quadraginta circiter dies terra intremuit, nec multo poſt peſtifera lues ſubſecuta eſt, quæ Venetiis multos homines ex multis nationibus aliis aliiſque morbis afflixit. Nonnulli ex carbonum infectione, ſanguinem expuebant. Cumque ſani ab ægrotis facile inficerentur, ita populi perterriti ſunt, ut Pater Filium, Filius Patrem desereret; Tantoque furore per ſex menſes ea vis morbi ſæviit, ut duæ ex tribus incolarum partibus miſere perierint. Eo tempore Sodalitii Cuſtos erat Petrus Triviſanus ex vico *Barbaria* nuncupato, qui vixit menſib. undecim, indeque mortuus eſt ipſe, & cum eo decem ex ejus Societate, atque ultra 300. ex Confratribus, cum magno Sodalitii iſtius detrimento: Deinde die 20. Junii electus fuit Cuſtos Magnus D. Jacobus Bono à Judaica. Hoc anno etiam Chriſtifideles ampliſſimo privilegio a Pôntifice Maximo donati fuerunt, ipſis enim indulſit, ut a feſto Aſcenſionis Chriſti uſque ad diem S. M. Magdalenæ, ubicumque de patratis criminibus contriti obirent gloriam conſequerentur æternæ vitæ, quam nobis largiatur Omnipotens Deus Pater, Filius, & S. S. qui vivit in ſæcula ſæcul. Amen.

Aymericus Cardinalis Prior Commendatarius S. Mariæ Portuenſis confirmat pacta inita inter Monaſterium, & Sodalitium S. Mariæ de Charitate Venetiarum.

A 1344. 20. Februarii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ de Charitate.

AYmericus miſeratione divina titulo Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Apoſtolice (a) Sedis Legatus Prior Sancte Marie in Portu de litore maris ordinis S. Auguſtini Ravenn. Dioceſis. Ad perpetuam rei memoriam. Expoſitione dilectorum nobis in Chriſto Fratris Nicoleti de Ceſen. Prepoſiti ac Capituli ſeu Conventus ejuſdem Prioratus noſtri nobis facta percepimus, quod in Civitate Venetiarum eſt quedam ſocietas & fraternitas quorumdam proborum devotorum & caritativorum hominum divinis obſequiis deputatorum, que ſocietas ſeu ſcola batutorum Sancte Marie de la Caritate vulgariter nuncupantur, qui in loco & eccleſia noſtra Sancte Marie de Caritate ſita in eadem Civitate Venetiarum, qui ſeu que eccleſia eſt membrum dicti Prioratus noſtri Sancte Marie in Portu de littore maris Raven. Dioceſis, & eidem Prioratui immediate ſubjecta, & de menſa ipſius, que quidem ſocietas ſeu ſcola & homines ipſius ſocietatis ſeu ſcole, in dicto loco & eccleſia noſtra Sancte Marie de Caritate a longo tempore citra convenire & congregari conſueverunt & conveniunt & etiam congregantur certis horis & temporibus ſecundum laudabiles conſuetudines & ordinationes ipſorum ad orandum & miſſas & divina officia audiendum, ſeque etiam verberandum & fuſtigandum carnemque ſuam affligendum ob reverentiam Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris & Redemptoris noſtri, quique predicto loco & eccleſie, attulerunt hactenus, & aſſidue afferunt utilitatem commodam & honorem. Quare dictus Prepoſitus de voluntate & conſenſu ejuſdem capituli & conventus pro honore commodo & utilitate ac commoditate dictorum loci & eccleſie noſtre Sancte Marie de Caritate ac etiam ad conſervandum & manutenendum predictam ſocietatem ſeu ſcolam & homines in tam laudabili tamque meritorio opere devocione & ſervicio peragendis, habuit cum ſocietate ſeu ſcola & hominibus ſupradictis & ipſi cum eodem prepoſito pacta tractatus & conventiones infraſcriptas inita & initas ut inferius continetur. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo CCCXLIII. die ſeptimo Januarii. Hæc ſunt pacta inita inter Rev. Virum Fratrem Nicoletum de Ceſena Prepoſitum Prioratus Sancte Marie in Portu de littore maris Ordinis S. Auguſtini Raven. Dioc. ex parte una & dominum Guardianum Scole batutorum S. Marie de la Caritate de Venetiis & ejus ſocios infraſcriptos quorum quidem ſociorum nomina ſunt hec Dominus Johannes Bereter, ſ. Daniel Soler, ſ. Petrus Triviſanus, ſ. Menegus ...... ſ. Johannes de Orlandis, ſ. Jacobus Rizzus, ſ. Martinus Captaneus, ſ. Jacobus Benus de la Judeca, ſ. Michael Bertoldus, ſ. Nicolettus Roſſus, ſ. Andreas Gaudioſus, ſ. Zen Memus, ſ. Mi-

(a) Aymericus de Caſtroluci Lemovicenſis Archidiaconus primo Juronenſis, mox Æmiliæ rector & Archiepiſcopus Ravennas, poſtremo Epiſcopus Carnotenſis in Gallia à Clemente VI. inter Cardinales cooptatus anno 1342. Obiit anno 1349. die 7. Martii Ciac. Tom. II. col. 492.

ſ. Michael de Aſtis, ſ. Philippus de Labris, & ſ. Nicoletus de Catone ex altera. Videlicet quod dicte partes ſunt in concordia de una poſſeſſione & territorio ſeu tereno ſitis in loco Sancte Marie de la caritate, cujus hii ſunt confines. Videlicet a primo latere campus prope pontem, a ſecundo murus qui eſt ultra rivam, à tertio rivus parvus, à quarto curia ſive curtile cum uno paſſu dicti cortilis ultra murum per directum tramitem ſicut tenet poſſeſſio. Et hanc poſſeſſionem & ſuper eam debent pro libito laborare & hedificare prefati dominus Guardianus & ſocii ſive ad planum ſive baſſum ſive in ſolario & habere feneſtras feratas & vitreatas & portam ſupra curtem ſive cortile pro ſuo uſu, pro eundo & redeundo, de nocte & de die & debent habere unam clavim porte cortilis & inſuper poſſunt ire & redire per clauſtrum antiquum & novum & in eccleſia & per eam & facere ſuas proceſſiones tantum ſecundum conſuetudinem & ſicut haſtenus factum eſt. Item quod dictam poſſeſſionem pro hoſpitali nec ad uſum hoſpitalis poſſint tenere nec eam affictare alicui perſone ſed ſolum pro dicta ſcola tenere. Item quod latrinas que ſunt intus debeant conducere & fieri facere foris ſuis expenſis. Item quod omnia pacta que habent predicti Guardianus & ſocii in eorum matricula & extra ipſam matriculam cum fratribus predicte Sancte Marie ſervabunt dicte partes inter ſe. Et pro poſſeſſione predicta ſupradicti dominus Guardianus & ſocii nomine cambii dant prepoſito ſupradicto nomine Canonice Portuen. domum in ſolario in qua dicti dominus Guardianus & ſocii tenent ſuas çappas & arneſia ſua que eſt in dicto loco Sancte Marie de Caritate, & ultra dant ducatos auri ducentos convertendos in emptione unius poſſeſſionis pro Canonica antedicta Venetiis vel alibi ubi utilius fuerit pro eadem Canonica. Item teneantur dare dicte Canonice ſeu loco Sancte Marie de Caritate annuatim pro affictu ſolidos viginti groſſorum in moneta. Item teneantur tenere puteum reparatum cum hac conditione quod predictus prepoſitus teneatur ſicut promiſit habere a domino Cardinali priore Canonice ſupradicte omnes litteras neceſſarias pro predictis ſigillatas ſigillo domini Prioris predicti & omnia etiam inſtrmenta capituli canonice antedicte propter ea neceſſaria & illas & illa portare Venetias ac etiam promiſit idem prepoſitus facere omnia inſtrumenta que pro premiſſorum executione fuerint neceſſaria ſecundum ordinem Venetiarum ſpiritualiter & temporaliter & in pallatio & extra pallatium. Item ex pacto promiſerunt predicti dominus Guardianus & ſocii predicto prepoſito ac etiam convenerunt quod ſi quo tempore contingeret quod predicta ſcola deficeret & non eſſet vel de voluntate illorum de dicta ſcola procederet quod diſcedere vellent de dicto loco Sancte Marie de Caritate dicta poſſeſſio ſeu dictum caſamentum hedificatum & laboratum ut tunc fuerit loco predicto libere remanere & exadverſo ſe obligat prefatus prepoſitus & capitulum ſupradictum predictis Guardiano & ſociis quod ſi quo tempore contingeret defectu domini Prioris vel prepoſiti vel fratrum Canonice ſupradicte, aut alicujus alterius perſone que vellent dictos Guardianum & ſocios expellere vel nollent ſervare pacta recuſantes ſocietatem dictorum Guardiani & Sociorum debeant ſolvere & reſtituere dicte ſcole omnes pecunie quantitates quas pro hedificio & laborerio predicti caſamenti expenderint homines de dicta ſcola remanente tamen ipſa ſcola in Sancta Maria de la Caritate omnibus pactis que ante hec pacta erant inter dictos Guardianum & ſocios & predictum locum S. Marie in ſuo robore remanentibus. Quodque poſtmodum auctoritate noſtra noſtroque mandato per nos ad infraſcripta tractanda & deliberanda fratribus & Conventui prefati noſtri Prioratus conceſſa ſpecialiter & injuncto celebrato & congregato capitulo & Conventu Prioratus noſtri predicti in prioratu noſtro prefato ad ſonum campanelle ut moris eſt & ha-

habita in capitulo & conventu predicto pluries & pluries inter eos coloquio & tractatu ſuper pactis & conventionibus ipſis & diligenter attento quod pacta & convenciones predicta cedunt in evidentem utilitatem & commodum noſtrum & Prioratus noſtri & Conventus predictorum. Idcirco premiſſis tractatibus pluribus & diſcuſſionibus ſolempnibus ut prefertur tandem dicti fratres & Conventus deliberaverunt & providerunt pro majori & meliori evidenti utilitate de comodo Prioratus noſtri prefati & dicti loci & membri noſtri S. Marie de Caritate que pacta & convenciones ipſa ſicut tractata fuerant ad finem & effectum debitum perducantur. Nobis cum inſtantia ſuplicantes & etiam ſuadentes ut pacta & convenciones ipſa accettare & admittere deberemus & eis noſtrum preberemus aſſenſum pariter & conſenſum. Et de ipſorum fratrum & Conventus unanimi voluntate atque conſenſu eis ut apoſtolice Sedis Legatus auctoritatem eis predicta faciendi daremus & interponeremus noſtrum auctoritate predicta decretum dictorum fratrum & Conventus ad hoc accedente conſenſu & ad inſtanciam & requiſitionem ipſorum. Nos igitur ad ſtatum propenſum & tranquillum, ac utilitatem ac commodum Prioratus noſtri predicti de bono in melius procurandum & etiam augendum totis affectibus intendentes tractatibus diſcuſſionibus & deliberacionibus predictis nobis plene relatis pro parte fratrum ipſorum, & ſuper illis & conventionibus & pactis eiſdem cum illis qui rem tractatam plene cognoverant habita collatione non modica cum eiſdem fratribus & Conventu in eandem deliberationem & providentiam concurrentes tractatus & diſcuſſiones deliberacionem & providenciam ſupradictos approbantes & ratos & gratos habentes tamquam Prior noſtri Prioratus ejuſdem ac de circumſpectione fidelitate & induſtria diſcretorum virorum Jacobi de Artuſinis Civis Ravennat. & Petrucii de Chiſmondis Civis Forlienſis fiduciam obtinentes non revocando propterea alios noſtros & dicti Prioratus procuratores & negotiorum geſtores ſed eos .... & mandatum per nos eis traditum confirmando ipſos Jacobum & Petrucium & quemlibet eorum inſolidum ita tamen quod occupantis conditio melior non exiſtat ſed quod unus ipſorum inceperit alter proſequi valeat ac finire preſentium tenore facimus conſtituimus & ordinamus noſtri veros & legitimos procuratores actores factores negotiorum geſtores & nuntios ſpeciales ad complendum perficiendum & conſolidandum pacta & conventiones prefata eaque ratifficandum & approbandum ac confirmandum promiſſionibus obligationibus & cautelis opportunis & nihilominus promittendum & conveniendum eiſdem ſocietati ſeu ſcole pro nobis & ſucceſſoribus noſtris prioribus Primatus predicti qui erunt pro tempore quod nos & ipſi ſucceſſores ac conventus prioratus ejuſdem pacta & conventiones ipſa perpetuo firma & rata habebimus tenebimus & obſervabimus & habebunt tenebunt & obſervabunt & contra eam vel aliquam partem ipſorum per nos vel alium ſeu alios ullo unquam tempore non dicemus faciemus vel veniemus neque dicent facient vel venient aliqua ratione vel cauſa ſub pena & obligatione omnium bonorum Prioratus noſtri predicti. Et inſuper pro predictis omnibus & ſingulis perpetuo ut premittitur tenendis & obſervandis obligandum dictis ſocietati ſeu ſcole & hominibus nos priorem & ſucceſſores noſtros predictos & ipſum Prioratum noſtrum & omnia & ſingula ipſius bona mobilia & immobilia ubicunque conſiſtentia ac volendum mandandum & conſentiendum ac licentiam etiam concedendum quod fratres & conventus Prioratus noſtri predicti ſe obligent & promiſſiones pacta conventiones obligaciones & cautellas faciant dent & preſtent in predictis & pro predictis que pro obſervatione pactorum & conventionum predictorum neceſſaria fuerint ut etiam opportuna & generaliter ad omnia alia & ſingula neceſſaria faciendum promittendum & exercendum que

in premiſſis omnibus & ſingulis fuerint opportuna etiam ſi ipſa vel eorum aliqua mandatum exigerent ſpeciale. Ratum & firmum habere promittentes tibi notario infraſcripto nomine dictorum ſocietatis & omnium de dicta ſocietate & omnium quorum intereſt & in futurum poterit intereſſe legitime ſtipulanti & gratum quicquid per dictos procuratores noſtros vel eorum alterum factum & geſtum fuerit in premiſſis & quolibet premiſſorum. Sub pena & obligatione omnium bonorum Prioratus noſtri predicti. Inſuper ut talis alienatio tucius fieri poſſit Nos Aymericus prefatus Apoſtolice Sedis Legatus auctoritate legationis qua fungimur de cauſa hujuſmodi plene cognita ut prefertur alienationem faciendi predictam auctoritate preſtamus fratribus & Conventui memoratis & noſtrum decretum interponimus in his ſcriptis. In quorum omnium teſtimonium efficax, & fidem indubiam has litteras fieri mandavimus per publicum apoſtolica & imperiali auctoritate Notarium infraſcriptum & nichilominus ejus manu ſubſcribi & ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Datum & actum Ravennae in Epiſcopali palatio in Sala dicti Domini Cardinalis Legati preſentibus teſtibus & rogatis Venerabil. in Chriſto Patre Domino Dino Dei gratia Archiepiſcopo Piſano Cancellario Domino Petro de Orto Camerario officialibus & familiaribus dicti Domini Venerabilis Viro Domino Philippo de Antilla Priore S. Petri Scaradii Floren. Rectore Provincie Romandiole, Domino Fratre Johanne Priore de Albhiano Penitenciario, Domino Jacobo de Ravanis Canonico Mutinenſi Capellano dicti Domini Legati & aliis. Sub anno a Nativitate Domini MCCCXLIIII. Indictione XII. die XX. menſis Febr. Pontificatus noſtri Domini Clementis Pape Sexti Anno Secundo.

Ego Jacobus filius ſ. Johannis de Azzolis de Breteonorio Foropopilienſis Dioceſis publicus Apoſtolica & imperiali Auctoritate Notarius predictis expoſicioni, ſupplicationi, collationi concurſui conſtitutioni licentie donacioni auctoritatis preſtacioni decreti interpoſitioni & mandato & omnibus & ſingulis ſupradictis una cum teſtibus ſupraſcriptis interfui & litteras ſupradictas ut ſupra ſcribitur rogatus ac de mandato dicti Domini Cardinalis Prioris predicti ſcripſi & in preſentem publicam formam redegi ſolitum ſignum meum apponens hic publice me ſubſcripſi.

Sodalitium Magnum S. Mariæ de Charitate certis ſtatutis conditionibus fundatur apud Eccleſiam Canonicorum Regularium S. Mariæ de Charitate, aſſentiente Aymerico Cardinale Legato Priore commendatario S. Mariæ Portuenſis.

B

1344. 14. Martii.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ de Charitate.

IN Chriſti Nomine. Anno Nativitatis ejuſdem MCCCXLIV. Indictione XII. die XIV. Menſis Martii. Diſcretus Vir Dominus Jacobus de Artuſinis Civis Ravennas verus & legitimus procurator, actor, factor, negotiorum geſtor, & Nuntius ſpecialis in ſolidum Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Aymerici miſeratione divina tituli S. Martini in montibus Presbyteri Cardina-

na-

nalis Apoſtolice Sedis Legati Prioris Prioratus S. Marie in Portu de littore maris Ordinis S. Auguſtini Ravennatis Dioceſis ad infraſcripta facienda, exequenda & complenda ſpetialiter & ſolemniter & cum bona & expreſſa voluntate & approbatione ejusdem Domini Cardinalis & Prioris ſuaque legationis interpoſitione decreti conſtitutus, ut conſtat inſtrumento publico ſigillo prædicti Domini Cardinalis Legati & Prioris pendente munito ac ſcripto per Jacobum ſer Johannis de Azzolis de Bretenorio Foropopilienſis Dioceſis Apoſtolica & imperiali auctoritate Notarium anno Nativitatis Domini MCCCXLIV. Indictione XII. die XX. Menſis Februarii, ac etiam verus & legitimus Sindicus procurator, actor, factor, negotiorum geſtor, & Nuntius ſpetialis religioſi viri Fratris Nicoleti de Ceſena prepoſiti & Fratrum Capituli & Conventus Prioratus predicti Sancte Marie in portu de littore Ravennatis Dioceſis ad infraſcripta omnia facienda exequenda & complenda ab eis cum auctoritate & licentia predicti Domini Legati & Prioris, de qua in dicto Priori inſtrumento expreſſa fit mentio & de eorum bona voluntate & approbatione ſpecialiter & ſolemniter conſtitutus, ut continetur in inſtrumento dicti Syndicatus & procurationis ſigillo dicti capituli & conventus pendente munito ac ſcripto per Bentevegnam de Palatio imperiali auctoritate Notarium de Ravenna anno Domini 1344. Indictione XII. die XXVIII. menſis Februarii dictis inſtrumentis à me Jacobo Notario infraſcripto viſis diligenter & lectis procuratorio, & ſindicario nomine dictorum Domini Cardinalis Prioris ac Prepoſiti Conventus & Capituli Prioratus predicti & pro eis & ſucceſſoribus eorum, nec non religioſus Vir Dominus Fr. Petrus de Venetiis Prior, Fr. Benevenutus de Arimino, Fr. Johannes de Foropopilio, Fr. Blaſius de Penzauro Eccleſie ſeu Canonice S. Marie de Charitate de Venetiis Caſtellane Dioceſis immediate ſubjecte dicto Prioratui S. Marie in Portu de littore maris Ravennatis Dioceſis nomine ſuo & totius Capituli & Conventus Eccleſie ſeu Canonice ſupradicte & ſucceſſorum ſuorum, & de licentia & conſenſu dicti Domini Jacobi procuratoris ſupradicti & cum eo ex parte una, & Dominus Johannes Beretanus Guardianus, ſ. Daniel Soler, ſ. Petrus Terviſano, ſ. Meneghus Chriſtaler, ſ. Johannes de Orlandis, ſ. Jacobus Rizzo, ſ. Martinus Catanius, ſ. Jacobus Bono de Judeca, ſ. Michael Bertaldo, ſ. Nicoletus Roſſo, ſ. Andreas Gaudioſus, ſ. Zen Memo, ſ. Michael de Haſtis, ſ. Philippus de Labris, & ſ. Nicoletus à Cantone ſocii dicti Domini Guardiani, ac univerſi ſocii homines & confratres ſocietatis ſeu ſcole batutorum Sancte Marie de Caritate de Venetiis congregati ibidem, qui fuerunt ad numerum quadringentorum & ultra & omnes unanimes & concordes pro ſe & ſucceſſoribus eorum & pro tota univerſitate & matricula ſcole predicte ex altera, conſiderantes, & evidenter & manifeſte cognoſcentes & videntes tractatus conventiones & pacta infraſcripta jamdudum collata & habita inter prefatum virum religioſum Fr. Nicoletum de Ceſena prepoſitum prioratus predicti, & Dominum Guardianum & ſocios ejus ſcole predicte fore & pertinere ad laudem Dei & reverentiam glorioſiſſime Matris ejus ac ad utilitatem & commodum eccleſie ſeu canonice antedicte & ad majus augmentum conſolationem & conſervationem ſcole ſeu matricule ſupradicte tam pro. preſenti tempore quam futuro quorum pactorum tenor per omnia talis eſt.

Hec ſunt pacta inita inter religioſum virum Fr. Nicoletum de Ceſena prepoſitum primatus S. Marie in portu de litore maris ordinis S. Auguſtini Ravennatis Dioceſis ex parte una & Dominum Guardianum ſcole batutorum S. Marie de Caritate de Venetiis & ejus ſocios infraſcriptos quorum quidem ſociorum nomina ſunt hæc Dominus Johannes bereter, ſ. Daniel Soler, ſ. Petrus Triviſano, ſ. Menegus Criſtaler, ſ. Johannes de Orlandis, & Jacobus Ricius,

eius, ſ. Martinus Catanius, ſ. Jacobus Bono de Judecha, ſ. Michael Bertoldus, ſ. Nicoletus Roſſo, ſ. Andreas Gaudioſus, ſ. Zen Memo, ſ. Michael de Haſtis, ſ. Philippus de Labris, & ſ. Nicoletus de Cantone ex altera videlicet predicte partes ſunt in concordia de una poſſeſſione & territorio ſeu terreno ſitis in loco S. Marie de la Caritate cujus hii ſunt confines videlicet à primo latere campus prope pontem à ſecundo murus qui eſt ultra ripam à tertio rivus parvus à quarto curia ſive curtile cum uno paſſu dicti curtilis ultra murum per directum tramitem ſicut tenet poſſeſſio & hanc poſſeſſionem & ſuper eam debent pro libito laborare & edificare prefati Dominus Guardianus & ſocii ſive ad planum ſeu baſſum ſive in ſolario & habere feneſtras ferratas & vitratas & portam ſuper curtem ſive curtile pro ſuo uſu pro eundo & redeundo de nocte & de die, & debent unam clavim porte curtilis & inſuper poſſint ire & redire per clauſtrum antiquum & novum & in eccleſiam & facere ſuas proceſſiones, tamen ſecundum conſuetudinem, & ſicut hactenus factum eſt. Item quod dictam poſſeſſionem pro hoſpitali nec ad uſum hoſpitalis poſſint tenere nec eam affictare alicui perſone ſed ſolum pro dicta ſcola tenere. Item quod latrinas que ſunt intus debeant conducere & fieri facere foris ſuis expenſis. Item quod omnia pacta que habent predicti Guardianus & ſocii in eorum matricula & extra ipſam matriculam cum fratribus predicte S. Marie ſervabunt dicte partes inter ſe & pro poſſeſſione predicta ſupradicti Dominus Guardianus & ſocii nomine cambii daret prepoſito ſupradicto nomine canonice portuenſis domum in ſolario in qua dicti Dominus Guardianus & ſocii tenent ſuas cappas & arneſia ſua que eſt in dicto loco S. Marie de Caritate, & ultra, dant ducatos auri ducentos convertendos in emptione unius poſſeſſionis pro canonica antedicta Venetiis vel alibi ubi utilius fuerit pro eadem canonica. Item teneantur dare dicte canonice ſeu loco Sancte Marie de Caritate annuatim pro affictu ſolidos viginti groſſorum in monetis. Item teneantur tenere puteum reparatum cum hac conditione quod predictus Dominus prepoſitus teneatur ſicut promiſit habere a Domino Cardinali priore canonice ſepedicte omnes litteras neceſſarias pro predictis ſigillatas ſigillo Domini Prioris predicti & etiam omnia inſtrumenta capituli Canonice antedicte propterea neceſſaria & illas & illa portare Venetias, ac etiam promiſit idem prepoſitus facere omnia inſtrumenta que pro premiſſorum executione fuerint neceſſaria ſecundum ordinem Venec. ſpiritualiter & temporaliter & in palatio & extra palatium. Item ex pacto promiſerunt predicti Dominus Guardianus & ſocii predicto prepoſito ac etiam convenerunt quod ſi quo tempore contingeret quod predicta ſcola deficeret & non eſſet vel de voluntate illorum de dicta ſcola procederet quod diſcedere vellent de dicto loco Sancte Marie de Caritate debeat dicta poſſeſſio ſeu dictum caſamentum edificatum & laboratum ut tunc fuerit loco predicto libere remanere. Et ex adverſo ſe obligat prefatus prepoſitus & capitulum ſupradictum predictis Guardiano & ſociis quod ſi quo tempore contingeret defectu Domini Prioris vel prepoſiti vel Fratrum Canonice ſupradicte aut alicujus alterius perſone quod vellent dictos Guardianum & ſocios expellere vel nollent ſervare pacta recuſantes ſocietatem dictorum Guardiani & ſociorum debeant ſolvere & reſtituere dicte ſcole omnes pecunie quantitates quas pro edificio & laborerio predicti caſamenti expenderint homines de dicta ſcola remanente tamen ipſa ſcola in ſancta Maria de la Caritate & omnibus pactis que ante hec pacta erant inter dictos Guardianum & ſocios & predictum locum S. Marie in ſuo robore remanentibus. Sponte & ex certa ſcientia ac concorditer & non per aliquem errorem gratificatione conſenſu & approbatione prefati Domini Cardinalis & Prioris di-

cti

cti Prioratus, ac prepoſiti & Capituli Prioratus ejuſdem & aliis de quibus in dictis duobus inſtrumentis munitis ſigillis pendentibus ipſorum Domini Cardinalis & prioris ac etiam prepoſiti & Capituli dicti Prioratus ſit mentio in ſua firmitate manentibus predicta omnia & ſingula pacta & pactorum capitula & contenta in eis, ibi per me Notarium infraſcriptum ad intelligentiam omnium vulgata & lecta gratificaverunt laudaverunt & emologaverunt atque ea ratificaverunt approbaverunt & confirmaverunt, & gratificant laudant emologant atque ratificant approbant & confirmant in omnibus & per omnia prout ſuperius ſcripta ſunt. Promittentes ſibi invicem nominibus antedictis, mutuis & ſolempnibus ſtipulationibus hinc inde intervenientibus, ea omnia & ſingula per ſe & ſucceſſores eorum rata grata & firma habere perpetuo & tenere attendere & obſervare facere & complere & non contrafacere vel venire infringere nec revocare per ſe vel alios ullo modo vel ingenio de jure vel de facto aut aliquo exquiſito colore ſub pena refectionis reſtitutionis & conditionis contentarum in pactis cum refectione inſuper omnium damnorum intereſſe & expenſarum litis & extra & que una pars propter defectum alterius vel obſervantiam quocunque modo pateretur vel faceret & pro predictis omnibus & ſingulis attendendis & obſervandis obligaverunt dictus Dominus Jacobus procurator & ſindicus & dictus Dominus F. Petrus Prior, prefatis Domino Guardiano ſociis, & univerſitati dicte ſcole pro ſe & eorum ſucceſſoribus ſtipulantibus omnia bona predictorum Prioratus & Capituli & Conventus S. Marie in portu & canonice ſeu eccleſie ſupradicte de Venetiis preſentia & futura & dicti Dominus Guardianus ſocii & univerſitas dicte ſcolé predicto Domino Jacobo & Domino Fr. Petro ſtipulantibus nominibus quibus ſupra omnia bona dicte ſcole preſentia & futura. Renuntiantes ipſe partes dictis nominibus in predictis & eorum occaſione exceptioni doli condicioni ſine cauſa vel ex injuſta cauſa actioni doli mali & in factum, & exceptioni non ſic factarum ratificationes promiſſionis & obligationis contratus non ſic celebrati, & omni alii exceptioni defenſioni & juri tam eccleſiaſtico quam Civili & municipali litteris gratiis & privilegiis quibus vel quorum aliquo poſſent ipſe partes vel aliqua earum contra predicta vel aliquid predictorum dicere facere vel venire aut ſe tueri.

Actum in clauſtro Canonice ſeu eccleſie S. Marie de Caritate de Venetiis. Preſentibus Odorico Bono draperio de contrata S. Paterniani, Antonio Maruſſo de contrata S. Salvatoris, Petro q. Thomaſini de contrata S. Jacobi de Luprio, Franciſco q. Laurentii de contrata S. Marie Formoſe, Marco Juliano de contrata S. Caſſiani teſtibus rogatis & aliis.

Ego Jacobus q. Johannis de Placentia Imperiali auctoritate Notar. qui habitator Venetiis in contrata S. Salvatoris predictis omnibus interfui & rogatus ſcripſi.

Fran-

Franciſcus Capello Prior S. Mariæ de Charitate certis ſtatutis conditionibus permutat quasdam domunculas de jure ipſius Monaſterii cum Sodalitio Charitatis ad extruendum Oratorium & Hoſpitale pro ipſo Sodalitio.

C 1411. 26. Novembris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Charitatis.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo undecimo, Indictione quarta die vigeſimo ſexto exeunte menſe Novembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Johannis divina providentia Pape vigeſimi tertii anno ſecundo Venetiis in Monaſterio S. Marie de Caritate in capitulo ejusdem ad ſonum campanele more ſolito pro infraſcriptis ſpecialiter exequendis congregato in quo interfuerunt Venerabilis & religioſus Vir Dominus Fr. Franciſcus Capello Ordinis & regule S. Auguſtini Dei & apoſtolice Sedis gratia Prior dicti Monaſterii, ad quem devoluta eſt & pertinet integralis libertas monaſterii Capituli & Conventus ejusdem, cum alter non ſit ad præſens in ipſo monaſterio qui de jure ad hec poſſit aut debeat evocari. Conſiderans & advertens dictum ſuum monaſterium habere certas domunculas juſta ipſum monaſterium poſitas & ſituatas, que precipicium minantur & ruinam, que niſi preſto reparentur, inſoportabilis expenſa incurret monaſterio, & ipſum Monaſterium non habeat ad preſens poſſibilitatem ullam faciendi illas reparari & aptari, cum ſit propter guerarum diſcrimina in maſſima deſolatione conſtitutum que fuerunt in locis ubi poſſeſſiones dicti monaſterii ſunt poſite & ſituate, ex quibus deberet ſuſcipere alimenta dictis redditibus & proventibus, que pro majori parte propter impotentiam monaſterii inculte remanſerunt & aſtringente neceſſitate maxima, predeceſſor prefati Domini Prioris quamplura creavit ultra duomillia ducatorum, ut per ſententias latas contra ipſum monaſterium Capitulum & Conventum clare & manifeſte conſtat & ultra plus ſuppignoravit calices cruces libros paramenta & multa alia ornamenta eccleſiaſtica ad divinum cultum ſpectantia & pertinencia, & cum ipſe domus non poſſint ſine expenſis maſſimis quas ullo modo monaſterium ſupportare non poſſet cauſis & rationibus predictis, & quia annuatim ipſum Dominum Priorem opportet ſolvere, vellit nollit, creditoribus partem ſententiarum prefatarum, & exigere de tempore in tempus dicta eccleſiaſtica pignora & ob id prefatus Dominus prior pervigilans ad ſtatum dicti monaſterii & ad ſublevandum & reddimendum ſuum monaſterium a tot & tantis gravaminibus & impreſſionibus, & cupiens evitare ipſas expenſas ſibi inſupportabiles in reparando domunculas antedictas. Videns viam abilem & proficuam monaſterio ad ſe ſublevandum a prefatis expenſis deliberavit de domunculis prefatis infraſcriptam facere permutationem & cumcambium communicato & participato conſilio virorum nobilium dicti ſui monaſterii procuratorum Dominorum Bartholomei & Petri Barbadico fratrum de confinio S. Gervaſii, ut de ipſo procuratorio conſtat publico inſtrumento ſcripto manu Presbyteri Alberti Pertempo eccleſie S. Viti plebani, & imperialis notarii ſupraſcriptis milleſimo & indictione die vigeſimo tertio menſis Novembris. Primo obtenta licentia à Vener. in Chriſto Patre Domino Jeronymo Betanio eadem gratia

Abbate

Abbate Monaſterii S. Gregorii de Venetiis vixitatore correctore reparatore & reformatore Apoſtolico Monaſteriorum ducatus Venetiarum videlicet a gradu uſque ad caput aggeris una cum nobilibus & egregiis viris Dominis Laurencio Superancio & Marco Salomon in ipſo officio ſecundum litterarum Apoſtolicarum continentiam & tenorem ſpecialiter deputatis qui deſervientes dictum ſuum Monaſterium tantis debitis & oppreſſionibus pregravatum ut ſupra expreſſum eſt & quod faciendo infraſcriptam permutationem & cumcambium magnum proficuum & utile Monaſterio conſequentur quoniam habebit affictum de domibus & ipſis granariis in duplum pro tali permutatione & concambio quod de ipſis domibus ſive domunculis & granariis Monaſterium in anno ducatos vigintiquatuor percipiebat & non ultra & ſic omnibus diſcuſſis & conſideratis ſuam auctoritatem interpoſuerunt pariter & decretum. Preterea prefatus Dominus frater Franciſcus Capello Prior tam nomine ſuo proprio quam vice & nomine dicti ſui Monaſterii capituli & conventus & ſucceſſorum ſuorum ex parte una & circumſpectus vir Dominus Nicolaus Bondi benemerito Guardianus Schole Batutorum Sancte Marie de Caritate ſ. Dominicus Rigaciis Vicarius dicte Schole ſ. Antonius Niger ab armis ſ. Martinus de Canale ſ. Nicolaus Roſſo ſ. Jacobus Sento ſ. Chriſtophorus Longo ſ. Benedictus Bon ſ. Segondus Niger ſ. Dominicus Baliſtrarius ſ. Bernardus Roſſo ſ. Anthonius Martini ſ. Jacomelus Deflor & ſ. Marcus Thomaxini Decani & ſocii dicti Domini Guardiani officiales & gubernatores dicte Schole ibidem congregati pro ſe & vice & nomine aliorum confratrum ſuorum & ſucceſſorum ſuorum & auctoritate capituli dicte Schole habiti & congregati pro predictis omnibus & ſingulis fiendis & exequendis in quo interfuerunt frater Schole ſeptuaginta octo & fuerunt unius opinionis & voluntatis ad infraſcripta percomplenda & exequenda ſeptuaginta unus numerus dictorum fratrum ut aſſeruerunt conſtare in actis Schole prefate ex altera. Conſiderantes & manifeſte cognoſcentes conventiones & pacta infraſcripta collata & habita inter partes predictas pertinere ad laudum & perempnem gloriam Omnipotentis Dei & reverentiam matris ejus Virginis Marie ac utilitatem immenſam & commodum Monaſterii antedicti pro preſenti tempore & futuro ad infraſcripta pacta convenerunt quorum pactorum tenor talis eſt: Videlicet quod prefate partes ſunt in concordia de duabus parvis domunculis, in quibus ſunt quattuor parvula granaria, que ſunt in capite curie ubi puteus eſt, de quibus granariis duo ſunt ad pedem planum & duo in ſolario, unum videl. ſupra aliud. Item de duobus albergis que ad preſens dictus Dominus Guardianus & ſocii tenent ad affictum, in quibus faciunt debitis temporibus ſuam caritatem, & de una domuncula in qua habitat ad preſens ſ. Vitalis Barcarolus cum ſua terra vacua ſive ortulo, que domuncula firmat ſuum caput in capite pontis per quem itur ad Sanctum Gervaxium, & de tanto orto ſive terra vacua dicti Monaſterii quantum capiunt & comprehendunt ſupraſcripta granaria ſive domuncule eundo recto tramite incipiendo à muro, in quo ſunt ſcale lapidee Monaſterii apogiate uſque . . . . per quem itur ad Sanctam Agnetem, quarum longitudo eſt paſſus decem & ſeptem vel circa & latitudo quindecim paſſuum. Cum pacto quod ſuper dictis domunculis granariis terreno vacuo & albergis poſſint Prefati Dominus Guardianus decani & ceteri gubernatores Schole prefate pro ſe & vice & nomine aliorum confratrum ſuorum & ſucceſſorum ſuorum laborari facere & fabricari domus oſpitale & totum quicquid eis placebit, verum quod non poſſint ibi fieri Eccleſia nec capella in quibus celebretur divinum offitium, ſalvo quod de neceſſitate poſſit una miſſa celebrari tamen cum licentia Domini Prioris, qui per tempora erit aut fuerit & aliter non declarantes quod feneſtre que fient in dictis edificiis factis & fiendis verſus ortum dicti Monaſterii non poſſint fieri

Franciſcus Capello Prior S. Mariæ de Charitate certis ſtatutis conditionibus permutat quaſdam domunculas de jure ipſius Monaſterii cum Sodalitio Charitatis ad extruendum Oratorium & Hoſpitale pro ipſo Sodalitio.

C 1411. 26. Novembris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Charitatis.

IN Chriſti Nomine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo quadringenteſimo undecimo, Indictione quarta die vigeſimo ſexto exeunte menſe Novembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini Johannis divina providentia Pape vigeſimi tertii anno ſecundo Venetiis in Monaſterio S. Marie de Caritate in capitulo ejuſdem ad ſonum campanele more ſolito pro infraſcriptis ſpecialiter exequendis congregato in quo interfuerunt Venerabilis & religioſus Vir Dominus Fr. Franciſcus Capello Ordinis & regule S. Auguſtini Dei & apoſtolice Sedis gratia Prior dicti Monaſterii, ad quem devoluta eſt & pertinet integralis libertas monaſterii Capituli & Conventus ejuſdem, cum alter non ſit ad præſens in ipſo monaſterio qui de jure ad hec poſſit aut debeat evocari. Conſiderans & advertens dictum ſuum monaſterium habere certas domunculas juſta ipſum monaſterium poſitas & ſituatas, que precipicium minantur & ruinam, que niſi preſto reparentur, inſoportabilis expenſa incurret monaſterio, & ipſum Monaſterium non habeat ad preſens poſſibilitatem ullam faciendi illas reparari & aptari, cum ſit propter guerarum diſcrimina in maſſima deſolatione conſtitutum que fuerunt in locis ubi poſſeſſiones dicti monaſterii ſunt poſite & ſituate, ex quibus deberet ſuſcipere alimenta dictis redditibus & proventibus, que pro majori parte propter impotentiam monaſterii inculte remanſerunt & aſtringente neceſſitate maxima, predeceſſor prefati Domini Prioris quamplura creavit ultra duomillia ducatorum, ut per ſententias latas contra ipſum monaſterium Capitulum & Conventum clare & maniſeſte conſtat & ultra plus ſuppignoravit calices cruces libros paramenta & multa alia ornamenta eccleſiaſtica ad divinum cultum ſpectantia & pertinencia, & cum ipſe domus non poſſint ſine expenſis maſſimis quas ullo modo monaſterium ſupportare non poſſet cauſis & rationibus predictis, & quia annuatim ipſum Dominum Priorem oppertet ſolvere, vellit nollit, creditoribus partem ſententiarum preſatarum, & exigere de tempore in tempus dicta eccleſiaſtica pignora & ob id prefatus Dominus prior pervigilans ad ſtatum dicti monaſterii & ad ſublevandum & reddimendum ſuum monaſterium a tot & tantis gravaminibus & impreſſionibus, & cupiens evitare ipſas expenſas ſibi inſupportabiles in reparando domunculas antedictas. Videns viam abilem & proficuam monaſterio ad ſe ſublevandum a prefatis expenſis deliberavit de domunculis prefatis infraſcriptam facere permutationem & cumcambium communicato & participato conſilio virorum nobilium dicti ſui monaſterii procuratorum Dominorum Bartholomei & Petri Barbadico fratrum de confinio S. Gervaſii, ut de ipſo procuratorio conſtat publico inſtrumento ſcripto manu Presbyteri Alberti Pertempo eccleſie S. Viti plebani, & imperialis notarii ſupraſcriptis milleſimo & indictione die vigeſimo tertio menſis Novembris. Primo obtenta licentia à Vener. in Chriſto Patre Domino Jeronymo Betanio eadem gratia

Abbate

Abbate Monaſterii S. Gregorii de Venetiis vixitatore correctore reparatore & reformatore Apoſtolico Monaſteriorum ducatus Venetiarum videlicet a gradu uſque ad caput aggeris una cum nobilibus & egregiis viris Dominis Laurencio Superancio & Marco Salomon in ipſo officio ſecundum litterarum Apoſtolicarum continentiam & tenorem ſpecialiter deputatis qui deſervientes dictum ſuum Monaſterium tantis debitis & oppreſſionibus pregravatum ut ſupra expreſſum eſt & quod faciendo infraſcriptam permutationem & cumcambium magnum proficuum & utile Monaſterio conſequentur quoniam habebit affictum de domibus & ipſis granariis in duplum pro tali permutatione & concambio quod de ipſis domibus ſive domunculis & granariis Monaſterium in anno ducatos vigintiquatuor percipiebat & non ultra & ſic omnibus diſcuſſis & conſideratis ſuam auctoritatem interpoſuerunt pariter & decretum. Preterea prefatus Dominus frater Franciſcus Capello Prior tam nomine ſuo proprio quam vice & nomine dicti ſui Monaſterii capituli & conventus & ſucceſſorum ſuorum ex parte una & circumſpectus vir Dominus Nicolaus Bondi benemerito Guardianus Schole Batutorum Sancte Marie de Caritate ſ. Dominicus Rigaciis Vicarius dicte Schole ſ. Antonius Niger ab armis ſ. Martinus de Canale ſ. Nicolaus Roſſo ſ. Jacobus Sento ſ. Chriſtophorus Longo ſ. Benedictus Bon ſ. Segondus Niger ſ. Dominicus Baliſtrarius ſ. Bernardus Roſſo ſ. Anthonius Martini ſ. Jacomelus Deſlor & ſ. Marcus Thomaxini Decani & ſocii dicti Domini Guardiani officiales & gubernatores dicte Schole ibidem congregati pro ſe & vice & nomine aliorum confratrum ſuorum & ſucceſſorum ſuorum & auctoritate capituli dicte Schole habiti & congregati pro predictis omnibus & ſingulis fiendis & exequendis in quo interfuerunt frater Schole ſeptuaginta octo & fuerunt unius opinionis & voluntatis ad infraſcripta percomplenda & exequenda ſeptuaginta unus numerus dictorum fratrum ut aſſeruerunt conſtare in actis Schole prefate ex altera. Conſiderantes & manifeſte cognoſcentes conventiones & pacta infraſcripta collata & habita inter partes predictas pertinere ad laudum & perempnem gloriam Omnipotentis Dei & reverentiam matris ejus Virginis Marie ac utilitatem immenſam & commodum Monaſterii antedicti pro preſenti tempore & futuro ad infraſcripta pacta convenerunt quorum pactorum tenor talis eſt: Videlicet quod prefate partes ſunt in concordia de duabus parvis domunculis, in quibus ſunt quattuor parvula granaria, que ſunt in capite curie ubi puteus eſt, de quibus granariis duo ſunt ad pedem planum & duo in ſolario, unum videl. ſupra aliud. Item de duobus albergis que ad preſens dictus Dominus Guardianus & ſocii tenent ad affictum, in quibus faciunt debitis temporibus ſuam caritatem, & de una domuncula in qua habitat ad preſens ſ. Vitalis Barcarolus cum ſua terra vacua ſive ortulo, que domuncula firmat ſuum caput in capite pontis per quem itur ad Sanctum Gervaxium, & de tanto orto ſive terra vacua dicti Monaſterii quantum capiunt & comprehendunt ſupraſcripta granaria ſive domuncule eundo recto tramite incipiendo à muro, in quo ſunt ſcale lapidee Monaſterii apogiate uſque .... per quem itur ad Sanctam Agnetem, quarum longitudo eſt paſſus decem & ſeptem vel circa & latitudo quindecim paſſuum. Cum pacto quod ſuper dictis domunculis granariis terreno vacuo & albergis poſſint Prefati Dominus Guardianus decani & ceteri gubernatores Schole prefate pro ſe & vice & nomine aliorum confratrum ſuorum & ſucceſſorum ſuorum laborari facere & fabricari domus oſpitale & totum quicquid eis placebit, verum quod non poſſint ibi fieri Eccleſia nec capella in quibus celebretur divinum offitium, ſalvo quod de neceſſitate poſſit una miſſa celebrari tamen cum licentia Domini Prioris, qui per tempora erit aut fuerit & aliter non declarantes quod feneſtre que fient in dictis edificiis factis & fiendis verſus ortum dicti Monaſterii non poſſint fieri

niſi pro dando lucem in dicto muro & oſpiciis fiendis, & quod dicte feneſtre debeant eſſe ferate & vitrate alte à terra & ſolariis pedibus ſex & non minus, & quod lux feneſtrarum que fient & erunt facte in dicto muro ſundo in orto, nunquam poſſit occupari aut offuſcari, qui murus debeat reduci equaliter & a valido cum muro, ubi ad preſens eſt coquina Monaſterii poſſendo ire cum ſuis fabricis tantum altum quantum eis placebit & videbitur pro commodo dicte Scole & quod dicte ſcancie & edificia, que fient, habeant liberum introytum & exitum per ca ... & per portam Schole de ante die, noctuque ad eorum omnimodam voluntatem. Item quod prefati Dominus Guardianus & ſocii poſſint àgrandare & augere oſpicium in quo ipſi faciunt ſuas rationes & computa, & hoc quando eis videbitur & placebit eundo uſque ad murum Eccleſie Monaſterii & pro cambio & nomine cambii & permutationis de dictis domunculis & granariis predictis & terreni vacui & augmentacionis oſpicii prelibati dant, tradunt & concedunt, ac dare tradere & concedere promittunt prefati Domini Guardianus & ſocii pro ſe & vice & nomine aliorum confratrum ſuorum dicte ſcole & ſuorum ſucceſſorum capituli dicte Schole prefato Domino Priori capitulo & conventui Sancte Marie de Caritate ducatos duomillia impreſtitorum ad cameram impreſtitorum Communis Venetiarum cum hac conditione, quod dictus Dominus Prior Monaſterium capitulum & conventus inperpetuum habere debeat à camera impreſtitorum prode dictorum duomillia ducatorum ſecundum quod extrahatur de illis de tempore in tempus, & quod prefati duo millia ducatorum inperpetuum debeant ſtare firmi ad dictam cameram, & inde ullo modo forma vel ingenio extrahi non poſſint, nec obligari vel quovis modo alienari per priores qui per tempora erunt capitulum & conventum vel per aliquem aliam perſonam. Et ultra hoc prefati Dominus Guardianus & ſocii dant & promittunt dare dicto Domino Priori & Monaſterio manualiter ducatos centum auri videlicet ducatos quinquaginta ad preſens pro reparatione murorum Monaſterii & alios quinquaginta pro reparatione ripe magne tendentis in ruinam ſituate prope canale magnum, ſicut ipſi incipiant ipſam facere ripam. Et ex adverſo prefatus Dominus Prior per ſe & ſucceſſores ſuos ac vice & nomine dicti ſui Monaſterii capituli & conventus promittit & ſe obligat prefatis Domino Guardiano & ſociis pro ſe & vice & nomine ſuorum confratrum dicte Schole & ſucceſſorum ſi quo tempore contingeret quod ex defectu Domini Prioris Monaſterii capituli & conventus aut alicujus alterius perſone que vellent expellere dictos Dominos Guardianum & ſocios aut ſucceſſores eorum & auſſere beneficia prefata edificata ſeu edificanda ſuper dictis locis vel nollent eis ſervare pacta predicta dare & ſolvere & reſtituere dicte Schole dictos duo millia ducatorum & totum quod exigiſſent de prode impreſtitorum predictorum & reſtituere manualiter dictos ducatos centum manualiter datos pro reparationibus prefatis & totum quod appareret expenditum fuiſſe in fabricis edificiorum predictos fiendorum ſeu factorum & pro dampno & intereſſe Schole ducatos quingentos auri pacto expreſſo ſponte & ex certa ſcientia & non per aliquem errorem a probatione & ratificatione prefatorum Dominorum Reformatorum & reparatorum Monaſteriorum & dictorum Dominorum Procuratorum Monaſterii prefati de quibus ſupra fuit facta mentio predicta omnia & ſingula pacta & capitula pactorum & contenta in eis per me Notarium infraſcriptum ad intelligentiam omnium promulgata & lecta. Prefatus Dominus Prior nominibus quibus ſupra ex una parte & prefatus Dominus Guardianus nominibus quibus ſupra ex altera parte ratificaverunt & laudaverunt atque ratificant laudant approbant & confirmant in omnibus & per omnia prout ſuperius ſcripta ſunt. Promittentes ipſe partes ſibi invicem nominibus antedictis mutuis & ſolempnibus ſtipulationibus hinc inde intervenienti-

nientibus omnia ea & ſingula per ſe & ſucceſſores ſuos rata grata & firma habere perpetuo attendere & obſervare & complere & non contrafacere vel venire per ſe vel alios ullo modo forma vel ingenio de jure vel de facto aut aliquo alio exquiſito colore ſub pena refectionis dampnorum reſtitutionis denariorum & conditionis contentorum in pactis predictis cum refectione omnium dampnorum & expenſarum litis & extra litem, & que una pars propter defectum alterius partis quocunque modo pateretur. Et pro predictis omnibus & ſingulis attendendis & obſervandis prefactus Dominus Franciſcus Capello Prior nominibus antedictis obligavit prefatis Domino Guardiano & ſociis ac univerſitati dicte ſcole pro ſe & eorum ſucceſſoribus ſuper omnia bona prefatorum Monaſterii capituli & conventus preſentia & futura & dicti Dominus Guardianus & ſocii ſupraſcriptis nominibus & autoritate capituli ſuper omnia bona dicte Schole preſentia & futura. Renunciantes ipſe partes dictis nominibus exceptioni donationi conditioni ſine cauſa & ex injuſta cauſa & exceptioni non ſic facta. rum ratificationis promiſſionis & obligationis contractus ſic celebrati & omni alii exceptioni defenſioni & juri tam Eccleſiaſtico quam civili aut ſeculari literis gratiis privilegiis quibus vel quorum aliquo poſſent ipſe ambe partes vel aliqua earum contra predicta vel aliquid predictorum dicere facere vel venire aut ſe tueri mandantes mihi notario infraſcripto ut de predictis duo ſimilia unius ejuſdemque tenoris pro cautela partium conficere inſtrumenta. Preſentibus Rev. in Chriſto Patre Domino Fr. Jeronimo de Tarvixio Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopo Namconyenſe Domino Presbit. Johanne de Bagnacavalo & infraſcriptis civibus Venetiarum ſ. Franciſco Filipi ſ. Vitale Petri & Magiſtro Bartholomeo ſartore omnibus de confinio S. Zervaſii de Venetiis teſtibus & aliis quampluribus ad ſupraſcripta vocatis ſpecialiter & rogatis.

Ego Hector de bonxinis Civis Venetiarum publicus Imperiali auctoritate Notarius & nunc Cancellarius & ſcriba ſupraſcriptorum Dominorum ſuper Monaſteriis predictis omnibus & ſingulis dum ſic ut premittitur agerentur interfui & rogatus a partibus ſupraſcriptis publice ſcripſi. Signo meo in teſtimonium premiſſorum appoſito conſueto.

DE
MONASTERIO
S. MARIÆ olim JESUATORUM, NUNC PRÆDICATORUM.

E Jeſuatorum Congregatione nuper a Beato Joanne Columbino Senis inſtituta Venetias appulſi nonnulli Fratres exeunte ſæculo humanæ ſalutis XIV. in S. Juſtinæ confinio conductis ædibus aliquo tempore morati ſunt, donec ex iis anno MCCCLXXXXII. digreſſi in S. Agnetis Parœcia empta domo permanſuras ſedes fixerunt. Latioris fundi jus, in quo poſtea Cœnobium erexerunt, ad eos ex Petri de Saxis, propinquam Divi Raphaelis Parœciam inhabitantis, Teſtamento devenit, quo in actis Franciſci Galvani D. Raphaelis Plebani die 2. Novemb. anni MCCCLXXXXVII. rogato domos aliquas in Divæ Agnetis confinio ſitas Zachariæ de Antelmis Veneto pauperi Jeſuato, ejusque ſodalibus perpetuo munere legavit. Ibi eis adhuc in privatis ædibus *in Societate Pauperum* habitantibus, Indulgentias Innocentium hujus nominis VII. conceſſiſſe anno MCCCCV. antiquus codex

MS.

MS. ipſorum Jeſuatorum, in Archivo Monaſterii adhuc aſſervatus, optima fide teſtatur: " 1405. circa principium Menſis
„ Julii *Dominus Innocentius Papa Septimus*, mediante interceſſione D. Nicolai Contarini compatris præfati Summi Pontificis, & Ambaſciatoris Civitatis Venetiarum, plenariam remiſſionem omnium peccatorum in articulo mortis gratis conceſſit nobis, qui tunc habitabamus Venetiis in Societate Pauperum; Quæ Indulgentia ſumpſit vires a die relationis nobis factæ per ipſum, qui fuit die 13. Auguſti. Habitantes autem tunc Venetiis erant infraſcripti, ſcilicet Major noſter Franciſcus de Saxis. Petrus q. Johannis. Jacobus q. Clerici. Philippus q. Bartoli de Florentia. Antonius q. Andreæ. Bartholomæus Michaelus q. Guilelmi de Venetiis. Antonius q. Petri de Civitate Caſtelli. Perinus q. Andreæ de Padua. Raimundus de Bergamo. Præsb. Nicolaus q. Franciſci de Bononia.

In Religioſi Cœnobii formam everſæ domus erigi cœperunt Anno Domini MCCCCXXIII. piis aliquot viris impenſas erogantibus, inter quos præcipue memoratur Franciſcus Gonzaga, is, quem è Domino Mantuæ primum ejusdem Urbis Marchionem Sigismundus Imperator inſtituit, qui trecentos ad opus perficiendum argenteos (Venetis ducatos) liberaliter erogavit.

Adjacens Xiſtro Oratorium ſub D. Hieronymi invocatione non amplum quidem, aut commodum, ſed tamen ad communes Fratrum preces ſolvendas idoneum Anno MCCCCXXXIV. ſtudio præſertim Fratris Antonii Veneti, viri eximia pietate præditi excitatum eſt, in quo communem fieri Fratribus ſepulturam conceſſit Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus, dato edicto anno Nativitatis Dominicæ MCCCCXXXIV. Indict. XIII. Eugenii Papæ IV. anno quarto.

„ Laurentius Juſtiniano Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Venetiarum. Dilectis nobis in Chriſto Servis Dei Jeſuatis vulgariter nuncupatis Eccleſiæ, & loci S. Agnetis de Venetiis noſtræ Caſtellanæ Dioceſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum pro parte veſtra nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut vobis licentiam concedere dignaremur, quod ſepultura veſtra facere poſſitis in illo Oratorio, ad pedem planum poſito, prout melius vobis videbitur, ad pauperum ſepulturam in hoc loco habitantium. Nos attenden-

„ tes,

„ tes, hujuſmodi petitionem fore juſtam, ac piam, & hone-
„ ſtam: nec non attendentes, quod bene facientibus non
„ eſt denegandus aſſenſus; tenore præſentium in his ſcriptis
„ vobis, & ſucceſſoribus veſtris plenam licentiam, & poteſta-
„ tem damus, & concedimus volendi facere, & fieri facere
„ ſepultura veſtra in illo Oratorio ad pedem terrenum poſito
„ juxta veſtræ ſupplicationis votum. In quorum fidem præſen-
„ tem licentiam in ſcriptis fieri juſſimus, & noſtri Pontifica-
„ tus ſigilli appenſione muniri mandavimus.

„ Actum & datum in Epiſcopali Palatio Caſtellano, die
„ ultimo Menſis Julii Anno Dominicæ Nativitatis 1434. In-
„ dictione 13. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, &
„ Domini Noſtri Eugenii Divina Providentia Pape Quarti
„ anno IV.

Sacelli deinde cœmeterium, cum anteriori atrio anno ſubſequenti eccleſiaſtico ritu benedixit, & conſecravit, ipſo ſuperius laudato D. Laurentio concedente, Petrus Juvenacenſis Epiſcopus die 5. Januarii MCCCCXXXVI. ut ex jam relato MS. codice habetur, qui Veneto vernaculo hæc habet:

Nel mille quattrocento trentaſei a di 5. Zenaro M. lo Veſcovo di Jovanatio, cioè Miſ. Piero d'Orvieti, el quale venia da Chaeta per ritornare al Veſcovato ſuo, el quale arivò in Vinegia e dimorava con noi poveri: e con licentia, e volontà di M. lo Veſcovo di Caſtello, el quale fù Miſ. Don Lorentio Zuſtignano, chel detto, e ſopranominato Veſcovo di Jovanatio benediceſſe, e conſegraſſe el noſtro Cimiterio, cioè tutto el piano dell' Oratorio dentro, e l'andito ch' è dinanti all' Oratorio all' entrata della porta per ſino al cantone che mena all' onchioſtro.

Anno MCCCCXXXVI. die v. Januarii Dominus Petrus Urbevetanus Epiſcopus Juvenacenſis, qui Cajeta ad Epiſcopatum ſuum revertebatur, cum Venetias appuliſſet, in paupere noſtra æde morabatur. Hic de facultate, & aſſenſu D. Laurentii Juſtiniani Epiſcopi Caſtellani benedixit, atque ſacravit Cœmeterium noſtrum integrum, nempe Oratorii pavimentum cum meſaulis ab ingreſſu Oratorii ipſius uſque ad angulum, qua patet aditus ad Xiſtrum.

An-

Anguſti Sacelli loco latior Eccleſia ære fidelium inde excitata eſt, cujus primum lapidem Thomas Donato, ex Prædicatorum Ordine Patriarcha Venetiarum in fundamentis jecit die 13. Julii cui poſt annos triginta ad complementum eleganti opere titulo Viſitationis B. M. V. adſcito Conſecrationis munus ritu *ſolemni* impertitus eſt Joannes Epiſcopus Tiberiadenſis, Divorum Reliquiis in Ara Principe collocatis, & annis quadraginta *de vera indulgentia in forma* Eccleſiæ conſueta conceſſis, iis qui Eccleſiam ipſam in anniverſario Conſecrationis hujusmodi viſitarent, ut lapidea quæ adhuc viſitur epigraphe oſtendit, cui commendata fuit conſecratæ Eccleſiæ memoria.

„ IHS. MDXXIV. die XXI. menſis Decembris. Ego Joannes
„ Epiſcopus Tiberiadenſis conſecravi Eccleſiam, & Altare
„ hoc in honorem Viſitationis B. Mariæ ad Eliſabeth, & reli-
„ quias Beatorum Martyrum S. Andreæ Apoſtoli, & Chriſo-
„ goni in eo incluſi ſigillis: Fidelibus vero in Anniverſario
„ conſecrationis hujusmodi ipſam viſitantibus annos XL. de ve-
„ ra indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta concedens.

Cum vero ex antiqua Eccleſiæ diſciplina Epiſcopi XL. tantummodo Indulgentiarum dies fidelibus impertiri valerent, fortaſſe ex ſculptoris ignorantia Anni XL. in marmore ſignati pro totidem diebus irrepſerunt.

Ex ſæpecitato Jeſuatorum MS. codice addiſcimus tum aliquorum Venetorum nomina, qui huic Pauperum Societati ab initio ſe adjunxerunt, tum Nicolài Marcelli Venetiarum Ducis pietatem, qui per pauperum Jeſuatorum manus in ſolemni ſuæ electionis die Ducali Biretto expetiit operiri.

Queſti ſono li povari Veneziani, che ſono intrati nella noſtra Compagnia nel luogo di Vineſia.	*Hi ſunt pauperes Veneti, qui noſtræ ſocietati nomen dederunt in loco Venetiarum.*
„ El primo fu Zacaria di Antelmi 1394.	Primus fuit Zacharias de Antelmis 1394.
„ Antonio Coraro che fu poi Cardinale 1394.	Antonius Corrarius poſtea Cardinalis 1394.
„ Antonio Bembo 1395.	Antonius Bembus 1395.

Il Pa-

„ El Padre Antonio 1397.
„ Gianin Querini 1400.
„ Bartholameo Michele 1404.
„ Nicolò Zen 1440. & altri
„ ſenza cognome alcuno.
„ Ivi memoria come l'a. 1473.
„ adi 13. del Meſe d'Ago-
„ ſto fu eleto Duſe, & Prin-
„ cipe di Vineſia il Cla-
„ riſſimo Nicolò Marcello,
„ & nella ſua creazione quan-
„ do li fu preſentato la ba-
„ retta, ſi poſe divotamen-
„ te in ginocchione, & vol-
„ ſe che due de noſtri Fra-
„ ti Geſuati li metteſſero la
„ Baretta in capo, & furo-
„ no il Padre Frà Gerola-
„ mo Scardena, & il Padre
„ Frà Zanetto da Verona.
„ Queſto Prencipe fu molto
„ favorevole alla noſtra Re-
„ ligione, e fecegli de mol-
„ ti beni e fabriche.

Pater Antonius 1397.
Joanninus Quirinus 1400.
Bartholomæus Michael 1404.
Nicolaus Zeno 1440. & alii
absque agnomine.
Notandum eſt, quod anno 1473.
die 13. Menſis Auguſti ele-
ctus fuit Dux & Princeps
Venetiarum Clariſſimus Ni-
colaus Marcello. Hic in ſua
creatione (*verius coronatio-
ne*) cum ei Ducale Bire-
tum oblatum fuit, pie ge-
nua flexit, atque a duobus
ex noſtris Jeſuatis Fratribus
Hieronymo Scardena, & Jo.
Veronenſi Biretum ſibi im-
poni juſſit. Hic princeps Re-
ligioni noſtræ propitius mul-
ta ipſi præſertim in ædificiis
beneficia contulit.

Antonius Corrarius, quem Jeſuatorum Ordini nomen dediſſe teſtatur etiam Paulus Morigia Mediolanenſis in opere, quod inſcripſit *Paradiſo de Geſuati* l. 2. cap. 58. profecto breviſſimo incolatu in ea religione permanſit, neque in ea regularia vota emiſiſſe dicendum eſt, ſiquidem anno MCCCXCVI. Sacerdos, & Eccleſiæ Coronenſis Decanus inſtitutus fuit, nec multo poſt una cum Gabriele Condulmerio Congregationis Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga initia diſpoſuit.

Antonius vero Bembus, & alter pari nomine Antonius Venetus poſt religioſæ vitæ converſationem in omni virtutum genere pie devoteque traductam evolarunt ad Cœlum, quos titulo Beatorum illuſtres commemorant Paulus Morigia in enuntiati operis l. 2. cap. 48. & 50. Joſeph Bonafides in libro, cui titulus *Colombino di Gesù*, Joannes Theupulus in Indi-

culo

culo Sanctorum Beatorumque Venetorum, & plures alii, ipſorumque imagines ad Eccleſiam S. Mariæ ab Horto in Nativitatis Dominicæ Sacello nymbo circumornatæ viſuntur.

Cœnobium illuſtravit etiam B. Joannes Toſſinianenſis ex Jeſuatorum familia ad Ferrarienſes infulas deinde ſublimatus; in hoc enim loco adhuc privatæ ædis formam habente religioſæ vitæ tyrocinia poſuit, perque plures annos laudabiliter converſatus eſt, Divo Laurentio Juſtiniano ob egregiam pietatem, & præclara virtutum merita apprime charus.

Usque ad annum MDCLXVIII. Jeſuatorum Congregatio in Monaſterii poſſeſſione perduravit, eo etenim anno ad finem vergente die ſexta Decembris Clemens IX. Pont. Max. Jeſuatorum Ordine, & Congregationibus Sancti Georgii in Alga, & S. Hieronymi de Feſulis perpetuo extinctis, (A) omnes poſtridie ipſorum Conventus, ac redditus in Veneta Ditione poſitos, in ſubſidium aſperrimi belli, quod pro tuendo Cretæ Regno Veneta Reſpublica contra Turcas fortiter gerebat, Apoſtolico Diplomate deſtinavit. (B)

Omnibus autem, quæ per Pontificis Decretum decernebantur, rite diſpoſitis, Anno ſubſequenti MDCLXX. die I. Aprilis Cœnobium Jeſuatorum habitatoribus vacuum cum Eccleſia, ejusque ſacra ſupellectili oneroſo emptionis titulo, in jus tranſiit Fratrum Ordinis Prædicatorum, Congregationis Venetæ B. Jacobi Salomonii nuncupatæ, qui (ſoluto per Antonium a [illegible] Catharina Vicarium Generalem Congregationis ſtatuto pre[illegible]) illud a Stephano Roſata J. U. D. Prothonotario Apoſto[illegible], & Pontificii Legati Cancellario per traditionis acta rec[illegible]runt diebus 22. & 23. menſis Maii Anni MDCLXIX. Indic[illegible] VII.; cujus quidem traditionis publicas tabulas eccleſiaſticæ, [illegible] ſæcularis poteſtatis authoritate roboratas, Anno reparatæ [illegible]tis MDCLXX. Indict. VIII. Menſis Julii die XV. ſolem[illegible]iter [illegible]inibus appoſitis firmarunt Laurentius Trottus Archie[illegible]copu[illegible] Carthaginenſis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, & A[illegible] Foſcarenus Procurator, qui etiam Andreæ Piſani Collegæ ſui nomine illis ſubſcripſit.

In recepti Cœnobii poſſeſſionem eodem anno, die XIV. Julii inducti Religioſi Viri, cum Templum, quod veterum habitatorum ſimplicitati ſatis opportunum pridem erat, at minus aptum evadebat ſolemnioribus ſacris, aſſiduis concioni-

„ El Padre Antonio 1397.
„ Gianin Querini 1400.
„ Bartholameo Michele 1404.
„ Nicolò Zen 1440. & altri
„ ſenza cognome alcuno.
„ Ivi memoria come l'a. 1473.
„ adi 13. del Meſe d'Agoſto fu eleto Duſe, & Principe di Vineſia il Clariſſimo Nicolò Marcello, & nella ſua creazione quando li fu preſentato la baretta, ſi poſe divotamente in ginocchione, & volſe che due de noſtri Frati Geſuati li metteſſero la Baretta in capo, & furono il Padre Frà Gerolamo Scardena, & il Padre Frà Zanetto da Verona. Queſto Prencipe fu molto favorevole alla noſtra Religione, e fecegli de molti beni e fabriche.

Pater Antonius 1397.
Joanninus Quirinus 1400.
Bartholomæus Michael 1404.
Nicolaus Zeno 1440. & alii
absque agnomine.
Notandum eſt, quod anno 1473. die 13. Menſis Auguſti electus fuit Dux & Princeps Venetiarum Clariſſimus Nicolaus Marcello. Hic in ſua creatione (*verius coronatione*) cum ei Ducale Biretum oblatum fuit, pie genua flexit, atque a duobus ex noſtris Jeſuatis Fratribus Hieronymo Scardena, & Jo. Veronenſi Biretum ſibi imponi juſſit. Hic princeps Religioni noſtræ propitius multa ipſi præſertim in ædificiis beneficia contulit.

Antonius Corrarius, quem Jeſuatorum Ordini nomen dediſſe teſtatur etiam Paulus Morigia Mediolanenſis in opere, quod inſcripſit *Paradiſo de Geſuati* l. 2. cap. 58. profecto breviſſimo incolatu in ea religione permanſit, neque in ea regularia vota emiſiſſe dicendum eſt, ſiquidem anno MCCCXCVI. Sacerdos, & Eccleſiæ Coronenſis Decanus inſtitutus fuit, nec multo poſt una cum Gabriele Condulmerio Congregationis Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga initia diſpoſuit.

Antonius vero Bembus, & alter pari nomine Antonius Venetus poſt religioſæ vitæ converſationem in omni virtutum genere pie devoteque traductam evolarunt ad Cœlum, quos titulo Beatorum illuſtres commemorant Paulus Morigia in enuntiati operis l. 2. cap. 48. & 50. Joſeph Bonafides in libro, cui titulus *Colombino di Gesù*, Joannes Theupulus in Indiculo

culo Sanctorum Beatorumque Venetorum, & plures alii, ipſorumque imagines ad Eccleſiam S. Mariæ ab Horto in Nativitatis Dominicæ Sacello nymbo circumornatæ viſuntur.

Cœnobium illuſtravit etiam B. Joannes Toſſinianenſis ex Jeſuatorum familia ad Ferrarienſes infulas deinde ſublimatus; in hoc enim loco adhuc privatæ ædis formam habente religioſæ vitæ tyrocinia poſuit, perque plures annos laudabiliter converſatus eſt, Divo Laurentio Juſtiniano ob egregiam pietatem, & præclara virtutum merita apprime charus.

Usque ad annum MDCLXVIII. Jeſuatorum Congregatio in Monaſterii poſſeſſione perduravit, eo etenim anno ad finem vergente die ſexta Decembris Clemens IX. Pont. Max. Jeſuatorum Ordine, & Congregationibus Sancti Georgii in Alga, & S. Hieronymi de Feſulis perpetuo extinctis, (A) omnes poſtridie ipſorum Conventus, ac redditus in Veneta Ditione poſitos, in ſubſidium aſperrimi belli, quod pro tuendo Cretæ Regno Veneta Reſpublica contra Turcas fortiter gerebat, Apoſtolico Diplomate deſtinavit. (B)

Omnibus autem, quæ per Pontificis Decretum decernebantur, rite diſpoſitis, Anno ſubſequenti MDCLXX. die 1. Aprilis Cœnobium Jeſuatorum habitatoribus vacuum cum Eccleſia, ejusque ſacra ſupellectili oneroſo emptionis titulo, in jus tranſiit Fratrum Ordinis Prædicatorum, Congregationis Venetæ B. Jacobi Salomonii nuncupatæ, qui (ſoluto per Antonium a S. Catharina Vicarium Generalem Congregationis ſtatuto pretio) illud a Stephano Roſata J. U. D. Prothonotario Apoſtolico, & Pontificii Legati Cancellario per traditionis acta receperunt diebus 22. & 23. menſis Maii Anni MDCLXIX. Indict. VII; cujus quidem traditionis publicas tabulas eccleſiaſticæ, & ſæcularis poteſtatis authoritate roboratas, Anno reparatæ ſalutis MDCLXX. Indict. VIII. Menſis Julii die XV. ſolemniter nominibus appoſitis firmarunt Laurentius Trottus Archiepiſcopus Carthaginenſis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, & Aloyſius Foſcarenus Procurator, qui etiam Andreæ Piſani Collegæ ſui nomine illis ſubſcripſit.

In recepti Cœnobii poſſeſſionem eodem anno, die XIV. Julii inducti Religioſi Viri, cum Templum, quod veterum habitatorum ſimplicitati ſatis opportunum pridem erat, at minus aptum evadebat ſolemnioribus ſacris, aſſiduis concioni-

bus, aliisque præclaris religionis officiis, & frequentiori populi concurſui, de nova ſacra æde extruenda pio, & ſollicito ſtudio meditari cœperunt. Itaque Omnipotentis Dei, cujus gloriam exquirebant, miſeratione confiſi magnificum opus aggrediuntur, cujus primum lapidem rite benedictum die XVII. Maii reparatæ ſalutis anni MDCCXXVI. Marcus Gradonico Patriarcha Venetiarum in fundamentis repoſuit adjecto numiſmate, quod Benedicti XIII. Pontif. Max., Aloyſii Mocenico Ducis Venetiarum, & Marci Gradonici Veneti Patriarchæ gentilitia ſtemmata, atque ſacra ipſius Congregationis inſignia ex una ſui facie exhibet, ex altera vero ſolemnitatis memoriam his verbis recenſet:

D. O. M.

Templi quod in honorem Deiparæ Virgini,
Titulo Roſarii Fratres Congr. B. Jacobi Salamonii P. moliri
ex piorum munificentia deſignarunt
Marcus Gradonicus Patriarcha Venetiarum
primum lapidem P. Anno Christi MDCCXXVI.

Religioſi cœtus ſpes, quæ divino innitebatur auxilio ex irrito non ceſſit, ſiquidem decennii ſpatio piorum eleemoſynis liberaliter erogatis magnifici Templi ædificium, ad quod ſeu ſcalpris, ſeu penicillis exornandum præclariores artifices inſudaverant, ad ſui perfectionem deducitur, Anno Nat. Di MDCCXXXVI. quo anno feſtiva pompa in eo cœperunt Divina Officia celebrari, ſacræ ſolemnitatis lætitia per tridui ſpatium cum totius Urbis concurſu continuata, in cujus quidem Templi marmorea facie novum titulum quo inſignitur, aurea oſtendit epigraphe Lidio marmori inciſa.

„ In honorem Virginis Deiparæ Titulo Roſarii Piorum ære
„ collocato. An. Di. 1736.

Ad Aram Crucifixi, cujus tabulam incomparabili opere expreſſit Tinctoretus, Venerabilis Dominicæ Coronæ Spina, atque vivificæ Crucis portio decenter aſſervantur; ad alia vero Altaria Corpus S. Marianni M. è Romanis cryptis eductum, atque plures Sanctorum Reliquiæ marmoreis clauduntur loculis. Has

inter memorandum præcipue venit os integrum S. Joannis de Deo, quod a Summo Pontifice Clemente X. dono accepit Jo. Baptiſta Nani Eques, dum Venetæ Reipublicæ nomine apud Sedem Apoſtolicam Legatum ageret, atque per ipſum Eccleſiæ huic ſacro munere derivavit.

In veteri Templo tumulatæ quieſcunt duæ ex Tertio Prædicatorum Inſtituto præclariſſimæ Virgines, quæ ſub probata piiſſimi viri Fr. Reginaldi Mariæ Panighetti ſupralaudatæ Congregationis olim Vicarii Generalis directione, ita in virtutibus, & Chriſtiana virtute proceſſerunt, ut a Domino Divinis chariſmatibus affluenter meruerint locupletari, quod fuſius ex ipſarum vitis publica luce donatis innoteſcit. Hæ ſunt epigraphes ipſarum ſepulcris ſuperimpoſitæ:

„ V. Kal. Novembris MDCCXII. Non eſt mortua, ſed dormit Soror Maria Catharina a Voluntate Dei Tertiaria Ord. Prædicat. annor. 71.

Fialettæ Fialetti Virgini pietate illuſtri Hunc Tumulum Franciſca & Eliſabeth Sorores P. MDCCXVII.

Noviſſime in hoc Templo, ſepulcrali quieti (ſicuti extremis tabulis juſſerat) traditus fuit Clar. Vir. Apoſtolus Zeno, cujus nomen eſt pro laude, qui Bibliothecam ſuam ſelectis codicibus undique exquiſitis abunde refertam, vivens, (quod teſtamento pridem diſpoſuerat) Monaſterio huic perpetuo aſſervandam, & poſſidendam libentiſſime tradidit, eo potiſſimum intuitu, ut ſpiritus ab omni terreno impedimento ſolutus liberior ad Coelos evolaret. Funus ejus in die depoſitionis latina concione proſequutus eſt Hyacinthus Menegatus Ordinis Prædicatorum in hoc Conventu Philoſophiæ Lector, nec multo poſt Patres Conventus, in grati animi teſtimonium litato prius ſolemni ritu pro æterna benefici viri pace incruentæ hoſtiæ ſacrificio, magnificas ejuſdem exequias die XXVII. Novembris peregerunt, ejuſque tum virtutum, tum doctrinæ Panegyrim Italico ſermone contexuit Antoninus Valſecchius ejuſdem Ordinis, & Monaſterii Sacerdos. Utraque elogia deinde Venetiis typis apud Simonem Occhi edita fuerunt hoc ipſo anno MDCCL.

Tumulo inciſa fuit hæc epigraphe:

„ Apoſtolo Zeno Civi Veneto Imp. Caroli VI. Aug. & Ma-
„ riæ Thereſiæ Caroli F. Auguſtæ Hiſtorico, & Poetæ Reli-

„ gione morum ſuavitate eruditione multiplici præſtantiſſimo
„ Fratres Prædicatores Benemerenti P.

Vixit An. LXXXI. menſ. XI. Obiit III. Id. Nov. MDCCL.

Jam ſuperius dictum eſt Religioſos viros è Congregatione Obſervantiæ O. P. aſſumptos Monaſterii poſſeſſionem iniiſſe, die XIV. Julii anno MDCLXIX. Iis primus omnium Rector datus eſt Petrus Martyr Degna, in officii adminiſtrationem inductus die XX. Septembris ejusdem anni.

1669 Petrus Martyr Degna, qui etiam fuit Primus Vicarius Generalis Congregationis Obſervantiæ ſub titulo B. Jacobi Salomonii erectæ Anno 1662. Iterum electus fuit Rector Anno 1675.

1671 Hieronymus agnomine a Caſtro Franco; moribus, & pietate illuſtris, ac Fundator Cœnobii in oppido S. Danielis in Provincia Forojulienſi.

1673 Antonius a S. Catharina.

1676 Marcus Antonius Riccius.

1679 Thomas Maria a Romano.

1681 Leonardus Pereſius.

1683 Angelus Fantinus.

1685 Thomas Antonius Maſſajus.

1687 Salvator Lombardus.

1688 Bonifatius Maria de Grandis Ordini Prædicatorum nomen dedit in Cœnobio SS. Joannis & Pauli, mox rigidiorem obſervantiam amplexus eſt in æde S. Secundi, Pietate, Doctrina, atque Theologicis operibus editis clarus.

1690 Vincentius Buco.

1691 Hyacinthus Bigontina. Iterum 1705.

1693 Joannes Baptiſta Zanchius.

1695 Remigius Givanus.

1696 Leonardus Raguſinus.

1697 Reginaldus Maria Panighettus virtutis ſplendore, & morum ſuavitate conſpicuus. Hic *Veronæ a Parentibus Judaica ſuperſtitione infectis editus eſt*, ſed triennis a matre Divino lumine illuſtrata ad ſalutare regenerationis lavacrum adductus, cum in pietate, & doctrina plurimum profeciſſet, Ordinem Prædicatorum in Congregatione Obſervantiæ Veneta profeſſus eſt. Sanctimo-

ſtimonia, & Theologica eruditione illuſtris Novitior. educationi præpoſitus fuit. Extraneorum neceſſitatibus urgente charitate deſerviens cultiores quasdam animas ita ad Chriſtianam perfectionem manuduxit, ut earum aliquæ divinis charismatibus locupletes cum magna ſanctitatis opinione deceſſerint. Quamvis autem hujuſcemodi curis indeſinenter occupatus ſpiritus tranquillitatem retinere, interiusque cum Deo converſari aſſueviſſet, attamen id unum præoptabat, ut aliquandiu ſibi uni in ſolitudine vacare liceret; quod quidem a Divina largitate aſſecutus eſt: uno etenim, & fere altero ante obitum anno, licet integra mente, viribus tamen corporis deſtitutus cellæ immorari neceſſe habuit. Itaque morbi incommodis patientiſſime toleratis, inter continuata Theologicarum virtutum exercitia ſpiritum Deo reddidit, biduo tantum annum octogeſimum ſextum prætergreſſus. Iterum electus Rector 1711.

1699 Marcus Antonius Balthaſarius.

1701 Georgius Modinò. Iterum 1709.

1703 Joannes Albertus Tabacco. Iterum 1707. 1715. 1721. Ob. in actuali Cœnobii regimine. Vir eximiæ prudentiæ, cui Antoninus Cloche totius O. P. Gen. Mag. commendavit miſſiones Armeniæ, atque Raguſinam Congregationem; quæ tamen onera non potuit in ſe ſuſcipere, quippe graviſſimis aliis negotiis diſtentus.

1713 Dominicus Andreuccius. Morum pietate, & litterarum peritia clariſſimus. Iterum 1723. 1725. 1731. 1743. Ob. 1747.

1717 Candidus Roſa Marinonius. Iterum 1719. 1733. Ob. 1734.

1722 Joſeph Tabacco. Iterum 1727.

1729 Joannes Jacobus Poli.

1735 Fabianus Marinonius. Iterum 1739. 1748.

1737 Bernardus Maria de Rubeis doctrina, & eruditione, ut ipſius opera typis vulgata teſtantur, Clariſſimus.

1741 Fulgentius Cuniliatus.

1745 Jacobus Rati.

1747 Hieronymus Ferrarius.

1749 Joannes Baptiſta Contarenus.

Clemens IX. ſupprimit Congregationes Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum, & S. Hieronymi de Fæſulis.

A 1668. 6. Decembris.

Ex exemplo Romæ impreſſo.

Clemens Papa IX. Ad Perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex agri dominici curæ more ſeduli patris-familias jugiter invigilans, ad evellendas inde religioſorum Ordinum, atque Congregationum plantas, quæ deficiente primævo religioſitatis vigore, atque ſpiritu, nullam ſeu valdè modicam in Eccleſia Dei utilitatem præſtant, nonnunquam adducitur, ſicut publico ejuſdem Eccleſiæ bono conducibile in Domino arbitratur. Hac conſideratione, aliiſque graviſſimis, & rationabilibus cauſis nobis notis adducti, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejuſdem Sancti Hieronymi de Fæſulis ſub regula Sancti Auguſtini una cum omnibus earum reſpectivè dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, eſſentia, ac denominatione, tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus. Ac univerſa earumdem Congregationum ſic ſuppreſſarum reſpectivè bona mobilia, & immobilia, tam ſacra, quàm profana, Conventus, Collegia, Monaſteria, domos, vineas, prædia, canones, reſponſiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum exiſtant, noſtræ & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni in uſus, & opera pia per eos, quibus id à nobis & Sede præfata commiſſum fuerit, convertenda reſervamus. Præterea Canonicis, & fratribus dictarum Congregationum ſuppreſſarum, qui nunc vivunt, & in eiſdem Congregationibus reſpectivè profeſſionem emiſerunt, facultatem tranſeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in ſeculo in habitu Clerici ſecularis ſub juriſdictione, & obedientia ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum proviſione ipſorum ſingulis pro alimentis, Clericis quidem in ſumma quadraginta ſcutorum monetæ Romanæ, Laicis verò ſeu Converſis in ſumma viginti ſcutorum parium Annis ſingulis donec vixerint, ſeu aliunde ſufficienter eis proviſum fuerit, ſuper certis bonis, aut reditibus Congregationum ſuppreſſarum hujuſmodi reſpectivè per eoſdem Ordinarios aſſignanda, tribuimus, & impartimur. Poſtremò ne Eccleſiæ earumdem Congregationum ſuppreſſarum debito deſtituantur ſervitio, ſed ſartæ tectæ cuſtodiantur; prædictis Ordinariis locorum, in quibus Eccleſiæ ipſæ ſunt ſitæ, per præſentes committimus, & mandamus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam ſuper re certa de bonis prædictis aſſignanda, pro quos Miſſis, & aliis oneribus ſatisfiat, ac ipſis Eccleſiis debitus cultus, & veneratio conſervetur; utque dicti Ordinarii inventarium tam ſacræ, quam profanæ ſuppellectilis ad Congregationes ſuppreſſas hujuſmodi reſpectivè ſpectantis accuratè conficiant, ac provideant ne à quoquam occultari, occupari, aut indè amoveri ullatenus poſſit, niſi, & donec à nobis ſeu Sede prædicta aliter providcatur. Decernentes eaſdem præſentes litteras, etiam ex eo quod Superiores, & alii Canonici, & Fratres,

Fratres, ſeu Religioſi Congregationum ſuppreſſarum præfatarum, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cauſæ propter quas eædem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut juſtificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quod in iiſdem præmiſſis ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda ſervata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, etiam in Corpore Juris clauſo, ſive etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, & quovis alio prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, aut impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus ſit de jure quæſito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in ſuppreſſionibus perpetuis, illiſque committendis ad partes vocatis quorum intereſt, & aliis noſtris & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon Congregationum ſuppreſſarum prædictarum, earumque reſpectivè Conventuum, Collegiorum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Congregationibus, illarumque Superioribus, Canonicis, Fratribus, Religioſis, & perſonis quibuslibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma adhoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, inſertis, & ſervatis reſpectivè habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica digni-

dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Decembris MDCLXVIII. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

J. G. Sluſius.

Clemens IX. Laurentio Trotti Archiepiſcopo Carthaginenſi Legato Apoſtolico mandat, ut Bona Congregationis S. Georgii in Alga aliarumque Congregationum in ſubſidium belli Cretici applicentur.

B 1668. 7. Decembris.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ ab Horto.

CLemens Papa IX. Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum nos graviſſimis, & rationabilibus cauſis Nobis adductis Congregationes Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum S. Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Feſulis ſub Regula S. Auguſtini, una cum omnibus eorum reſpective dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, omnique Conventualitate, Collegialitate, Titulo, Eſſentia, & denominatione perpetuò extinxerimus, & ſuppreſſerimus; ac univerſa earumdem Congregationum ſic ſuppreſſarum reſpective bona, mobilia, & immobilia, tam ſacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monaſteria, Domus, Vineas, prædia, canones, reſponſiones, fructus, introitus, & jura quæcumque ubicumque locorum exiſtant noſtræ Sedis diſpoſitioni in uſus & opera pia per eos, quibus id à Nobis, & Sede prædicta commiſſum foret convertenda reſervaverimus, præterea Canonicis & Fratribus dictarum Congregationum ſuppreſſarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus reſpective profeſſionem emiſerunt, facultatem tranſeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sancta Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in ſæculo in Habitu Clericali ſeculari ſub juriſdictione & obedientia Ordinariorum, ubi eos morari contigerit, cum proviſione eorum ſingulis pro alimentis, Clericis quidem in ſumma quadraginta Scutorum Monetæ Romanæ, Laicis vero ſeu Converſis in ſumma viginti Scutorum parium, annis ſingulis donec vixerint, ſeu aliunde ſufficienter eis proviſum fuerit ſuper certis bonis, aut redditibus Congregationum ſuppreſſarum hujusmodi reſpective per eoſdem Ordinarios aſſignanda, tribuerimus, & impertiti fuerimus, ac demum ne Eccleſiæ earumdem Congregationum ſuppreſſarum debito deſtituantur ſervitio, ſed ſartæ & tectæ cuſtodiantur prædictis Ordinariis locorum in quibus Eccleſiæ ipſæ ſunt ſitæ commiſerimus ac mandaverimus ut Capellanos deputent cum competenti mercede etiam ſuper re certa de bonis prædictis aſſignanda, per quos Miſſis & aliis oneribus ſatisfiat ac ipſis Eccleſiis debitus cultus & veneratio conſervetur; utque dicti Ordinarii inventarium tam ſacræ quam profanæ ſuppellectilis ad Congregationes ſuppreſſas hujusmodi reſpective ſpectantis, accurate conficiant, ac provideant, ne a quoquam occultari occupari, aut inde amoveri ullatenus poſſit niſi & donec à Nobis & Sede prædicta aliter provideatur, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die VI. currentis Menſis De-

ſis Decembris expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro plene ac ſufficienter expreſſo ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus uberius continetur; & ſicut pro parte Dilectorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum nobis nuper expoſitum fuit ipſi atrociſſimum ſibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a vigintitribus Annis pro ſuarum Ditionum tuitione ſuſtineant eorumdemque Turcarum Civitatem Candiæ jamdiù vehementi obſidione prementium impetus pro viribus propulſare ſatagant, ac ejuſdem Reipublicæ facultates tot ſumptibus in cauſa dicti Belli factis adeo attritæ de præſenti reperiantur, ut bello hujuſmodi imposterum ſuſtinendo impares ſint manifeſtumque proinde inſtet periculum amiſſionis dictæ Civitatis totiusque Regni Cretæ niſi Reſpublica ipſa præſentaneo aliunde auxilio ſublevetur; Hinc eſt, quod Nos qui ab ipſo Pontificatus primordio omnia divinæ humanæque opis præſidia atque auxilia in ſubventionem rei Chriſtianæ contra infenſiſſimos illius hoſtes aſſiduis Pontificiis zeli ſtudiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non deſtitimus Reipublicæ prædictæ in præſentibus rerum anguſtiis, quantum nobis ex alto conceditur, ſubvenire; dictosque Ducem & Rempublicam pro peculiari paternæ noſtræ in eos charitatis affectu ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, eorum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia & ſingula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur, ſuppreſſarum bona exceptis ſacris in ſtatu dictæ Reipublicæ Venetorum exiſtentia, in ſubſidium atque ſubventionem Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ prædictorum, ac expeditionis contra Turcas ſupradictos Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò applicamus. Ac tibi per easdem præſentes committimus ac mandamus, ut per te ipſum vel commiſſarios a te ſpecialiter deputandos bona hujusmodi quam primum Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis locis piis dumtaxat, ita ut Eccleſiaſticæ jurisdictioni ſemper ſubjaceant & ſubjecta atque Eccleſiaſtica perpetuo remaneant & ad Eccleſias Monaſteria, & loca pia hujusmodi, illa reſpective empturas, & emptura cum omnibus, & ſingulis cum quibus ad Congregationes ut præmittitur ſuppreſſas ante ſuppreſſionem hujusmodi ſpectabant, & ab illis poſſidebantur, pariformiter perpetuo ſpectare & ab illis poſſideri, & retineri debeant, auctoritate noſtra Apoſtolica vendas, detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis, nunc viventium Canonicorum, & Fratrum ſeu Religioſorum Congregationum ſuppreſſarum prædictarum juxta ſupradictas noſtras litteras quam pro ſervitio, & manutentione Eccleſiarum earumdem Congregationum, atque onerum illis reſpective incumbentium ſupportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes ædem ſacram, vel perſonam fide & facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi, ſeu amoveri minime poſſit, niſi cum mandatis propria tua manu ſubſcriptis cum expreſſione cauſæ & uſus in quem pecunia erit eroganda: qui quidem uſus non ſit aliud, quam pro ſubſidio, & ſubventione, ac expedictione antedictis. Ut autem Eccleſiis Monaſteriis, & aliis locis piis prædictis pecuniæ ad emenda bona hujusmodi neceſſariæ ſuppetant Rectoribus, Curatoribus, adminiſtratoribus, Economis ac Superioribus ſeu Procuratoribus earumdem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum piorum reſpective vel alias ad quos ea res ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, cenſus & alias præſtationes, ſeu jura omnia ad ipſas Eccleſias, Monaſteria, & loca pia reſpective ſpectantes & ſpectantia, qui tamen, & quæ vel ex nat ura contra-

ctus vel ex conventione in ipſis contractibus appoſita ſit redimibiles vel redimibilia quantum opus fuerit, meliori qua fieri poterit conditione, vendendi, & alienandi: vel pecunia ad cenſum ſeu aliud licitum interuſurium vel intereſſe ſuper Eccleſiarum Monaſteriorum, & locorum piorum prædictorum reſpective bonis capiendi, & pecunias inde proventuras in emptionem bonorum ſtabilium, eis reſpective per Te ſeu commiſſarios tuos ut præmittitur vendendorum, & non in alios uſus unico contextu integre convertendi, & erogandi, nec non Inſtrumenta quæcumque cum obligationibus, clauſulis, & cautelis in ſimilibus apponi ſolitis ſeu aliis neceſſariis, & opportunis celebrandi ſeu celebrari aliaque deſuper neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi quantumcumque neceſſariam atque opportunam facultatem & licentiam dicta auctoritate concedas & impartiaris. Decernentes eaſdem preſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere, & fore, neque ſub quibuſvis ſimilium applicationum revocationibus ſuſpenſionibus limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus unquam comprehendi, aut comprehenſas cenſeri: ſed ſemper ab illis exceptas & quoties ille emanabunt toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenarie reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data per prædictos Ducem & Rempublicam quandocumque eligenda conceſſas intelligi ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & eiſdem Duci, & Reipublicæ ac aliis ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos & Sedis Apoſtolicæ nuncios alioſve quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere & irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtante quatenus opus ſit de jure quæſito non tollendo ac de exprimendo vero valore in ſimilibus applicationibus, illiſque committendis ad partes vocatis, quorum intereſt, aliiſque noſtris ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis nec non fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & illarum alienationibus committendis: aliiſque Apoſtolicis ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, editis Generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & Ordinationibus, ac omnibus & ſingulis illis, quæ in prædictis litteris volumus non obſtare nec non Eccleſiarum Monaſteriorum, & locorum piorum hujuſmodi etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteris contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die VIII. Decembris MDCLXVIII. Pontificatus Noſtri Anno II.

DE

DE
ECCLESIA PAROCHIALI SS. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM.

EA, quæ ex antiquis MS. rerum Venetarum Chronologis eruta, affert Tom. V. Ital. Sacr. col. 1211. Venet. Edit. adnotator Ughelli, ſatis innuunt Eccleſiam Sanctorum Gervaſii & Protaſii nomine dedicatam a primis conditæ Urbis temporibus fuiſſe extructam, ſiquidem initio ſæculi XI. tanta vetuſtatis damna paſſa fuerat, ut ad ipſam reparandam anno æræ vulgaris MXXVIII. Othone Urſeolo Venetiarum Duce, duæ ex Nobilium Ordine illuſtres familiæ Barbadica, & Caravella operam, & opes contulerint. *Anno 1028. Familiæ Barbadica, & Caravella S. Gervaſii Templum reſtaurarunt*. Cum autem memorabili incendio, quod anno Chriſti MCV. contigit, ſimul cum Parœcia conflagraſſet, nova iterum molitione reſtituitur Templum amplum, notabile, elegans, ita ut omnes (hæc Sanſovinus) ſui temporis Eccleſias, (una excepta S. Petri Caſtellana) amplitudine ſuperaret, ſeu quod in ea Urbis regione dignior cenſeretur, ſeu quod populis

pulis ex adverſa Canalis parte degentibus eccleſiaſtica Sacramenta miniſtraret, quamdam enim Cathedralis Baſilicæ ſpeciem referebat. Sanſovino concordant ea quæ affert Sabellicus de ſitu Urbis regione prima: *Recta ad Gervaſium ducit via, Templum vetuſtiſſimum cum porticu, quæ virenti areæ incubat teſtudo ad aram maximam Græcanici operis*. Quinto a reædificatione ſæculo nondum elapſo Templum annorum vetuſtate vitiatum anno MDLXXXIII. die XII. Septembris repente noctu corruit, de qua ruina ut celeri opere emergeret, Dominicus Leonardi Plebanus manus confeſtim admovit. Corrogatis itaque ex omni parte fidelium eleemoſynis plurima ad reædificationem neceſſaria attento adeo ſtudio diſpoſita ſunt, ut anno inſequenti die XXVI. Julii primus lapis rite benedictus in fundamentis injectus fuerit, brevique ſeptennii ſpatio amplior, atque elegantior Eccleſia ad Andreæ Palladii archetypum inde prodierit. Reædificationis tempus, & anniverſariam conſecrationis diem ſignat epigraphe lapidi inſculpta.

D. O. M.

„ Templum quod vetuſtate peſſum ruit Anno MDLXXXIII.
„ Paſchale Ciconia Duce, Laurentio Priolo Patriarcha, Do-
„ minico de Leonardis Plebano in hanc molem ſurrexit An-
„ no MDXC.

D. O. M.

„ Sanctis Martyribus Gervaſio, Protaſio & Chryſogono di-
„ catum. Joannes de Rubeis Epiſcopus Auxerenſis conſecra-
„ vit. Anno Domini MDLVII. XI. Kal. Auguſti.

Os in hac Eccleſia aſſervatur S. Chryſogoni Martyris, cujus venerandum corpus, ut ex traditione acceptum eſt, Jadra delatum in hac eccleſia, (cujus Contitularis Patronus ideo electus fuit) diu requievit, cum vero inter collapſæ Eccleſiæ ruinas confuſo ordine res ageretur, eam nactus occaſionem quidam Jadrenſis Civis Venetiis eo tempore degens noctu clam D. Chryſogoni corpus, inter acervos lapidum deliteſcens collegit, Jadramque retulit, ubi adhuc maxima colitur religione.

Viget in hac Eccleſia ſummopere cultus Divi Franciſci de Paula, cujus ara, & imago prima omnium noſcitur, quæ Venetiis Sancto Thaumaturgo dicatæ fuerunt.

Ab ipſis fere ſuæ ædificationis exordiis, ut ex authentico docu-

documento conſtat (A) duobus Eccleſiaſticis *Dominis* raro, & fortaſſe unico exemplo ſubjecta fuit, in quo geminatæ obedientiæ ſtatu, an usque ad erectionem Veneti Patriarchatus perſeveraverit, incompertum.

Chriſtum Dominum in ultima Cœna diſcumbentem ad dexteram aræ, ubi Sanctiſſima Euchariſtia aſſervatur, ad ſiniſtram vero ipſum Redemptorem Apoſtolorum pedes lavantem mire expreſſit Tinctoretus, qui & Sanctum Antonium Abbatem in ejus aræ tabula depinxit. Deiparam Virginem ab Archangelo annuntiatam ad ejus aram repræſentavit Palma, cujus quoque opus ſunt geminæ tabulæ Chriſtum Dominum mortuum, & Beatiſſimam Virginem Cœlituum obſequiis circumdatam exhibentes. Harum ultima in Sacello collocata eſt, impenſis Dominici Leonis, Beatæ Virgini dedicato. Hoc notat appoſita epigraphe.

„ Deo Opt. Max. & Deiparæ Virgini Sacellum, atque A-
„ ram cum flamine, ubi ſalutaris Hoſtia pro animæ ſuæ, at-
„ que uxoris, & ſuorum ſalute immoletur, Dominicus Leo,
„ Aloiſii F. Senator Venetus perpetuo dicavit MDC.

Sacellum Crucifixi Domini aramque marmoream erigi juſſit Joannes Marcus Molino, cujus ad latera aræ affixa eſt memoria.

„ Joannes Marcus Molinus, Julii F. Sacellum hoc, atque
„ Aram cum Flamine ad laudem, & Gloriam Omnipotentis
„ Dei, Sanctiſſimæque ejus Genitricis Mariæ ſemper Virginis
„ pro animæ ſuæ, & uxoris cariſſimæ ſuorumque ſalute eri-
„ gendum C. 1599.

Effigies quoque S. Danielis Molini Abbatis Ciſtercienſis viſitur in hoc Sacello depicta, de cujus aſſerta ſanctitate alibi diximus Operis hujus Tom. IV. pag. 164.

In veteris Eccleſiæ porticu conſpicua olim erat, ut aſſerit Sanſovinus, memoria Antonii Milledonne xvirum a Secretis eximiæ prudentiæ, & ſingularis virtutis, cujus modo nomen tantummodo legitur in ſepulcrali inſcriptione.

„ Antonius Milledonius xvirorum a ſecretis hoc Avorum
„ ſepulcrum vetuſtate diruptum inſtaurandum curavit Anno
„ MCLXV.

Ple-

Plebani Eccleſiæ Parochialis SS. Gervaſii & Protaſii Martyrum.

Joannes Firmarius Diac. Pleb. ſub Duce Dominico Flabianico, qui Rempublicam rexit, ab anno 1032. ad annum 1043. Ex ſchedis Cl. Viri Apoſtoli Zeno. Eo tempore Plebani hujus Eccleſiæ titulo Vicarii nuncupabantur, ut videre eſt in ſubſequenti documento, quo electio Vicarii in Eccleſia SS. Gervaſii & Protaſii ad Patriarcham Gradenſem & Epiſcopum Olivolenſem pertinere ſtatuitur.

1130 Urſonus Barbadico. Ex Arch. Eccleſiæ.

1150 Joannes Manoleſſus. Ex Arch. Patriarchali.

1174 Otho Ruſticus. Ex Hiſt. Dalmatiæ Lucii Cap. XII.

1208 Simeon de Canale. Ex Arch. Eccleſiæ.

1229 Dominicus Scutarius Archipresb. Congreg. S. Michaelis Arch. Ex cod. MS.

1239 Dominicus Caravello Not. Ex rog. ipſius.

1253 Marcus Pelegrinus. Ex ſchedis Cl. V. Apoſtoli Zeno.

1263 Simeon Maurus tranſiit ad Pleb. S. Barnabæ poſtea Pleb. S. Pantaleonis, ac denique Epiſcopus Caſtell. Ex Arch. Patriarchali.

1287 Marcus Barbadico Archipresb. Cong. S. Angeli. Ex rog. Felicis de Merlis Pleb. S. Simeonis Apoſt.

1349 Thomas Georgii filius de Juſtinopoli. Ex Arch. S. Mariæ ab Horto.

1350 Marinus Not. & Aulæ Ducal. Cancel. Ex rog. ipſius.

1395 Andreas de Scaputiis Not. primum Diac. S. Severi poſtea ann. 1380. Capellanus Conſulis Tanæ deinde Pleb. S. Gervaſii. Ex rog. ipſius.

1420 Miſius de Apulia. Ex rog. Joannis de Lappis Pleb. S. Barnabæ, & Not.

1435 Dominicus da Pozzo. Ex Schedis Apoſtoli Zeno.

1435 Maginus. Ex Rog. Victoris Paxe.

1436 Andreas Gavixio. Ex Matricula Scholæ Charitatis.

1459 Leonardus. Ex rog. Victoris Paxe.

1475 Thomas. Ex Arch. Eccl. S. Baſilii.

1481 Antonius Ferro. Ex Arch. ſupradicto. Ob. 22. Mart. 1484.

1484 1. Apr. Jacobus Gentilinus Canon. Duc. Ob. 5. Aug. 1509.
1509 8. Aug. Bernardinus Bono el. Pleb. omnibus electorum ſuffragiis faventibus. Can. S. Marci. Ob. 12. Sept. 1520.
1520 18. Sept. Joannes a Forciis *dalle Forze* Jacobi Gentilini præceſſoris ex Sorore Nepos Canon. Caſtell. Ob. 1545. M. V. 14. Febr.
1545 M. V. 18. Febr. Thaddæus Plancus. Ob. 31. Aug. 1559.
1559 8. Sept. Petrus Plancus anteceſſoris frater Canon. Caſtell. Ob. 1571.
1571 13. Nov. Petrus Moſe. Ob. 1580.
1580 Dominicus de Leonardis reædificavit Eccleſiam. Ob. 29. Dec. 1593.
1593 Antonius de Leonardis. Ob. 1603. 21. Maii.
1603 Petrus Moreſchi Archipresb. Cong. S. Pauli, Patriarch. primum, mox Duc. Canon. Ob. 14. Octob. 1630.
1630 17. Octob. Vincentius Girardi primo ab electione ſua menſe vix elapſo, antequam dignitatis poſſeſſionem iniret, ob. 24. Nov. 1630.
1630 Vincentius Gairotti. Ob. 3. Aug. 1631.
1631 Joannes Cappis. Ob. 7. Junii 1632.
1632 Sanctus de Ughis. Ob. 29. Maii 1663.
1663 Antonius Zambelli. Ob. 24. Martii 1676.
1676 27. Martii Antonius Madruzzato. Ob. 10. Mart. 1678.
1678 23. Martii Jo. Baptiſta Guarnerius Canon. S. Marci. Ob. 10. Jun. 1709.
1709 Jo. Baptiſta Guarnerius anteceſſoris Nepos, qui anno 1731. 5. Octob. el. Archipresb. Villæ Calaonis in Agro Eſtenſi Patavinæ Diœc. Plebanatui Veneto renuntiavit.
1731 8. Octob. Antonius Bracaleoni.

Transſa

Tranſactio inter Patriarcham Gradenſem, & Epiſcopum Olivolenſem pro Eccleſia SS. Gervaſii & Protaſii, quæ ſit de jure utriuſque.

A 1041. Junii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejuſdem Redemptoris Noſtri milleſimo quadrageſimo primo menſis Junii. Indictione nona. Rivoalto Tempore quoque domni Dominici Flabiani Ducis horta quippe fuerat intentio (*a*) inter Dominicum Urſo Sancte Gradenſis Eccleſie Patriarche & Dominum Dominicum Gradonico Sancte Olivolenſis Eccleſie Epiſcopum de Baſilica Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii de rivo mennolario. Ubi propter illorum juſticiam, & rectitudinem prenominatus Dux ambo inveſtire precepit. Sed, die quadam ſupramemoratus Domnus Patriarcha inſimul cum jam dictus Domnus Epiſcopus ad Eccleſiam Sancti Silveſtri convenerunt, & de tali intencione quod inter utrasque partes de preſata Eccleſia fuerat ante preſencia Domni Vitalis Epiſcopi Sancte Altinatis Eccleſiæ, (*b*) & Florentio Flabianico ſive & Stephano Flabianico cum Johannes Filius Petri Urſoyoli Nec non Lellus & Petrus ambo Gradonici & Dominicus Clericus Bolzano atque Johannes Presbiter Celſus Vicarius Eccleſiæ S. Cantiani & in eodem loco finem impoſuerunt & talem Wadimonium (*c*) ibidem, ambo dare preceperunt, & invicem ſe ambo uno corpore adfirmaverunt. Unde ego ſupramemoratus Johannes Urſoylus ex parte Domni Patriarche & nos ſuprascriptus Petrus Filius Johannis Gradonici ex parte Domni Epiſcopi ambo ſumus fidejuſſores, & hunc breviarium (*d*) ſcribere rogavimus & propriis manibus ſubſcripſimus. Nam vero ſicut uno tempore ambo ſunt confirmati ita quoque contra omnes quidem eadem Eccleſia vel de omnibus pertinentiis ejus adverſus eos conſurgunt ſimul debent reſiſtere & placitare tam cum illorum cartule rectitudinem ſive Domnus Patriarcha ſive Domnus Epiſcopus, & non ſolum cum eorum cartule oſtendendo, & placitando ſed etiam illorum teſtimonia & poſſeſſionibus oſtendendo ut ſicut jam ſupradiximus uno corpore ſunt conjuncti ita quoque prædicta Eccleſia commune ſint & unus ſine alio nullo modo haberi debeant nec per placitum neque per nullam aliquam finem nec pro nullo quovis ingenio (*e*) prefata

ter

(*a*) *Intentio* hic ſumitur pro *diſcordia* ſeu *controverſia*: hac enim voce hiis temporibus denominabantur lites & contentiones, cujus rei multa afferuntur exempla in Gloſſario Dufreſnii

(*b*) *Altinatis Eccleſia*. Ita eo ſæculo adhuc denominabatur aliquando Eccleſia Turcellana, ad quam deductus fuit Epiſcopatus Altinas. Erudite hoc notavit Coſtadonius in Opuſculo *Oſſervazioni ſopra la Chieſa di Torcello* num. 4. Exempla dabimus (ſi Deo placuerit) ad Eccleſiam Torcellanam.

(*c*) *Wadimonium* ſumitur pro pignore, ſeu fidejuſſione. Conſule Cangium.

(*d*) *Breviarium* vox eſt communis in antiquis legibus Venetis, idem ſignificat ac *inſtrumentum Notarii manu conſcriptum*.

(*e*) *Ingenium* iis ſæculis aliquando ſumebatur pro fraude, vel ratione, vel cauſa, aliquando vero etiam pro inſtrumento, unde in Bull. Caſſinenſis Tom. II. Conſtit. 90. legitur. *Sive per traditiones ſive per chartularum inſcriptiones ſive per aliquo legali ingenio vel tenore*.

Eccleſia nec haberi debeat nec poſſideri ſed ſicut ſuperius prædiximus omnia debet eſſe communis & inſimul inter illos. Electionem & inveſtitionem Vicarii in prædicta Eccleſia uno ſine alio minime facere debet. Sed cum ipſa Eccleſia per tempora inordinata remanſerit per communes voluntates ipſum vicarium eligere debent inveſtire & confirmare. Et quicquid per inde inventum fuerint omnia communis inter illos debent perſiſtere. Fidelitatem vero ipſe Vicarius ſub uno Sacramento (*a*) tam ad ipſum Patriarcham ad ipſum Epiſcopum ſive ad eorum Eccleſias facere debent. Conceſſionem vero ipſe Vicarius de ambobus prenominatis Dominis recipere debent. Promiſſionem vero ipſe Vicarius talem unam facere debet Domno Patriarche ſive & alteram Domni Epiſcopi & ad illorum Eccleſias quod jam ſupra memorata Baſilica S. Gervaſii cum omnibus pertinenciis ſuis ad jure dominioque amborum & de illorum Sacris Sedibus diebus vitæ ſuæ retineri debeat ad ſalvationem (*b*) cum omni incolumi retentione tam in muris quam in tectis ſive in parietibus & in ripis & in omnibus proprietatibus ejus nec non & de cunctis ejus theſauris. Inventaneum (*c*) vero unum Domni Patriarchæ & alterum quoque Domni Epiſcopi facere debet. Occaſionem vero ad ipſum Vicarium uno ſine alio nullo modo inferri debeant de prefata incolumi retentione ipſius Eccleſiæ, ſed quodcumque juſte emendari (*d*) debet inſimul & communis reſpondere debeant & emendari infra ipſa promiſſio Domni Patriarche prefatus Vicarius pro omnique menſe Junii perſolvere debeat in Sanctæ Gradenſis Eccleſiæ denarios ſexaginta perpetuum cenſum, & ſi tranſgreſſor inde exstiterit ſolus Domnus Patriarcha ipſam emendacionem debet ſuſcipere. Infra ipſa promiſſio Domni Epiſcopi prædictus Vicarius conſcribere debet cunctum obſequium Sanctæ Matris Holyvolenſis Eccleſiæ perficere quem admodum ſui deceſſores ejuſdem Eccleſiæ Vicarii fecerunt ideſt prandium in ſuam feſtivitatem feſtivitatibus Sanctæ Matris Eccleſiæ juſta ſuam conſecrationem (*e*) reveſtire debet & ad ſinodali conventu venire ſive ad Epiſcopatum ſive gradus proficiſcendum & ſi aliqua conligacione (*f*) de prefata Eccleſia in quemlibet perſonam fieri oportet, tunc ambobus Dominis illam facere debent ſine omni intermiſſione. Quod ſi de hoc que ſuperius refferuntur quis tranſgreſſor inventus fuerit tunc omnia ipſa emendacione quæ legaliter ipſe Vicarius facere debent ſolus Domnus Epiſcopus recipiant juxta illorum ſtatutum. Hec namque omnia ut prædiximus firmum & ſtabilem inter eos perſiſtere debet & ſive Domnus Patriarcha ſive Domnus Epiſcopus iſtum placitum corrumpere aut tranſgredere voluerit ut ipſa Eccleſia ſive per placitum ſive per cartam aut per aliquam finem vel per quemvis ingenium ipſa Eccleſia uno ſine alio habere voluerit. Tunc ſupra quem declaratum fuerit componere debet pars inobediens ad partem fidei obſervantis beſanenſium romanatorum (*g*) quingentorum & poſt pene ſoluto proſtimo hunc breviarium

(*a*) *Sacramentum* hic ſumitur pro juramento, vide Cangium liter. I.

(*b*) *Salvatio* idem ac ſalus, ſeu incolumitas, ſeu etiam immunitas juxta uſum eorum ſæculorum.

(*c*) *Inventaneum* ſcilicet *inventarium*.

(*d*) *Emendari* intelligitur pro ſatisfieri; ut ſæpe ſæpius videre eſt in antiquis inſtrumentis.

(*e*) Hic fortaſſe ſignatur annua memoria antiquiſſimæ conſecrationis hujus Templi.

(*f*) *Conligatione* nempe *obligatione*; nam conligare ſignificat ſeſe pariter obligare, uti ſolent, qui de re aliqua paciſcuntur

(*g*) Beſanenſium Romanatorum: Puto hic intelligi debere de Byzantiis, qua voce à Latinis nuncupabantur omnes nummi aurei Græcorum, ut fuſe notatur in diſſertat. Dufreſnii *de in-*

in ſua firmitate debet perſiſtere unde de omnibus quæ prædiximus teſtes ſumus & propriis manibus ſubſcripſimus. (d)

de inferioris ævi numiſmatibus ; & in Mantiſſa nummorum Byzantinorum pag. 231. Clar. Viri Sebaſtiani de Paulis ; ubique nummi paſſim nominati occurrunt in antiquis inſtrumentis Venetis. Vox *Romanatorum* nempe Romanorum puto, quod adjuncta fuerit, quia in Imperio Romaniæ cudebantur.

(d) Antiquo apographo Archivi Patriarchalis deſunt ſubſcriptiones, nec tamen propterea de ipſius fide dubitandum eſſe cenſeo, ſiquidem eas reliquas notas veracis antiquitatis poſſidet, ut quicumque rei diplomaticæ peritus pro certo ejus veritatem ſtatuere poſſit; uſitata enim res erat multiſque comprobata exemplis antiqua inſtrumenta tranſumere abſque ſubſcriptionibus, quibus tamen apographis plena fides tribuebatur.

DE

DE
MONASTERIO
SANCTI JOSEPH
SANCTIMONIALIUM EREMITARUM.

ANtiquiſſimum fuit in Eccleſia recluſarum mulierum inſtitutum, cujus originem refert Petrus Caniſius ad Sinagogæ Judaicæ tempora, opinionem ſuam Annæ Prophetiſſæ exemplo confirmans, *quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die*. Recluſas quoque fuiſſe tres virgines filias Sancti Philippi, unius ex ſeptem primis Diaconis, veriſimile eſt; tempore enim S. Hieronymi earum cellulæ adhuc integræ viſebantur, quas omnes S. Paula Vidua Romana, in Jeroſolimitana peregrinatione inviſere voluit, ut idem Sanctus Hieronymus refert in epiſtola XXVII. ad Euſtochium ejuſdem Paulæ filiam data. Plures diverſis temporibus ſive in Romano Martyrologio, ſive in Eccleſiaſticis Hiſtoriis recenſentur Recluſæ fama auſteritatis, & ſanctimoniæ laude clariſſimæ. Aſperrimum hoc vitæ genus etiam apud Venetos viguiſſe probavimus Operis

hujus Tom. II. pag. 201. tum ex Sabellici teſtimonio, tum ex Sophiæ Virginis exemplo, quæ fundato Sanctimonialium Sanctæ Crucis Venetiarum illuſtri Aſceterio, rigidioris vitæ deſiderio ſupra veſtibulum ædis S. Nicolai de Mendicolis ſe contulit, ubi in ſilentio, & ſolitudine ſanctiſſimam vitam duxit. Rem confirmari diximus, ex Diariis Veneti Cœnobii S. Mariæ Servorum, in quibus diverſis locis, & temporibus referuntur hujusmodi mulierum gynecea.

1330 Apud Eccleſiam S. Joannis Novi.
1343 Apud Eccleſiam S. Mauritii.
Apud Eccleſiam S. Agnetis, in qua adhuc viſitur veſtibulum a Sabellico *perexiguum Virginium* nuncupatum.
Apud Eccleſiam SS. Gervaſii & Protaſii.
1354 Apud Eccleſiam S. Ubaldi.
1363 Apud Eccleſiam SS. Apoſtolorum.
1378 Apud Eccleſiam S. Franciſci a Vinea.
Apud Eccleſiam S. Mariæ Novæ, & fortaſſe eo in loco, qui usque modo *Corte delle Pizzochere* nuncupatur non longe ab ipſa Eccleſia poſito.
1391 Apud Eccleſiam S. Canciani, de quibus loco citato diſſeruimus.
Sed & apud Eccleſiam S. Angeli extitiſſe hujusmodi mulierum Gyneceum, ex iis non obſcure ſignificatur, quæ Tom. II. hujus operis p. 105. de *Katherina condam Heremita in S. Angelo de Venetiis* ex Tarviſino documento attulimus.

De iis tamen mulieribus, quæ ſub ipſo tecto Eccleſiæ Divorum Hermagoræ & Fortunati recluſæ, quo anguſtiorem eo ſanctiorem ducebant vitam, nec Ephemerides domeſticæ ſupracitatæ, nec Sabellicus mentionem ingerunt, quamvis earum Aſceterium, ut omnium celeberrimum, ita & antiquiſſimum fuerit, quippe quod, ut ex documentis conſtat mox afferendis, Leonis X. tempore originem ſuam ad antiquiſſimum, & immemorabile tempus referebat. Cæterum originis ſuæ tempus ex documentorum inopia deliteſcit, quæ documenta doloſe a quodam vicinæ Eccleſiæ Sacerdote, dum Eremitis a confeſſionibus eſſet, circa annum 1500. ablata fuiſſe, conqueſtæ ſunt

ſunt apud Vicarium Patriarchalem anno 1620, dum apud ipſum ex mandato Apoſtolico, de facultate emittendæ profeſſionis ageretur. Antiquius, quod extat, documentum Innocentii VIII. Diploma eſt, Romæ datum anno MCCCCLXXXVI. die XIV. Novembris, quo *Benedictæ Heremitæ apud Eccleſiam S. Hermachoræ de Venetiis Apoſtolica authoritate* indulget, ut *ſacerdotem ſæcularem vel regularem in ſuum poſſet eligere confeſſorem*, qui ipſam, *& duas ſocias ejus Luciam, ſcilicet, & Catharinam heremiticam vitam ducentes a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, ab aliis vero quoties opus fuerit, abſolvere, pœnitentiamque ſalutarem injungere poſſet, & valeret*. Id inſuper conceſſit, ut in ipſo aſceterio *ab eodem confeſſore, vel alio Sacerdote miſſas celebrari facere, ſacramentaque eccleſiaſtica recipere licite poſſent & valerent*. (A) Hæc prima agnovimus Apoſtolicæ liberalitatis munera hiſce fœminis conceſſa, quæ poſtea ſucceſſorum Pontificum largitionibus aucta, locum, ejusque incolas ad religionis formam adduxerunt.

Poſt hæc, Catherinæ & Luciæ ad immortalem vitam tranſlatis, ſucceſſerunt, ut ex Apoſtolicis Julii II. Epiſtolis conſtat, Johanna, & Margarita, quæ ſeſe ſupralaudatæ Benedictæ in heremiticæ vitæ diſciplina inſtituendas contulerant. Harum prima Johanna Balthaſſaris Mediolanenſis filia, cum jam *per ſeptem annos, & ultra* in arcto ſeceſſu ſuper porticum S. Hermacoræ permanſiſſet, ut quietius Deo famularetur, a Pontifice Julio II. impetravit, ut ſibi quoad viveret *etiam poſt obitum dictæ Benedictæ, in dicto ſeceſſu ſeu clauſura remanere, & dicta Benedicta defuncta unam vel duas ſocias ſimilem vitam ducere volentes* ſecum recipere, & retinere valeret, eodemque circa Confeſſarii electionem privilegio uteretur, quod magiſtræ ſuæ Benedictæ prælaudatus Innocentius indulſerat (B); *Datæ* fuerunt Pontificiæ epiſtolæ die XVII. Febr. anno MDVI, quo etiam anno die XI. Maii *Margaritæ de Cataro Converſæ profeſſæ Monaſterii Sanctorum Rochi & Margaritæ* Venetiarum *Ordinis S. Auguſtini de obſervantia nuncupati*, datis epiſtolis facultatem indulſit, ut de prædicto Sanctorum Rochi, & Margaritæ Monaſterio ad Heremitorium, juxta Eccleſiam Sanctorum Hermagoræ & Fortunati ſe transferre poſſet, ut ibi quoad viveret *devote & religioſe retento habitu ſuo* quietius Altiſſimo famularetur. (C) Hi-

Hiſce itaque Pontificiæ authoritatis privilegiis munitæ, dum ſatis quieti ſuæ conſultum putant Heremitæ, repente gravi exorta tempeſtate ita jactatæ fuerunt, ut parum abſuerit quin antiquum ſanctumque inſtitutum ad nihilum redigeretur. Benedicta, quam ſuperius agnovimus loci Magiſtram, & rectricem circa MDXVIII. ad ſuperos evolaverat, in cujus locum cum ſupralaudatæ Johanna & Margarita aliam ſibi ſociam adſciſcere voluiſſent, Plebano, & Capitulari Collegio proximæ Eccleſiæ S. Hermacoræ adverſantibus, ab ea electione prohibitæ ſunt. Præſidium itaque a ſuperiori poteſtate expoſcendum fore arbitrantes ad ipſiusmet Pontificis Maximi ſupremam authoritatem confugerunt, eidemque datis ſupplicibus libellis expoſuerunt, *quod licet a multo tempore, citra quod de contrario hominum memoria non exiſtit, in Oratorio Eccleſiæ S. Hermagoræ, duæ aut tres moniales in cellulis ſuis recluſæ & muratæ pro tempore degiſſent, & altera earum de medio ſublata, alia loco ſui introduci nemine contradicente* conſueviſſet; ac *ibidem ſub odore bonæ famæ regulam ſuam pro poſſe obſervando vixiſſent, nihilominus* ſupradictæ *Eccleſiæ Plebanus* & Capitulum *aliam mulierem loco alterius ibi defunctæ intromitti* prohibebant, *propter quod ipſæ Sedis Apoſtolicæ auxilium* implorabant.

Humiles piarum mulierum preces facilis excepit Pontifex, atque Leonardo Cardinali Roboreo, qui Romanæ Pœnitentiariæ curam gerebat ſpeciale ſuper hoc mandatum vivæ vocis oraculo fecit. Hic igitur Pontificia authoritate Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum datis die XXIII. anno MDXVIII. epiſtolis (D) commiſit, ut eam *conſuetudinem auctoritate, & mandato* Apoſtolicis approbaret, *exponentesque ipſas, & alias Moniales inibi pro tempore recluſas Oratorium ipſum pacifice poſſidere permitteret, ita quod ſi de præſenti aliqua deeſſet, aut in futurum deeſſe contigerit, alia loco ſui introduci poſſit*.

In iis autem Cardinalis Pœnitentiarii litteris notatu dignum eſt Johannam, & Margaritam, quas unico Eremitarum vocabulo in Pontificiis Diplomatibus connotatas legimus, nunc primum *Moniales ſub Sancti Auguſtini ſeu alia regula* degentes appellari, quo etiam titulo eas decoravit poſtmodum Paulus III. qui *Prioriſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium Eremitarum recluſarum in porticu nuncupatarum per Prioriſſam ſoliti gubernari Sanctorum Hermagoræ & Fortunati Venetiarum*,

Or-

Ordinis S. Auguſtini Apoſtolicas litteras dedit anno MDXXXIX. die IX. Junii, quibus indulta, & privilegia a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis dicto Monaſterio conceſſa confirmantur. (E)

Num retroactis temporibus communi tantum officio, & pietate ductæ ſine certis, & propriis legibus vixerint, ac tantummodo circa ea tempora regularem obſervantiam ſub Divi Auguſtini inſtituto amplexæ fuerint, ex documentorum inopia nos latet, ſiquidem antiquior, quæ adhuc extet ſolemnium votorum profeſſio annum contigit MDLXIII. & eſt:

„ Ego Soror Gabriela facio profeſſionem, & promitto obe„dientiam Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ ſemper Virgi„ni, & beato Auguſtino Confeſſori, & vobis Sorori Marga„ritæ Prioriſſæ in hoc Clauſtro Eremitano S. Ermacoræ Ve„netiarum, & Prioriſſis pro tempore ſuccedentibus, & cano„nice intrantibus in Prioratum dicti Clauſtri vivere ſine pro„prio, & in caſtitate ſecundum Regulam beati Auguſtini uſ„que ad mortem. Alli vinti di Ottobre MDLXIIII.

Hanc Monaſtici ſtatus prærogativam Eremitis adimere niſi ſunt Plebanus, & Capitulares Divi Hermacoræ Sacerdotes, qui *mulieres laicas Eremitas* nuncupatas apud Pium V. criminati ſunt, quaſi Eccleſiæ Parochialis jura lædentes, eo quia ab ipſius Eccleſiæ Sacerdotibus Apoſtolici privilegii munimine protectæ Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere recuſabant. Ejus itaque controverſiæ dirimendæ negotium Joanni Triviſano Patriarchæ Venetiarum a Sancto Pontifice demandatum fuit die XXVI. Julii anno MDLXXI. (F) Moniales interea dum ad ſuorum jurium tutelam antiqua documenta, & Apoſtolicæ Sedis indulta diſponere, & exhibere curant, ea ſibi miſerabiliter erepta doluerunt. Quapropter Pontificias Gregorii XIII. epiſtolas anno MDLXX. die XI. Novembris datas impetrarunt, quibus Patriarchæ Venetiarum, vel ejus Vicario mandatum fuit, ut detentores, vel occultatores ſcripturarum, ſi eas reſtituere, vel revelare admoniti negligerent, ſeu contemnerent, excommunicationis vinculo irretitos eſſe declararet, atque generalem excommunicationis ſententiam ſolemniter in Eccleſia coram populo publicari mandaret. Apoſtolica juſſa exequutus eſt die III. Aprilis anni ſubſequentis, Johannes Renius pro Patriarcha Venetiarum Generalis, & Eccleſiæ S. Bartholomæi perpetuus Vicarius. (G) Sen-

Sententiam pro Capitulari Collegio adverſus Moniales tuliſſe Johannem Triviſanum Patriarcham, ex alio ſubſequenti judicio agnoſcimus, quo Sylvius Galaſſus Auditor Generalis Legati Apoſtolici Patriarchalem deciſionem a Monialibus appellatam, atque ex ejusdem Apoſtolici Nuncii mandato ſibi delegatam, ea qua, in hac parte fungebatur authoritate, reſcidit, decrevitque inſuper, & pronuntiavit præfatas Eremitas ſub jurisdictione Patriarchali exiſtentes, domumque, & locum *ab immemorabili tempore citra* ſemper habitum, & reputatum religioſum fuiſſe, atque recluſas in eisdem domo, & loco religioſam vitam ducentes vigore privilegiorum, & antiquæ conſuetudinis poſſe ſibi eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum, quique ſeu alius Sacerdos prædictis Eremitis miſſam celebrare poſſit, in ipſarum Oratorio atque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ipſis miniſtrare. Obligatas tamen fore, & eſſe, adjecit, Plebano Parochialis Eccleſiæ, vel alii Sacerdoti de ipſius licentia ſemel in anno Paſchali tempore peccata ſua confiteri, & Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere.

A Generalis Auditoris judicio die xxv. Octobris ejusdem anni Plebanus, & Titulati ad Sanctam Sedem provocarunt, cumque ex Apoſtolico mandato ad Nicolai Galerii Vicarii Generalis Patavini tribunal adducti fuiſſent, iterum a poſtulatis rejecti fuerunt ſolemni ſententia lata die xviii. menſis Julii anno MDLXXVI. Easdem poſtea ſententias *in res tranſiviſſe judicatas, & exequendas eſſe, & exequi debere*, decrevit Legatus Apoſtolicus die xxiii. Julii anno MDLXXVIII. *Plebanum & Capitulum in expenſis* condemnans, quarum *taxationem* ſibi *impoſterum* reſervavit (H).

Iis igitur difficultatibus devictis, Moniales Eremitæ, quamvis in ſumma egeſtate poſitæ eleemoſynis ſponte oblatis victitarent, ardenti tamen ſtudio in auſteriſſimæ vitæ propoſito adeo inſtiterunt, ut in arctiſſimo loci ſpatio ſe ſub clauſura perpetua manſuras voto interpoſito pollicerentur. Ut autem ad perſonalem Religionis ſtatum decus etiam eccleſiaſtici loci accederet, Franciſcum Vendramenum Patriarcham Venetiarum, dum locum, & perſonas inviſurus præſens ad eas acceſſiſſet, die xvii. Januarii anno MDCCX. ſuppliciter exorarunt, ut *pro earumdem ſpirituali conſolatione* Hieronymo Comiti Purliliarum Epiſcopo Adrienſi *licentiam concederet conſecran-*

di altare Sancti Auguſtini in Oratorio earumdem Eremitarum recens extructum. Aſſenſit piis votis Patriarcha, atque inde die XXIV. ejusdem menſis Adrienſis Epiſcopus adhibitis ad hoc ceremoniis debitis Altare prædictum conſecravit, XL. dies de criminum remiſſione annuatim ipſum viſitantibus in die Conſecrationis indulgens.

Die Dominico 17. Januarii 1610. a Nativitate.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Do-
„ minus D. Franciſcus Vendramenus, miſeratione Divina Pa-
„ triarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas, exiſtens in viſi-
„ tatione Eccleſiæ Parochialis, & Collegiatæ SS. Hermagoræ
„ & Fortunati Venetiarum, & Heremitarum habitantium pro-
„ pe, & extra Eccleſiam prædictam, ſic requiſitus a R. Joanna
„ a Baſſo Prioriſſa Heremitarum prædictarum, pro earumdem
„ ſpirituali conſolatione licentiam conceſſit Illuſtriſſimo & Re-
„ verendiſſimo Hieronymo Comiti Purliliarum, Epiſcopo A-
„ drienſi, conſecrandi juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ Al-
„ tare Sancti Auguſtini, dicatum in oratorio earundem He-
„ remitarum.

Franciſcus Patr. Venet.

Die Dominico 24. Januarii prædicti.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. D. Hieronymus Co-
„ mes Purliliarum, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Adrien-
„ ſis vigore facultatis ſibi, ut ſupra per præfatum Illuſtriſſi-
„ mum D. Patriarcham Venetiarum, conceſſæ in debito appa-
„ ratu conſtitutus conſecravit Altare prædictum in oratorio
„ prædictarum Heremitarum ſitum, adhibitis ad hoc cerimo-
„ niis debitis, & juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſerva-
„ tisque in ſimilibus ſervari ſolitis, & conſuetis. Præſentibus
„ admodum Rev. D. Pompeo Taleapetra Plebano S. Felicis
„ Venetiarum, Canonico Eccleſiæ S. Marci, Archipresb. Ven.
„ Congregationis S. Lucæ, & Confeſſario earundem Heremi-
„ tarum, ac Rev. D. Antonio Palantio Veneto Canonico Ec-
„ cleſiæ Rodigii teſtibus vocatis & rogatis.

Aræ conſecratæ memoriam lapidi inſculpi curaverunt Moniales.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Franciſcus Vendrame-
„ no Patriarcha Venetiar. Dalmatiæque Primas &c. conceſſit
„ licentiam Illuſtr. & Rever. D. Hieronymo Comiti Purliliarum,
„ & Epiſcopo Adriæ conſecrandi Altare in Oratorio Eremitarum
„ SS. Hermagoræ & Fortunati, tempore Prioriſſæ R. D. Joan-
„ næ Abaſſo, & R. D. Eliſabeth a Vidua, ejus Vicariæ, Pre-
„ ſentibus teſtibus D. Pompeo Taliapetra Plebano D. Felicis.
„ Can. D. M., Arch. S. Lucæ, Eremitarum Confeſſario, &
„ D. Antonio Palantio Clerico Veneto, Canonico Rhodigino
„ ſub Sereniſſimo Principe Leonardo Donato.

Anno Dom. MDCX. *Menſ. Jan. die* XXIIII.

„ Eadem die annuatim conceduntur ab eodem Illuſtriſſimo
„ dies quadraginta Indulgentiæ.

Progreſſu inde ætatis, cum antiquum Oratorium ad ruinam vergeret, atque ad ipſius reſtaurationem Eremitæ manus admovere diſponerent, rurſus a Capitulari Collegio in quæſtionem adductæ ab operis proſequutione prohibitæ ſunt; verum lata Judicum ſententia Capitulum cauſa cecidit, atque Oratorium piorum ære reſtauratum, & *aliquanto altius* elatum fuit. Tot itaque diſſidiis vexatæ inopes Moniales, cum ſibi duriſſimum videretur ſub jure Parochialis Capituli (quod ſibi nimis infenſum ex præmiſſis agnoverant) diutius vivere, Clementis IX. benignitatem humiliter exorarunt, ut *earum indemnitati, quieti, & animarum ſaluti paterne conſulendo* concederet, ut a ſubjectione Parochialis Eccleſiæ immunes eſſent. Annuit Pontifex, atque ampliſſimo Diplomate, die IV. Decembris anno MDLXIX. Romæ lato Moniales Eremitas ab omni jurisdictione Parochiali exemptas eſſe decrevit, ita tamen, ut Venetus Patriarcha, quoad functionem Communionis Paſchalis, alium Sacerdotem doctrina, & prudentia idoneum deſtinaret (I).

Integra igitur religionis forma in locum invecta, cum plurimæ auſteriori huic inſtituto dare nomina poſtularent, viſum

eſt

eſt perexiguum Monialium numerum augere, ut officia religionis, quæ ægre impleri poterant, commodius exercerentur. Tribus igitur antiquis Aſceterii incolis totidem adjectæ ſunt, quæ eo in loco conſtantes perſeveraverunt, usque ad finem circiter ſæculi ejusdem XVII; Eo enim tempore, cum vetuſtiſſima Divorum Hermagoræ, & Fortunati Eccleſia inſtantem minitaretur ruinam, actum eſt de recluſis monialibus opportuniori in Æde collocandis. Eremitarum itaque Procuratores paratæ Ædis occaſionem nacti, quam in pauperis Hoſpitii formam ſibi conſtruxerant Fratres Minores ſtrictioris obſervantiæ, antequam Monaſterium Divi Bonaventuræ in extrema Urbis parte ædificarent, illam ſoluto pretio in Monialium habitationem compararunt. Obtenta mox ex S. C. Decreto anno MDCVIIC. die XII. Auguſti lato (K) ampla ædificandi Monaſterii facultate, ea tamen conditione appoſita, ne in eo loco Moniales plures, quam ſex admitterentur, ſacro operi manus admovetur, quod pecuniis potiſſimum a Sancto Donadono Domitii olim filio pie legatis perfectum eſt, in cujus fundamentis numisma injectum fuit ab una parte Salvatorem exhibens his circumdatum verbis: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, ab alia vero epigraphen hanc referens: *Egredere de terra tua & Benedicam tibi 1693. Translatiò Eremitarum S. Auguſtini*. Anno itaque ſubſequenti MDCVIC. Joannes Baduario Patriarcha Venetiarum, recluſas Sanctimoniales ab arcto Eremitorio ad nova clauſtra deduxit, nec multo poſt limes ille numero Monialium conſtitutus ex P. C. ſuffragiis ampliatus fuit, unde multæ rigidiſſimum Eremiticæ vitæ inſtitutum amplecti potuerunt.

Erecta inde eleganti Eccleſia, quam Sanctiſſimi Jeſu, Mariæ, & Joſeph nominibus ſacram eſſe voluerunt, ut locus plenam religioſi ſtatus perfectionem obtineret, ſupplices, permittente Senatu, Romano Pontifici Clementi XI. libellos porrexerunt, anno MDCCXVIII. atque ab Apoſtolicæ Sedis authoritate optatum perpetuæ clauſuræ munus implorarunt. Hoc cum ſibi ex Pontificia liberalitate conceſſum fuiſſet, Petrus Barbadico Patriarcha Venetiarum, die III. Junii MDCCXXII. Aſceterium ſub Divi Auguſtini regula in rigidiori votorum obſervantia conſtitutum religioſæ Clauſuræ privilegio ex demandato ſibi officio ſolemniter inſignivit. (L)

Aram Sacelli Majoris ex ſelectis marmoribus erigi mandavit Antonia Piſani, quæ ad ipſius aræ pedes emortualem ſibi requiem delegit hac inſcriptione ſuperimpoſita.

„ Dominica Antonia Piſani piiſſima Mulier Jeſu, Mariæ,
„ Joſeph Ara proprio ære Pietatis in monumentum erecta ſi-
„ bi humanæ fragilitatis teſtimonium Monumentum hoc po-
„ ſuit anno MDCCVII. Menſe Auguſti.

Ad ejusdem Sacelli latus dexterum, ſimulacrum viſitur, & elogium ſupralaudati Sancti Donadoni, quæ in grati animi monumentum Eremitæ Virgines poni curarunt.

D. O. M.

„ Sancto Donadono pietate, ac religione clariſſimo Eremitæ
„ Virgines, quod legata pecunia Templum, Eremumque fun-
„ ditus erexerit, Patrono Beneficentiſſimo grati animi ergo po-
„ ſuere. Ob. VIII. Kalendas Junias MDCLXXXVIII.

Crucifixi Domini altare, atque alterum ex adverſo Deiparæ Virginis ære piorum corrogato extrui juſſerunt Eremitæ, in quibus præter plurima Sanctorum lipſana quatuor aſſervantur Sanctorum Martyrum corpora è cryptis Romanæ Urbis effoſſa, quorum nomina hæc ſunt: S. Agabiti Mart. S. Baſilii Mart. S. Benedicti Mart. S. Filomeni Mart. Ipſorum unicuique adjectum eſt vas ſanguinis illuſtre paſſionis pro Chriſto toleratæ teſtimonium. Manus etiam incorrupta S. Julianæ Virg. & Martyris, atque Sanctarum Corneliæ, Fauſtæ, Victoriæ capita, & Vincentiæ Martyrum ibidem coluntur.

Spinam quoque ex Corona Dominica ſe poſſidere gloriantur Sanctimoniales, cujus authenticitatem deficientibus monumentis, prodigia (ut aſſerunt) confirmarunt. Rem expoſuit quædam Aſceterii Virgo, Anna Maria nomine, quæ ipſam ſacram Spinam ſubobſcuri coloris in die Paraſceves mire rubeſcentem cum cæteris Monialibus ſe aſpexiſſe jurejurando interpoſito affirmavit.

Adi 30 *Settembre* 1704.

„ Io Suor Anna Maria del Santiſſimo Sacramento, facio fe-
„ de, & ateſto con giuramento come ſono 20. anni e piu
„ che da una perſona fu portato al Noſtro Monaſtero cioe dal

Sig.

„ Sig. Zuane Paſqueti la Sacra Spina del Signor, & egli me-
„ deſimo dichiara il modo come lavuta nelle mani e dove ſi
„ è trovata. queſta ſtete alcuni anni rinſerrata in Armereto de-
„ cente dove vi era altre Sacre Reliquie, & il corpo di S. Benede-
„ to Martire, finalmente deſiderando conoſcer una tal pretioſa
„ Giema, ſe ne ſupplicava inſtantemente il Sig. faceſſe gratia di
„ dimoſtrar, ſi veramente quella era una delle ſue Sante Spine,
„ ſi poneva ogni notte del Venerdi Santo Sopra il Noſtro Alta-
„ re fino fatto tutte le noſtre devotioni è poi ſi riponeva ſenza
„ veder altro, Si non eſſa di Color Cenerino come argientino,
„ & alcune gocioline Smarite ch' apena ſi figuravano. portò il
„ Caſo ch' un di detti Venerdi Santo ſi diede precnipio à far le
„ noſtre ordinarie Divotioni 2 hore avanti, e coſi ſi compì mol-
„ to per tempo. finito il tutto ſi ritirorno, e rimaſe ſolo la M.
„ S. M. Margarita con una compagna a far orazione davanti eſ-
„ ſa S. Spina Supplicando pur il Signor ſi degnaſe ſe coſi eſſa
„ per maggior Gloria Sua moſtrar qualche Segno non avendo
„ noi patente ne altro, finita una tal oratione con quel affetto
„ e humilta e titoli ch' il Signor la inſpirava ſi poſe a recitar
„ altra orazione vocale, e mentre ſtava ſcordata di quel tanto
„ aveva prima chieſto al Signore; ſi ſenti al inproviſo come a
„ giaciar il Sangue, e li parve foſſe preſa come per un picito di
„ Capeli ſopra la Cima della teſta, e mirando con ſuo ſtupore
„ è reſa come immobile vide roſegiar detta S. Spina ſopra la
„ cima di eſſa e poi ſpargerſi quel color coſi vivo Sanguino-
„ lento per longo, e poi molte picole gocioline per ogni par-
„ te ſi che pareva tutta inſanguinata, alora il ſtupore l'aveva coſi
„ preſa che non poteva formar parola; ſi acorſe la M. S. M. Mar-
„ garita che li ſtava vicina, li dimandò coſa era; con gran pena
„ non potendo formar parola li fece atto, ne ſo, ſe ſi li diſe, che
„ miraſſe, e coſi la detta Madre vide anco eſſa il medeſimo, e fu
„ coſa coſi evidente e chiara il modo come ſi vide, che non ſa-
„ ra mai poſibile ſcordarſi, e coſi ogni anno ſi vede e oſſerva da
„ noi tutti ma in diferenti modi hor piu hor meno e in una
„ iſteſſa hora fa diverſe mutacioni.

Jacet in hoc templo tumulata Laura Cornelio, Joannis Cornelio Venetiarum Ducis olim uxor, quæ poſt conjugis obitum in hoc aſceterio recepta regularem vitam in ſæculari ſtatu ſanctiſſime duxit, & virtutum exemplis clariſſima obiit

octua-

octuagenaria, cujus emortualis dies in ſepulcrali elogio notatur.

„ Sereniſſimæ Lauræ Cornelio olim Joannis Principis Uxo-
„ ri, deinde in hoc Eremitarum clauſtro ſponſæ Chriſti. Di-
„ lectiſſimi filii Equites annuentibus conſororibus poſuere. Ob.
„ die III. Maii 1729. ætatis ſuæ LXXX.

Prioriſſæ Heremitarum apud S. Gervaſium per ſeriem diſpoſitæ.

1694 Maria Benedicta a Jeſu. Ob. 1698.
1698 Maria Margarita ab Angelo Cuſtode.
1700 Clara Maria a Sanctiſſimo Crucifixo. Ter confirmata Monaſterium rexit usque ad annum 1712; deinde rurſus electa anno 1715. præfuit usque ad emortualem ejus annum 1723.
1712 Maria Auguſtina a Sanctiſſima Trinitate. Iterum 1723.
1726 Maria Lucia a Matre Dei. Iterum 1735.
1729 Maria Eliſabeth a S. Joanne Baptiſta.
1731 Maria Perpetua a Corde Jeſu.
1738 Maria Margarita a Paradiſo Confirmata 1741.
1744 Clara Maria a S. Franciſco.
1747 Maria Joanna a Sanctiſſima Conceptione.
1750 Maria Roſa a S. Philippo Nerio.

Inno-

Innocentius VIII. Eremitis S. Ermacoræ indulget, ut Confeſſarium qui eis Sacramenta miniſtret, ſibi eligere poſſint.

A 1486. 14. Novembris.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph.

Dilectæ in Chriſto filiæ Benedictæ Heremitæ apud Eccleſiam S. Hermacoræ de Venetiis. Innocentius Papa VIII. Dilecta in Chriſto filia ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Paternæ charitatis officium eſſe putamus eas perſonas quæ divino ſe adſciſſerunt ſervitio ſpiritualibus recreare muneribus, ut eo magis in ipſo ſervitio perſeverent, quo acceptiores ſe Deo eſſe conſpexerint: Quocirca devotis & humilibus in hac parte ſupplicationibus inclinati harum ſerie tibi auctoritate Apoſtolica indulgemus ut idoneum presbyterum ſecularem vel regularem in tuum poſſis eligere confeſſorem, qui te & duas ſocias tuas Luciam ſcilicet & Catherinam heremiticam vitam ducentes confeſſione tua & ipſarum diligenter audita ab omnibus & ſingulis criminibus exceſſibus & delictis per vos commiſſis, etiam ſingulis caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſemel dumtaxat in vita, & ſemel in mortis articulo, ab aliis vero totiens, quotiens opus fuerit abſolvere pœnitentiamque ſalutarem injungere, ac in vero mortis articolo plenariam remiſſionem elargiri poſſit & valeat. Concedimus inſuper & indulgemus, quod ab eodem confeſſore, vel alio Sacerdote idoneo miſſas in loco iſto celebrari cum debita tamen reverentia & honore facere Sacramentaque Eccleſiaſtica recipere licite, & impune poſſitis & valeatis. Ut inſuper cum majori pace & quiete in divino continuetis ſervitio attendentes quod ibi ſicut nobis expoſitum extitit pluribus jam annis de conſenſu eorum quorum interfuit Deo es famulata decernimus & concedimus per præſentes quod neque tu neque ſociæ prædictæ ab eo loco ullo umquam tempore expelli poſſitis, aut ejuſdem occaſione quomodolibet moleſtari. Venerabili Fratri Patriarchæ Venetiarum eadem auctoritate mandantes, ut in præmiſſis vobis opportuno aſſiſtat favore, neque vos moleſtari aut perturbari permittat contradictores quoslibet quotiens opus fuerit per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die xiv. Novembris Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Julius

Julius II. Johannæ Eremitæ indulget, ut in Eremitorio S. Hermacoræ quoad vixerit, degere poſſit, ſibique & ſociis eligere valeat Confeſſarium.

B 1506. 17. Februarii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum apud S. Gervaſium.

à tergo | *Dilectæ in Chriſto filiæ Johannæ qu: Balthaſaris mulieri Mediolanenſis Diæceſis.*

Julius P. P. II.

Dilecta in Chriſto Filia Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Exponi nobis feciſti alias quod tu fervore devotionis accenſa, cupienſque mundanis abjectis illecebris Domino gratum reddere famulatum: Te, dilectæ in Chriſto Filiæ Benedictæ mulieri, quæ in quodam receſſu parietibus clauſo in Eccleſia Sanctorum Hermacoræ & Fortunati Venetiarum plures annos vitam ſolitariam duxerat, ſociam dediſti, ibique cum per ſeptem annos & ultra permanſiſti, prout etiam permanes ſimilem vitam ducendo cum animæ tuæ conſolatione & quiete, & ſicut eadem petitio ſubjungebat tu pro conſcientiæ tuæ ſecuritate, & animæ ſalute deſideras, quoad vixeris etiam poſt obitum dictæ Benedictæ in dicto receſſu ſeu clauſura remanere. Nos te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequentes, tuiſque in hac parte ſupplicationibus inclinati: Tibi ut, quoad vixeris, etiam poſt obitum dictæ Benedictæ, ſi tibi præmoriatur in dicto receſſu ſeu clauſura remanere, & dicta Benedicta defuncta unam vel duas ſocias ſimilem vitam ducere volentes, tecum recipere & retinere. Quodque aliquem idoneum Presbyterum ſecularem vel cujuſvis ordinis regularem in tuum confeſſorem eligere valeas, qui confeſſione tua, ac etiam ſociarum hujuſmodi diligenter audita, te, & ſocias prædictas ab omnibus & ſingulis exceſſibus, peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus & in ſingulis Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus, exceptis iis quæ in bulla, quæ in die *Cenæ Domini* quotannis publicari ſolet continentur, ſemel in vita, & mortis articulo, in aliis verò quotiens fuerit opportunum abſolvere, ac tibi & eis pro commiſſis penitentiam ſalutarem injungere, ac ſemel in vita ac ſemel in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum, de quibus tu, & ſociæ prædictæ corde contritæ & ore confeſſæ fueritis remiſſionem impendere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVII. Februarii MCCCCCVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Julius

Julius II. indulget Margaritæ de Cathara facultatem ſe transferendi ad Eremitorium S. Hermacoræ.

C 1506. 11. Maii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum apud S. Gervaſium.

A tergo | *Dilectæ in Chriſto filiæ Margaritæ de Catharo Converſæ Profeſſæ Monaſterii Sanctorum Rochi & Margaritæ Venetiarum Ordinis S. Auguſtini de Obſervantia nuncupati.*

JULIUS PAPA II.

Dilecta in Chriſto filia Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ſicut nobis nuper exponi feciſtis in Civitate Venetiarum ſit quidam locus Heremitarum nuncupatus juxta Eccleſiam Sanctorum Hermagoræ & Fortunati, in quo eſt quedam mulier mater nuncupata nomine Benedicta iſthic clauſa, una cum duabus ſuis diſcipulis ad inſtar Heremitarum Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, honeſte, & religioſe vivens, ita quod ab eo loco nunquam exeat, neque videri poſſit, quæ ex eleemoſinis devotarum perſonarum ei in dies manus porrigentium adjutrices vivit, & ibi una cum prefatis ſuis diſcipulis Altiſſimo famulatur, cui tu zelo religionis accenſa, & ob bonam ejus famam, & gratiſſima es, ut commodius Omnipotenti Deo inſervias adhereres, tuque in eodem Heremitorio vitam tuam uſque ad extremum ducere, dummodo bona cum gratia, & benedictione noſtra id facere poſſes, pro parte tam dictæ matris benedictæ, quam tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi de Monaſterio Sanctorum Rochi & Margaritæ Venetiarum Ordinis S. Auguſtini de obſervantia nuncupati, cujus Converſa profeſſa exiſtis, ad prefactum Heremitorium ſe transferendi licentiam concedere, & alias Animæ tuæ ſaluti in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ejusdem matris Benedictæ, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi de dicto Monaſterio ad prefatum Heremitorium te transferendi, atque ibi, quoad vixeris, devote & religioſe retento habitu tuo Altiſſimo famulandi, ac eidem matri Benedicte te recipiendi licentiam & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore preſentium concedimus pariter & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis & Monaſterii ac ordinis predictorum juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus privilegiis quoquo modo & indultis Apoſtolicis eisdem Monaſterio & Ordini ſub quibuſcumque tenoribus forſan conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die 11. Maii MDVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

A. Adrianus.

Leonardus Card. Pœnitentiarius committit Patriarchæ Venetiarum, de mandato Leonis X., ut Eremitas S. Hermacoræ à moleſtiis Presbyterorum ejusdem Eccleſiæ defendat.

D 1518. 23. Julii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph.

Venerabili in Chriſto Patri Dei gratia Patriarchæ Venetiarum, vel ejus Vicario in ſpiritualibus.

Leonardus (*a*) miſeratione divina tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Oblata nobis nuper pro parte Johannæ & Margaritæ Monialium Venetiarum ſub S. Auguſtini ſeu alia regula degentium petitionis ſeries continebat, quod licet à multo tempore, citra quod de contrario hominum memoria non exiſtit, in quodam Oratorio Eccleſiæ S. Hermagoræ Venetiarum contingat duæ aut tres moniales ibidem in cellulis ſuis ſeorſim recluſæ & muratæ pro tempore degere, & altera earum de medio ſublata aliam loco ſui introduci nemine contradicente conſueverint, & exponentes ipſæ cellulis prædictis tunc vacuis zelo devotionis accenſæ ſpretis hujus ſæculi vanitatibus, & miſerabilibus fallaciis inibi juxta dictam conſuetudinem loco priorum tunc defunctarum animarum ſuarum ſalutem efficaciter procurare intendentes clauſure ſe ſubmiſerint, ac ibidem ſub odore bonæ famæ regulam ſuam pro poſſe obſervando hactenus vixerint, prout in futurum vivere, & dies ſuos altiſſimo perpetuo famulando terminare intendunt, nihilominus ipſius Eccleſiæ Plebanus (*b*) & beneficiati Oratorium prædictum de illo forſan ad libitum diſponere ambitioſe ſpirantes dicta laudabili conſuetudine ac Religione ſpretis exponentes ipſas nequiter inquietare ac aliam mulierem loco alterius ibi defunctæ intromitti prohibere & eorum devotionem impedire non erubeſcunt, propter quod exponentes ipſæ Sedis Apoſtolicæ auxilium implorantes ſupplicare fecerunt humiliter, & ſuper hiis per Sedem eamdem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto circumſpectioni veſtræ committimus, quatenus, ſi eſt ita, conſuetudinem prædictam auctoritate & mandato prædictis confirmetis & approbetis, exponenteſque ipſas, & alias Moniales inibi pro tempore recluſas, dummodo non ſint ſuſpectæ, Oratorium ipſum pacifice & quiete poſſidere faciatis, & permittatis, ita quod ſi de præſenti aliqua deeſſet & quoties in futurum deeſſe contigerit alia loco ſui introduci poſſit; præterea eisdem exponentibus & aliis pro tempore ibidem recluſis efficacis deffenſionis præſidio aſſiſtentes non permittatis eas per Plebanum & beneficiatos prefatos aut quocumque Judices & perſonas tam Eccleſiaſticas quam ſeculares quavis etiam Apoſtolica auctoritate fungentes contra tenorem preſentium in perſona bonis & rebus ſuis publice vel occulte directe vel indirecte quovis quæſito colore vel ingenio moleſtari perturbari ſeu quomodolibet inquietari: Contradicentes quoslibet & rebelles per cenſu-

(*a*) Leonardus Roboreus Sixti IV. Nepos Cardinalis à Julio II creatus Anno 1505. Obiit 1520.

(*b*) Joanni Franciſco Riccio ſucceſſit in Plebanatu S. Hermacoræ Anno 1519. Franciſcus Cunario ut dictum eſt Operis hujus Tom. I. pag. 301.

ċenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compeſcendo invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis conſtitutionibus Apoſtolicis & Provincialibus & Synodalibus dictæque Eccleſiæ Statutis & Conſuetudinibus juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub ſigillo officio Pœnitentiæ decimo Kalendas Auguſti Pontificatus Sanctiſſimi Domini Leonis Papæ X. Anno Sexto.

B. de Mantua.

Paulus III. Eremitis S. Hermacoræ confirmat omnes gratias à ſuis Prædeceſſoribus conceſſas eisdem.

E 1539. 9. Junii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph.

A tergo. | *Dilectæ in Chriſto Filiæ Joannæ qu. Baldaſſaris mulieri Eremitæ.*

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ & Conventui Monaſterii Monialium Eremitarum recluſarum in porticu nuncupatarum per Prioriſſam ſoliti gubernari SS. Hermacore & Fortunati Venetiarum Ordinis Sancti Auguſtini ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum à vobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigore equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum, ea propter dilecte in Domino Filie veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates a Fel. record. Innocentii VIII. Julii II. & aliis Romanis Pontificibus predeceſſoribus noſtris, ſive per privilegia vel alia indulta vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & Principibus ac aliis Chriſtifidelibus vobis, & dicto Monaſterio rationabiliter indultas, ſicut eas juſte & pacifice poſſidetis, vobis, & per vos eidem veſtro Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis & communitionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono quinto Idus Junii Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Pius V. Joanni Triviſano Patriarchæ Venetiarum mandat, ut inquirat & ſententiam ferat in controverſia Capituli S. Hermacoræ Venetiarum adverſus Eremitas ejusdem Eccleſiæ S. Hermacoræ.

F

1571. 26. Julii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum apud S. Gervaſium.

Venerabili Fratri Patriarchæ Venetiarum, ſive dilecto filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.

Pius Papa Quintus Vener. Frater ſive dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ricius Plebanus Parochialis Eccleſiæ SS. Ermacoræ & Fortunati Venetiarum & Presbyteri, & Capitulum dictæ Eccleſiæ quod licet dicti exponentes fuerint, & ſint in pacifica poſſeſſione vel quaſi divina Eccleſiæ Sacramenta perſonis eidem Parrochiali ſuppoſitis cujuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus qualitatis, & ordinis exiſtat miniſtrare etiam à tempore, cujus initii memoria hominum in contrarium non exiſtit, & propterea non potuerint, nec debuerint ab aliquo preterquam ab eodem pro tempore Plebano & ceteris ejusdem Eccleſiæ Presbyteri hujuſmodi munera Eccleſiaſtica miniſtrari aut exerceri, niſi ſaltem de predicti Plebani licentia & mandato. Nihilominus mulieres laice Eremitæ nuncupate ſub porticu dicte Eccleſiæ degentes, & aliæ perſonæ eoſdem exponentes in premiſſis ſe intromittere volentes, & alias diverſimode moleſtare velle ſe jactarunt & jactant ac forſan moleſtarunt, & moleſtant preter & contra conſuetudines & ordinationes dictæ Civitatis Venetiarum, ac juris ac Sacrorum Canonum diſpoſitiones in ipſorum exponentium grave damnum & prejuditium, inſeritque plurimum eorumdem exponentium ab hujuſmodi moleſtiis & jactationibus quamprimum via juris eximi & liberari. Quare ipſi nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus cauſam & cauſas jactationis, & jactationum ac moleſtationum hujuſmodi, nec non quam & quas predicti exponentes de & ſuper premiſſis & illorum occaſione contra quaſcumque perſonas cujuſcumque qualitatis ſtatus gradus Ordinis & conditionis exiſtentes una cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus dependentibus emergentibus annexis & connexis ſummarie ſimpliciter & de plano ac prout in beneficialibus alicui perſone in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ audiendas cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas partibus alias juſtitiam miniſtrando cum poteſtate quoſcumque premiſſorum occaſione citandi, ac qui & quoties opus fuerit etiam ſub ſententiis cenſuris Eccleſiaſticis aliiſque pecuniariis ejus arbitrio moderandis & applicandis penis inhibendi; Contradictores & inobedientes quoſcumque ſententias cenſuras & penas ipſas incidiſſe, & incurriſſe ſervata forma Conc. Trident. declarandi, aggravandi reaggravandi interdicendi & auxilium brachii ſecularis ſi opus fuerit invocandi, aliaque in premiſſis neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi dicendi gerendi & exercendi premiſſis ac fel. rec. Bonifatii Pp. VIII. predeceſſoris noſtri de una & Concilii Generalis de duabus dictis dummodo ultra tres dietas quis vigore preſentium ad judicium non trahat, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ſtylo palatii, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque committere & mandare ac alias in præmiſſis oppo-

portu-

portune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum & merita cauſe & cauſarum hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes hujuſmodi ſupplieationibus inclinati, fraternitati tuæ Fr. Patriarcha, ſive diſcretioni tuæ fili Vicarie, per preſentes committimus & mandamus, quatenus vocatis ad id qui fuerint vocandi in præmiſſis omnibus auctoritate noſtra procedendo facias prout de jure erit faciendum.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI. Julii 1571. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Vicarius Generalis Patriarchalis exequitur litteras Gregorii XIII. quibus detentores ſcripturarum ad Eremitas Sancti Hermacoræ pertinentium ad reſtitutionem compelluntur.

G 1573. II. Novembris Datæ.

1574. 3. Aprilis Exequutæ.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph.

JOannes Rennius J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus Eccleſiæ S. Bartholomæi de Rivoalto perpetuus & Reverendiſſ. in Chriſto Patris Domini D. Joannis Triviſani J. U. D. miſeratione Divina Patriarchæ Venetiarum Dalmatiæque Primatis Vicarius in ſpiritualibus Generalis, & in hac parte judex & Commiſſarius Apoſtolicus ut infra ſpecialiter deputatus. Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Plebanis, Capellanis & Curatis Eccleſiarum civitatis, & Dioceſis Venetiarum ſalutem in Domino. Noveritis quod die infraſcripta per Excellentiſſimum J. U. D. Dominum Aloyſium Linghiarium procuratorem, & eo nomine Dominarum Heremitarum degentium ſuper porticu Eccleſiæ Sanctorum Hermacoræ & Fortunati Venetiarum infraſcriptarum nobis preſentatæ fuerunt litteræ patentes Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Gregorii Divina Providentia Papæ XIII. Ejus vera bulla plumbea ad cordulam canapis impendentis munita omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes tenoris ſequentis: Videlicet, Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Patriarchæ Venetiarum, ſeu dilecto filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Significarunt nobis dilectæ in Chriſto filiæ Prioriſſa & Moniales ſeu Sorores Heremitæ nuncupatæ Domus Religioſæ ſub porticu Eccleſiæ SS. Hermacoræ & Fortunati Venetiarum ſub Sancti Auguſtini vel alia regula degentes quod ſicut pretendunt nonnulli utriuſque ſexus iniquitatis filii, qui prorſus ignorant jura, inſtrumenta, ſcripturas, privilegia, conceſſiones, indulta, domui & ſignificantibus prædictis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Epiſcopum Caſtellanum, ſeu Patriarcham Venetiarum pro tempore conceſſa, & alias ſcripturas publicas, & privatas, aliaque documenta, & monumenta, nec non domus utenſilia, legata, pecuniarum ſummas, nonnulla alia, res, & bona etiam latius coram te Fr. Patriarcha, ſeu fili Vicarie pro parte dictarum ſignificantium ſpecificanda, & in exequtione ſeu publicatione præſentium arbitrio tuo declaranda ad domum & ſignificantes

præ-

prædictas legitime ſpectantia temere & maliciose occultare, ac occulte, & indebite detinere preſumpſerint nec non eorum occultatores, & detentores debita revelare non curant in animarum ſuarum periculum, & domus ac ſignificantium prædictarum non modicum detrimentum, ſuper quo eædem ſignificantes Apoſtolicæ Sedis remedium implorarunt. Quocirca fraternitati ſeu diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi cauſa diligenter & magna maturitate per te examinata pro loci rei temporis & perſonarum qualitatibus ſibi pro tua conſcientia videbitur expedire omnes hujuſmodi rerum & bonorum etiam ut prefertur ſpecificandorum, & declarandorum occultatores, & detentores, & de eis notitiam habentes, eaque debita revelare non curantes, adultos ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per te vel alium ſeu alios moneas, ut infra competentem terminum quem eis prefixeris ea prædicta ſignificantibus à ſe debita reſtituant, & occulta debita revelent, ac de eiſdem debitis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant & ſi id non adimpleverint infra alium competentem terminum quem eis ad hoc duxeris peremptorie præfigendum ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas, & eam facias ubi & quando expedire videris uſque ad ſatisfactionem condignam & revelationem debitam ſolemniter publicari. Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Tertio Idus Novembris Pontificatus noſtri Anno Secundo. Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum preſentationem & receptionem nobis, & per nos ut præmittitur factas fuimus pro parte ſupplicantium Dominarum Heremitarum debita requiſiti, quatenus ad iſtarum litterarum Apoſtolicarum & contentorum in eis exequutionem juxta traditam per eas ab Apoſtolica Sede nobis formam procedere deberemus, Nos igitur Joannes Vicarius, & Judex Apoſtolicus antedictus, attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam & rationi conſonam, volenteſque mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur. Idcirco auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte vos omnes & ſingulos ſupradictos alioſque in exequutione præſentium nominandos tenore præſentium monemus & requirimus primò ſecundò tertio & peremptorie, ac vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pena quod canonica monitione præmiſſa, contra vos omnes & ſingulos inobedientes in his ſcriptis ferimus ſi ea quæ vobis in hac parte committimus neglexeritis contumaciter adimplere diſtrictè precipiendo mandamus quatenus omnes & ſingulos utriuſque ſexus perſonas, jura, inſtrumenta, ſcripturas, privilegia, conceſſiones, indulta, dictis Heremitis conceſſa, & alias ſcripturas publicas, & privatas, aliaque domus utenſilia, & alia ſuperius in litteris Apoſtolicis prædictis expreſſa & alia in memoriali forſan dando latius ſpecificanda, & nominanda ad dictas Dominas Heremitas legitime ſpectantia temere & malitiosè occultantes, & detinentes dum pro parte dictarum Heremitarum fueritis requiſiti. Ex parte noſtra immo verius Apoſtolica palam & publicè in Eccleſiis veſtris infra miſſarum ſolemnia & alibi ubi expediens fuerit requiratis & moneatis, quas nos etiam tenore præſentium requirimus & monemus primò ſecundò tertio & peremptorie communiter vel diviſim eiſque nihilominus & eorum cuilibet inſolidum, eiſdem auctoritate & tenore in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pena præcipiendo mandetis, quibus nos ſub eadem excommunicationis pena mandamus, quatenus infra novem dierum ſpatium poſt notificationem ſeu requiſitionem hujuſmodi ſic factas, & poſtquam præmiſſa ad eorum notitiam pervenerint immediate ſequentium quorum novem dierum tres pro primo tres pro ſecundo & alios tres dies pro ultimo, & peremptorio termino aſſignamus: bona, & ſcri-

& ſcripturas ſuperius in litteris Apoſtolicis nominata, & alia latius ſpecificanda, & declaranda in publicationem reſtituere eiſdem heremitis debeant. Scientes vero tales occultatores & pœnas, quas bona jura & ſcripturæ in dictis litteris expreſſa, & exprimenda reperiantur in eodem termino ſub eadem excommunicationis pena revelare teneantur eiſdem Heremitis aut nobis ſeu alteri perſonæ idoneæ qua mediante condigna reſtitutio & ſatisfactio fieri poſſit, ſeu veritatem depoſuiſſe in officio Cancellariæ Patriarchæ Venetiarum quod ſi forte infra hujuſmodi novem dierum ſpatium bona & jura ſæpius expreſſa & in publicationem præſentium exprimenda reſtituere, & exhibere aut de illis ſatisfactionem & revelationem impendere non curabunt, certiores eos reddimus quod Nos in eos generalem excommunicationis ſententiam proferamus quam ſolemniter publicari faciemus. In quorum fidem &c. Datum Venetiis in Ædibus noſtris apud S. Bartholamæum de rivoalto currente Anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Indictione Secunda die vero Mercurii tertia menſis Aprilis præſentibus ad prædicta D. P. Nicolao q. Dominici, & Evangeliſta Sagitta ambobus nuntiis publicis, & juratis Curiæ Patriarchatus Venetiarum teſtibus vocatis & rogatis.

Silvius Galaſſus Auditor Generalis Nuntii Apoſtolici lata ſententia decernit Eremitas Sanctæ Hermacoræ eligere poſſe ſibi Confeſſarium, qui celebrare, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare eis licite & libere poſſit; quam ſententiam confirmavit Nicolaus Galerius Vicarius Paduanus Judex Delegatus.

H 1575. 22. Junii Sententia lata.

1578. 23. Julii Exequutioni mandata.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum Sancti Joſeph.

CHriſti nomine invocato. Pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juris peritorum conſilio ferimus in his ſcriptis in cauſa, & cauſis alias à Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio Pp. XIII. Reverendiſſimo Domino Patriarchæ Venetiarum in prima inſtantia commiſſis, & ſucceſſivè per viam appellationis coram Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Roſſanenſi Legato Apoſtolico Venetiarum introductis, & per eumdem Reverendiſſimum Dominum Legatum nobis Auditori ſuo generali ſpecialiter commiſit, & delegatis inter Reverendas Mulieres Heremitas nuncupatas religioſe viventes perpetuò recluſas ſeu muratas in porticu Parochialis, & Collegiatæ Eccleſiæ Sanctorum Martirum Hermacoræ & Fortunati Venetiarum ex una ac Rev. D. Plebanum & Capitulum Eccleſiæ Parochialis prædictæ de & ſuper adminiſtratione Eccleſiaſticorum Sacramentorum, ac facultate eligendi ſibi confeſſorem vigore Apoſtolicorum privilegiorum ſibi conceſſorum ac celebrari faciendi Miſſam in earum Oratorio ab idoneo Sacerdote ſeculari ſeu regulari, & ab eodem San-

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum recipiendi, rebuſque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latius deductis, & illarum occaſione in ſecunda ſeu alia veriori coram nobis verſis, & vertentibus inſtantia partibus ex altera, ſeu potius partium prædictarum procuratores, viſis videndis, & conſideratis meritò conſiderandis.

Chriſti nomine repetito dicimus, ſententiamus, pronuntiamus, decernimus, & declaramus prefatas Reverendas Heremitas ſub juriſdictione protectione & tutela Reverendiſſimi Domini Patriarchæ Venetiarum exiſtentes, domumque, & locum prædictum ab immemorabili tempore citra ſemper habitum, & reputatum religioſum, incolentes, ac in eiſdem domo & loco perpetuo recluſas, & religioſam vitam ducentes vigore prædictorum privilegiorum ſibi auctoritate Apoſtolica conceſſorum, & antiquæ conſuetudinis poſſe eligere ſibi idoneum Confeſſorem ſecularem, vel Regularem ab ordinario approbatum, qui illarum Confeſſiones infra annum audiat; quique ſeu alius Sacerdos ſecularis & regularis prędictis Heremitis Miſſam in Oratorio prædicto decenter conſtructo & ornato unde propius ad earum majorem conſolationem ſacra audire, & aſpicere poſſint, aliquando celebret & celebrare libere & licitè poſſit, & valeat, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum inde ipſis miniſtret. Dicimus tamen dictas Heremitas teneri & obligatas fore & eſſe prefato Rev. Plebano Parochialis & Collegiatæ Eccleſiæ prædictæ Sanctorum Hermacoræ & Fortunati ſive alii Sacerdoti ex approbatis ab Ordinario de dicti Plebani ſive Ordinarii licentia ſemel ſaltem in Anno videlicet tempore Paſchatis Reſurrectionis D. N. J. C. confiteri peccata ſua, & ab eo ſeu ab alio Sacerdote ſimiliter approbato de ejuſdem Plebani, ſeu Ordinarii licentia Sanctiſſimam Communionem ſuſcipere. Salvo etiam in reliquis jure Parochiali dicto Plebano ſuper ipſis Heremitis utramque partem ab expenſis in cauſa & cauſis hujuſmodi quomodolibet factis, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus abſolventes & ita dicimus &c.

Lacta &c. Die Mercurii 22 Junii 1575.

Ita pronuntiavi Ego Silvius Galaſſus Auditor Generalis in cauſa Commiſſarius.

1575 *Indictione XIII. die Martis 25 Octobris.*

Petitio Reverendorum Domini Plebani, & Presbyterorum SS. Hermacoræ & Fortunati Venetiarum ut in actis Domini Marci Querenghi coram Reverendiſſimo Commiſſario.

Sententia Rev. ac Excellentiſſimi D. Auditoris Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. Legati Venetiarum Judicis, à qua in parte, & partibus lata ad favorem mulierum nuncupatarum *L'Heremite*, & contra Rev. D. Plebanum, ac Capitulum SS. Hermacoræ & Fortunati Venetiarum' eſt iniqua ac injuſta videlicet Primo Dum ipſe Rev. Dominus Judex à quo ipſas mulieres religioſas vocat cum re vera ipſæ religioſæ minime ſint ſed laicæ, & nullo unquam tempore ipſæ profeſſionem fecerint, & Reverendiſſimus D. Patriarcha Venetiarum Ordinarius numquam eas ad faciendum profeſſionem admittere voluit, ſed ipſe Reverendiſſimus Ordinarius ſemper eas laicas habuit & tenuit ac reputavit cum locus ſeu domuncula, in qua degunt ipſe mulieres non ſit locus capax, nec condecens pro Monaſterio, ſed eſt ſimplex domuncula. Colligitur quoque ejus ſententiæ iniquitas dum contra formam Sacroſancti Concilii Tridentini vult quod ipſæ mulieres poſſint celebrari facere miſſam in parte ejus domunculæ, quæ ab ipſo Rev. D. Auditore Oratorium vocatur, cum re vera Oratorium non ſit, ſed ſimplex ingreſſus ipſius domunculæ, & hoc quoque contra mentem Reverendiſſimi D. Patriarchæ Ordinarii Venetiarum quæ etiam hujuſmodi coram ipſo agitabatur cauſa in prima inſtantia. Viſo per ejus Reverendiſſimam

Domi-

Dominationem loco autem licentiam eis concedere noluit. Peccat quoque ejus ſententia dum dicit eas mulieres eſſe recluſas & muratas in dicto loco & domo ſed re vera ipſe non ſint recluſæ & muratæ prout ex viſione ipſius loci Reverendiſſimus D. Patriarcha rectè proſpexit, ac perluſtravit. Iniqua quoque eſt ſententia dum ipſas mulieres ab expenſis abſolvit, quia ex diſpoſitione Juris Communis in ſecunda & tertia inſtantia nulla præſumitur juſta cauſa, neque expurgatio, ſed ex ipſa continuatione comprehenditur pura & mera earum mulierum temeritas. Ideo procurator prædicti Rev. Plebani & Capituli petit per Dominationem Veſtram Reverendiſſimam veſtrumque officium quod ad hoc ſententiari, pronunciari, ac declarari bene fuiſſe, & eſſe proceſſum, declaratum, & ſententiatum per Reverendiſſimum D. Patriarcham Venetiarum & male judicatum & ſententiatum per Rev. D. Auditorem Reverendiſſimi D. Legati in omnibus partibus ſuperius expreſſis & ſubinde quo ad ſuperius expreſſa bene ac recte fuiſſe, & eſſe per procuratorem prædicti Rev. Plebani & Capituli appellatum & procuratum, ipſaſque mulieres in expenſis condemnari, & prædicta petit, inſtat, ac requirit prædictus D. comparens ne dum quo ſupra modo, ſed omni alio meliori modo &c. Salvis &c. Proteſtans &c.

1576 Indictione IV. Die vero Mercurii 18 Menſis Julii Paduæ in Epiſcopali Palatio hora Veſperarum in circa in aula inferiori.

Admodum Rev. ac Excellentiſſimus J. U. D. Dominus Nicolaus Galerius Clericus Paduanus & in Epiſcopatu Paduæ Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Nicolai Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Patavini Comitiſque Saccenſis licet Vicarius Generalis, Et in hac autem parte Judex & Commiſſarius Apoſtolicus ſpecialiter J. U. D. Domino Naſcimbeno Buſchetto Rev. Plebani & Capituli SS. Hermacoræ, & Fortunati Venetiarum & ſpecialiter D. Ludovico Gratiani Notario Epiſcopatus prædicti Ven. Religioſarum Heremitarum nuncupatarum ſub porticu dictæ Eccleſiæ degentium reſpective procuratoribus citatis ad hanc diem & horam ad audiendum ferri & promulgari diſfinitivam ſententiam in cauſa, & cauſis, quæ prima coram Reverendiſſimo Patriarcha Venetiarum in prima, deinde coram Rev. D. Legato Apoſtolico, ſeu Rev. Domino Sylvio Galaſſo ejus auditore in ſecunda, demum coram prædicto Rev. Domino Vicario vigore litterarum, ſeu commiſſionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ inter prædictas partes de, & ſuper certo jure Parochiali rebusque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latius deductis & horum occaſione in tertia ſeu alia verſæ fuerunt & vertuntur inſtantia, ſententiam hujuſmodi ferri & promulgari pro ſe, parteque ſua & contra partem adverſam reſpectivè petentibus viſis primitus ac diligenter inſpectis omnibus & ſingulis actis, actitatis, litteris, ſcripturis, proceſſibus, juribus, & inſtrumentis in hujuſmodi cauſa, & cauſis quomodolibet habitis & exhibitis quibuſcumque viſoque toto proceſſu in hujuſmodi cauſa, & cauſis habito & formato, viſaque citatione pro hac die, & hora ad audiendum diffinitivam ſententiam, viſiſque videndis, & conſideratis meritò conſiderandis pronuntiavit & ſententiavit ut in cedula vidi; à qua quidem ſententia predicti Domini reſpectivè procuratores quatenus faciat contra partes ſuas principales ab ea provocaverunt, & appellaverunt, ac de nullitate reſpectivè dixerunt ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam, ejuſque Sanctam Sedem Apoſtolicam petentes appellationes ſuas admitti, ac ſibi Apoſtolos reverentiales primò, ſecundò, tertiò, inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè concedi omni meliori modo.

Memoratus tunc Rev. D. prædictas

appellationes admiſit ſi, & in quantum &c. ſuper quibus &c. Præſentibus Domino Marſilio Corrario & Domino Marcantonio Solano Notariis publicis Paduæ teſtibus &c.

Tenor Cedulæ.

Chriſti nomine invocato. Pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram difinitivam ſententiam quam ferimus in his ſcriptis in cauſa & cauſis quæ primò coram Reverendiſſimo Domino Patriarcha Venetiarum in prima, deinde coram Reverendiſſimo Domino Legato Apoſtolico, ſeu Rev. D. Silvio Gallaſſo ejus auditore in ſecunda, demum coram nobis vigore litterarum ſeu commiſſionis Sanctiſſimi Domini Noſtri inter Rev. D. Plebanum, & Capitulum SS. Hermacoræ & Fortunati Venetiarum ex una, & Ven. Religioſas Eremitas nuncupatas ſub porticu dictæ Eccleſiæ degentes de & ſuper certo jure Parrochiali, rebusque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latius deductis, & illorum occaſione in tertia ſeu alia verſæ fuerunt, & revertuntur inſtantia partibus ex altera dicimus, pronunciamus, ſententiamus, decernimus, & declaramus bene fuiſſe & eſſe appellatum ex parte prædicti Rev. D. Plebani & Capituli ſententiamque prædictam confirmandam fore, & eſſe, prout confirmamus, moleſtationes, vexationes, & impedimenta quæcumque predictis Ven. Eremitis per predictos Rev. Plebanum ſeu Capitulum quomodolibet factas, preſtitas, & illatas fuiſſe, & eſſe indebitas, & injuſtas, indebitaque & injuſta ac de facto præſumptas & præſumpta illasque & illa eidem Rev. Domino Plebano ſeu Capitulo facere minimè licuiſſe, nec de jure licere ac de & ſuper illis perpetuum ſilentium eidem Plebano, & Capitulo imponendum fore & eſſe prout imponimus ipſumque etiam in expenſis in hujuſmodi cauſa coram nobis dumtaxat quomodolibet legitime factis condemnandum fore, & eſſe prout condemnamus, quam taxationem impoſterum reſervamus & ita dicimus, pronunciamus ſententiamus, decernimus, & declaramus omni meliori modo &c.

Ita pronunciavi Ego Nicolaus Galerius Vicarius & Delegatus.

Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de peritorum conſilio pariter & aſſenſu ferimus in his ſcriptis in cauſa, & cauſis vertentibus inter Rev. Plebanum & Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ SS. Hermacoræ & Fortunati ex una, & Rev. Eremitas ſub porticu dictæ Eccleſiæ commorantes partibus ex altera de & ſuper adminiſtratione Eccleſiaſticorum Sacramentorum ac facultate eligendi ſibi Confeſsorem, vigore Apoſtolicorum privilegiorum, ac celebrari ſibi faciendi Miſſam in ipſarum Oratorio ab ipſo idoneo Sacerdote ſeculari ſeu regulari, rebusque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latius deductis, & illarum occaſione coram nobis ex delegatione Apoſtolica verſis & vertentibus viſis videndis, & conſideratis meritò conſiderandis. Dicimus, ſententiamus, decernimus, & declaramus ſententias tam Rev. Domini Sylvii Galaſsi olim Auditoris Generalis Reverendiſsimi Domini Archiepiſcopi Roſanenſis Nuncii Apoſtolici prædeceſsoris noſtri & in ea cauſa Judicis Apoſtolici ſpecialiter delegati quod Rev. Domini Nicolai Galerii olim Vicarii Paduani & ſimiliter Judicis Apoſtolici ſpecialiter delegati in res tranſiviſse judicatas, & exequendas eſse, & exequi debere prout illas exequi mandamus, eosdem Plebanum & Capitulum in expenſis pro parte earumdem Reverendarum Eremitarum coram nobis legitime factis condemnantes, quarum taxationem nobis impoſterum reſervamus, & ita dicimus &c. omni meliori modo &c.

Lata &c. Die Mercurii 23 Julii 1578

Ita pronuntiavi Ego Annibal de Capua Legatus & in hac cauſa Judex Commiſsarius.

Eremi-

Eremitæ S. Hermacoræ ſupplicant Clementi IX., ut ad tollendas moleſtias Presbyterorum S. Hermacoræ eis concedat, ut emittere valeant Profeſſionem Regularem.

I 1669. 25. Junii.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph, apud S. Gervaſium.

BEatiſsime Pater. Exponùnt S. V. Devotæ ejus Oratrices Prioriſsa, & Moniales Eremitæ nuncupatæ ſub regula & Ordine S. Auguſtini degentes in Monaſterio exiſtente ſuper porticu conjuncto Parochiali Eccleſiæ SS. Martyrum Hermacoræ & Fortunati Civitatis Venetiarum, vitam monaſticam clauſtralem & eremiticam in odorem bone ſame ab immemorabili tempore etiam ducentorum annorum, & ultra ducentes, ac victum, & veſtitum a Sereniſſima Republica Venetiarum continuis temporibus percipientes; Quod licet de & ſuper earum religioſa vita clauſtrali, & eremitica, ac antiquiſsimis privilegiis & immunitatibus a pluribus Summis Pontificibus ipſis omnibus, ſive earum præcedentibus Monialibus conceſsis, & præſertim à ſæl. record. Paulo Pp. III. Innocentio Pp. VIII. Julio Pp. II. & Leone Pp. X. non debuerint, aut potuerint de jure a quoquam moleſtari, perturbari, aut inquietari, viſum tamen fuit Plebano & Capitulo predicte Eccleſie SS. Hermacoræ & Fortunati diutius tam coram Patriarcha Venetiarum, quam Nunciis Apoſtolicis in eadem civitate degentibus & aliis judicibus Apoſtolicis delegatis easdem oratrices ſive tunc in eodem monaſteriolo commorantes vexare, & moleſtare, quæ tandem tres ad ſuum ſavorem ſententias conformes reportarunt tam ſuper earum religioſitate, clauſtrali & eremitica vita, quam ſuper manutentione privilegiorum, & indultorum predictorum, eo tamen reſervato, ut ſemel in anno in feſto videlicet Paſchalis Reſurrectionis D. N. J. C. teneantur ipſi Plebano ſeu alio Sacerdoti de ipſius Plebani ſive Ordinarii licentia peccata ſua confiteri, & ab eo vel alio de predicta licentia Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum recipere, ſalvo etiam in reliquis jure Parochiali, & prout in eisdem ſententiis latius continetur, quarum tenores hic pro expreſsis haberi placeat. Verum Pater Sancte, non contenti predicti Plebanus & capitulum ſuperioribus moleſtiis eisdem monialibus illatis cum nuper Oratrices prefate Monaſteriolum ſuum, & ſeu Oratorium, in quo ſummum Miſſe Sacrificium celebratur, reficere & reſtaurare, & ſeu aliquanto altius tollere vellent de aſsenſu & licentia etiam Patriarchæ Venetiarum, a quo ſicut ab aliis ejus anteceſſoribus aſſidue etiam perſone ipſarum & locus fuerint viſitatæ ac viſitatus reſpective, & viſitantur ſpreto quodammodo predicto Patriarcha, & ejus licentia ad impediendum ejusmodi refectionem, & ſeu erectionem in maximum predictarum Oratricium damnum & prejuditium, ac jurisdictionis Eccleſiaſticæ vilipendium, ſub aſſerto preteſtu, quod ipſæ Oratrices Mulieres laſſæ ſint, coram judicibus ſecularibus predicte Civitatis traxerunt, à quibus tamen prædictæ Oratrices ſententias ſavorabiles reportarunt, & ſubinde ad refectionem predictam devenerunt. Cum autem, Pater Sancte, ex premiſſis quantum predicti Plebanus & Capitulum predictis Oratricibus ſint adverſi infeſti & injurioſi ſatis appareat, & nimis durum ſit ſub jure parochiali eorum eſse, qui & mallevoli, & inimici exiſtunt, ſupplicant propterea humilime S. V. devote ejus Oratrices predicte quatenus earum indemnitati, quieti, & animarum ſaluti paterne conſulendo, ſibique ſpecialem

gratiam faciendo dignetur (ut & cavillationibus omnibus via abſtrahatur) predictis oratricibus concedere, & indulgere, ut tam ipſæ quam aliæ in eorum locum ſuccedentes perpetuis futuris temporibus profeſſionem vitæ monaſticæ & clauſtralis ſub eadem regula S. Auguſtini in manibus ordinarii, & ſeu alterius ab eo deputati vel deputandi ſervatis ſervandis emittere valeant, ipſasque à predicto Parochiali jure in omnibus & per omnia ac penitus eximere & ſub immediata cura Patriarchæ predicti tradere, & committere ac ſub Sanctitatis Veſtræ & Sedis Apoſtolicæ protectione recipere. Salvis reliquis predictis Sententiis, ac privilegiis & indultis quibuscumque Summorum Pontificum præmiſſis a conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ceterisque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque.

Et cum abolitione a cenſ. ad effectum &c.

Clemens IX. Eremitas ſuper porticum S. Hermacoræ degentes ab omni jure Parochialis Eccleſiæ eximit.

1669. 4. Decembris.

Ex Archivo Monaſterii Eremitarum S. Joſeph.

Clemens PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Apoſtolicæ ſervitutis miniſterium, quod inſcrutabilis Divinæ ſapientiæ atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ imponere dignata eſt ſalubriter exequi adjuvante Domino ſatagentes ſacrarum Virginum ſuave Chriſti jugum ſub auſterioris vitæ inſtituto portantium quieti libenter conſulimus, ſicut felici pie earum converſationis progreſſu conducibile in Domino arbitramur. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Religioſæ Virgines Eremitæ nuncupatæ Civitatis Venetiarum, quod ipſæ ab immemorabili tempore ſub regula S. Auguſtini militant, ac in quadam domo recluſæ prope Eccleſiam Parochialem & Collegiatam SS. Hermagoræ & Fortunati dictæ Civitatis ſub Jurisdictione Vener. Fratris Patriarchæ Venetiarum vivunt, perpetuamque ibidem clauſuram ſervant ac Oratorium ſeu Eccleſiam & altare fixum & conſecratum habent, aſſiduisque orationibus & Sacramentorum frequentationi dant operam, & multorum ſæculorum decurſu Religioſæ converſationis ſtudia in earum domo adeo floruerunt, ut a diverſis Romanis Pontificibus, predeceſſoribus noſtris diverſa privilegia gratiæ, & indulta eis conceſſa fuerint, & inter cetera, quod aliquem Sacerdotem ſecularem & regularem ab Ordinario approbatum ſibi in confeſſarium eligere Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari, & Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrari in earum Eccleſia, ſeu Oratorio, aliaque facere poſſent, quæ privilegia cum a dilectis filiis Parocho ſeu Plebano ac Capitulo, & Presbyteris dictæ Parochialis & Collegiatæ Eccleſiæ ejusdem exponentibus in controverſiam adducta fuiſſent, per tres ſententias conformes Sedis Apoſtolicæ Nuntio & Delegatis Apoſtolicis in contradictorio judicio emanatas declaratum fuit, illa ipſis exponentibus competere, & ſuffragare, adiecto tamen quod eædem exponentes tenerentur, & obligatæ forent, & eſſent predicto Plebano ſive alii Sacerdoti ex approbatis ab Ordinario de dicti Plebani, ſive Ordinarii licentia ſemel ſaltem in anno ultimo tempore Paſchatis Reſurrectionis D. N.

J. C. confiteri peccata ſua, & ab eo ſive alio Sacerdote, ut ſupra, Sanctiſſimam Communionem ſuſcipere ſalvo, & in reliquis jure Parochiali dicto Plebano ſuper ipſis exponentibus. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat ex iſta clauſula, ſeu reſervatione juris Parochialis non ſolum nullum ſpirituale bonum eiſdem exponentibus reſultet, quippe que pluries in hebdomada penitentiæ & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenta per miniſterium earum Confeſſarii Ordinarii prædicti recipere ſolent, ſed potius turbatio atque inquietudo earum animabus provenire poſſit in ſegregatione à mundanis, quam tanto vigore ſervant, ut nemini ne quidem earum genitoribus ad crates prodeant in conſpectum; Nobis propterea ipſæ exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi plenam in omnibus, & per omnia à jure Parochiali exemptionem concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictarum exponentium tranquilitati paterno affectu conſulere, easque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtitis ad effectum preſentium dumtaxat conſequendarum harum ſerie abſolventes & abſolutam ſore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium prepoſitorum conſilio eiſdem exponentibus petitam in omnibus exemptionem à jurisdictione Parochi dicte Eccleſiæ SS. Hermagoræ & Fortunati Apoſtolica auctoritate tenore preſentium concedimus ita tamen, ut Vener. Frater modernus, & pro tempore exiſtens Patriarcha Venetiarum quoad functionem communionis Paſchalis quam eiſdem adminiſtrabat predictus Parochus deputare debeat alium Sacerdotem probitate, doctrina, & prudentia idoneum, qui tamen non ſit ex Clero ipſius Eccleſiæ SS. Hermagoræ, & Fortunati. Quo vero ad Confeſſorem privilegia ipſis exponentibus per Sedem Apoſtolicam alias conceſſa ſervari volumus ſalva ſemper in premiſſis auctoritate congregationis prædictorum Cardinalium. Decernentes easdem preſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri, & habere ac dictis exponentibus, & aliis, ad quos & quas ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum etiam & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obſtantibus premiſſis, nec non conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus ſit dictæ Collegiatæ & Parochialis Eccleſiæ aliisve quibusvis & juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus privilegiis quoque indultis. & litteris Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die IV. Decembris MDCLXVIIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Sena-

Senatus Venetus indulget Eremitis ſub porticu S. Hermagoræ degentibus ut in Parœciam S. Gervaſii ſe reducere poſſint.

K 1693. 12. Auguſtii.

Ex Archivo Eremitarum apud S. Gervaſium.

1693. 12. *Agoſtò in Pregadi.*

LE Povere Eremite di S. Marcuola, che vivono nella ritiratezza & con l'eſemplarità ben nota in continue orazioni per il bene della Republica noſtra ſi ritrovano così incomodate, dopo la fabrica della Capella Maggiore della Chieſa Parochiale, & il ſerrare del ſottoportico, che non poſſono godere l'intiero del neceſſario reſpiro, che pure viene loro contaminato dall' impure eſalazioni, che eſcono da quei ſepolcri, che eſiſtono nel ſuolo del ſottoportico medeſimo; In tale ſtato eſſendo loro accaduto incontro, che perſona caritatevole, e pia li ſomminiſtri il modo di traſferire la ſua dimora in luogo più aggiuſtato, & conveniente, ove poſſano à gloria del Signor Iddio preſervarſi. Supplicano per la permiſſione di poter aquiſtare una caſa in Contrada di S. Trovaſo con poco orto, in cui poſſano traſportare il proprio Romitorio con la loro Chieſa aperta; e da rimanere però il tutto ſoggetto alle gravezze ſolite del Laico. Li Proveditori ſopra Monaſterii nelle giurate informazioni hora lette autenticando li fatti ſopra eſpreſſi inſinuano eſſere degne della grazia le ſupplicanti, e ſugeriſcono li raccordi, che ſi ſono inteſi perchè non venga abuſato in alcun tempo della grazia medeſima. Concorrendo però la pietà publica à renderle eſaudite, & conſolate.

L'anderà parte, che per atto della benignità di queſto Conſilio ſia permeſſo alle Madri Eremite di S. Marcuola di far aquiſto d'una caſa con poco orto in Contrà di S. Trovaſo, che paga d'affitto Ducati 120. per traſportar in eſſa il loro Romitorio con la Chieſiola, il che dovrà ſeguire con la ſopra intendenza de Signori ſopra li Monaſterj, che averanno a ben intendere con Monſignor Reverendiſſimo Patriarcha. Doverà così la Caſa come l'orto ſtar ſemper al Laico, e pagar tutte le gravezze con eſſo, ne per qual ſi voglia caſo, o preteſto poſſano eſſe Eremite ecceder il numero di ſei, a che ſia eccitato il zelo de Signori ſopra Monaſterj d'invigilare di continuo. E ſia data facoltà ad ogni Nodaro di ſtipulare gl'Inſtrumenti che occorreſſero in conformità; Onde le ſuddette povere Eremite poſſano con maggior quiete continuar nelle loro devote orazioni per la publica proſperità.

Franceſco Bianchi Nodaro Ducale.

Petrus

Petrus Barbadicus Patriarcha Venetiarum executor Apoſtolicus Conventum Eremitarum apud S. Gervaſium eſſe formale Monaſterium cum perpetua clauſura decernit.

L 1722. 3. Junii.

Ex Archivo Eremitarum apud S. Gervaſium.

PEtrus Barbadicus Miſeratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas ad infraſcripta Executor Apoſtolicus. Vigore facultatis Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ Nobis attribuitur, & impertitur prout ex Reſcripto ejusdem Sacræ Congregationis ſub Dat. Romæ diei 26. Februarii ultimò evoluti facta per Nos actuali viſitatione Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Campanilis, Chori, Refectorii, Dormitorii, aliorumque locorum Conventus M. M. Heremitarum Ordinis S. Auguſtini, hujus urbis, ſervatisque omnibus, & ſingulis quæ per Sacros Canones, Concilium Tridentinum, Conſtitutionesque Apoſtolicas præſcripta, & ordinata ſunt, ac conſideratis ad normam prefati Reſcripti conſiderandis ſumptisque opportunis, & neceſſariis informationibus ſuper redditibus & proventibus, viſis publicis documentis, conſtitoque dictum Conventum cum Eccleſia, Sacriſtia, Campanili, Choro, Refectorio Dormitorio, cæterisque locis, numeris omnibus eſſe abſolutum, ac ſuppellectili tum ſacra, tum profana ſufficienter inſtructum, eique annuum perpetuum redditum pro alendis Religioſis verè, & cum effectu fuiſſe aſſignatum, eumdemmet Conventum, formale Monaſterium cum perpetua clauſura decernimus, & declaramus; adeout deinceps Moniales Profeſſæ, & quæ impoſterum ſolemnem ſuam Profeſſionem emittent ceteræque in Monaſterio degentes Clauſuræ legibus prorſus teneantur, & nemo præterquam in caſibus a Jure permiſſis, ac cum debitis licentiis dictum formale Monaſterium ſub quovis quæſito colore excogitata cauſa & prætextu ingredi poſſit, & valeat, ſub pœnis & cenſuris a Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contra violatores Clauſuræ Monialium inflictis & ita non ſolum præmiſſo ſed & omni alio meliori modo &c.

Datum Venetiis ex Palatio Patriarchali die tertia Menſis Junii 1722. Petrus Barbadicus Patriarcha Venetiarum Executor Apoſtolicus.

Marcus Dominoni J. U. D. Cancell. Patriarchalis mandato.

DE

DE

MONASTERIO
OMNIUM SANCTORUM

IMpendentis ruinæ periculum, quod proxime imminebat veteri Cœnobio S. Margaritæ de Torcello, (quod Ciſtercienſis inſtituti Sanctimoniales incolebant) tum Cœlum grave, & aeris intemperies quibus afflictabatur, in cauſa fuerunt, cur duo Venetiis Aſceteria ponerentur. De eorum quidem altero verba fecimus Tom. III. pag. 387. hujus Operis, ubi enarravimus, quo pacto una ex Sororibus, quæ *Converſæ* vulgo appellantur, e Torcellanis clauſtris egreſſa operam enixe dedit, ut mirabilis fundatio Monaſterii SS. Rochi, & Margaritæ, in Parœcia S. Samuelis perficeretur. Sed ante hæc geſta, jam inde ab anno circiter 1472. contigerat inſtitutio illuſtris Cœnobii ſub Omnium Sanctorum nuncupatione in vicinia SS. Gervaſii, & Protaſii. Porro hoc Monaſterium arctius alligatum videtur Aſceterio S. Margaritæ de Torcello, a quo immediate originem repetit, & ut ita dicam, inſtar partis a toto. Siquidem conſueverat Torcellanum Monaſterium ſubmittere identidem Venetias, ibique alere Sorores

rores

rores quasdam, quæ rem domeſticam curarent, & Monaſterii uſibus opportune comparanda colligerent. Hujusmodi adminiſtræ privatis domibus recipiebantur non ſine gravi incommodo, atque impenſa, fortaſſe etiam non ſine regularis obſervantiæ jactura, raro enim religioſæ perſonæ diu multumque ſub tecto ſæculari degunt, quin aliquem ſæculi pulverem contrahant. Capta igitur opportuna occaſione, quod quædam Veneta Virgo nomen Ciſtercienſi inſtituto Sanctæ Margaritæ Torcellanæ dedit, & in Monaſterii jura domus ejus in vicinia Sanctorum Gervaſii & Protaſii poſita pervenit, Moniales Sanctæ Margaritæ ſupplices libellos Principis pietati obtulerunt, ut ſibi liceret apud eandem domum nonnullas alias domunculas, & areæ ſpatium emere, ubi hoſpitium in Monaſterii formam erigerent, in quo a contubernio ſæcularium ſejunctæ, & tutæ recipi poſſent Sorores, quæ ad res Monaſterii procurandas adventarent Venetias, & aliquantum ſubſiſterent. Annuit Monialium precibus publica authoritas, cumque æqua, & convenientia poſtulari noviſſet, per decretum in Majori Conſilio latum die viii. Aprilis anno MccccLxxii (A) ſancivit, ut adjacentes domui Monaſterii ædiculas, & proximam terræ aream emere poſſent, iisque ſtationem Monialibus opportunam ſuperſtruere. Ædificato itaque in religioſam, ſed pauperem formam hoſpitio, quod magna ex parte ligneis tabulis conſtabat, nonnullæ ex Sanctimonialibus Sanctæ Margaritæ Torcellanæ, ſive ut imminentis ruinæ periculum declinarent, ſive ad Cœli inſalubritatem vitandam, octo omnino, a cæteris receſſerunt ſociis, & ad novam Venetam domum aſſentiente Maphæo Gerardo Venetiarum Patriarcha ſeſe contulerunt.

Eam itaque habitationem cum Sanctimoniales veteri ſuo Monaſterio præferendam cognoviſſent, perpetuam ibi ſedem publicæ authoritatis aſſenſu figere decreverunt, ſacramque ædem eo, quo fas fuit modo, ligneam & anguſtam ſub Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum invocatione extruxerunt, ad cujus quidem operis incrementa plurimum contulit Coronellæ Marzanæ pietas, quæ, cum Marinam filiam ſuam in Torcellanenſi Monaſterio Dei famulatui dicaſſet, opes quoque ad erectionem novi Monaſterii libentiſſime obtulit. Congregatæ itaque Sanctimoniales præhabita Patriarchali facultate, *& Spiritus Sancti gratia invocata, ad honorem Dei, Beatæque Vir-*

DE

MONASTERIO OMNIUM SANCTORUM

IMpendentis ruinæ periculum , quod proxime imminebat veteri Cœnobio S. Margaritæ de Torcello , (quod Ciſtercienſis inſtituti Sanctimoniales incolebant) tum Cœlum grave, & aeris intemperies quibus afflictabatur , in cauſa fuerunt , cur duo Venetiis Aſceteria ponerentur . De eorum quidem altero verba fecimus Tom. III. pag. 387. hujus Operis, ubi enarravimus , quo pacto una ex Sororibus, quæ *Converſæ* vulgo appellantur, e Torcellanis clauſtris egreſſa operam enixe dedit , ut mirabilis fundatio Monaſterii SS. Rochi , & Margaritæ , in Parœcia S. Samuelis perficeretur . Sed ante hæc geſta, jam inde ab anno circiter 1472. contigerat inſtitutio illuſtris Cœnobii ſub Omnium Sanctorum nuncupatione in vicinia SS. Gervaſii, & Protaſii. Porro hoc Monaſterium arctius alligatum videtur Aſceterio S. Margaritæ de Torcello, a quo immediate originem repetit, & ut ita dicam, inſtar partis a toto. Siquidem conſueverat Torcellanum Monaſterium ſubmittere identidem Venetias, ibique alere So-

rores

rores quasdam, quæ rem domeſticam curarent, & Monaſterii uſibus opportune comparanda colligerent. Hujuſmodi adminiſtræ privatis domibus recipiebantur non ſine gravi incommodo, atque impenſa, fortaſſe etiam non ſine regularis obſervantiæ jactura, raro enim religioſæ perſonæ diu multumque ſub tecto ſæculari degunt, quin aliquem ſæculi pulverem contrahant. Capta igitur opportuna occaſione, quod quædam Veneta Virgo nomen Ciſtercienſi inſtituto Sanctæ Margaritæ Torcellanæ dedit, & in Monaſterii jura domus ejus in vicinia Sanctorum Gervaſii & Protaſii poſita pervenit, Moniales Sanctæ Margaritæ ſupplices libellos Principis pietati obtulerunt, ut ſibi liceret apud eandem domum nonnullas alias domunculas, & areæ ſpatium emere, ubi hoſpitium in Monaſterii formam erigerent, in quo a contubernio ſæcularium ſejunctæ, & tutæ recipi poſſent Sorores, quæ ad res Monaſterii procurandas adventarent Venetias, & aliquantum ſubſiſterent. Annuit Monialium precibus publica authoritas, cumque æqua, & convenientia poſtulari noviſſet, per decretum in Majori Conſilio latum die VIII. Aprilis anno MCCCCLXXII (A) ſancivit, ut adjacentes domui Monaſterii ædiculas, & proximam terræ aream emere poſſent, iiſque ſtationem Monialibus opportunam ſuperſtruere. Ædificato itaque in religioſam, ſed pauperem formam hoſpitio, quod magna ex parte ligneis tabulis conſtabat, nonnullæ ex Sanctimonialibus Sanctæ Margaritæ Torcellanæ, ſive ut imminentis ruinæ periculum declinarent, ſive ad Cœli inſalubritatem vitandam, octo omnino, a cæteris receſſerunt ſociis, & ad novam Venetam domum aſſentiente Maphæo Gerardo Venetiarum Patriarcha ſeſe contulerunt.

Eam itaque habitationem cum Sanctimoniales veteri ſuo Monaſterio præferendam cognoviſſent, perpetuam ibi ſedem publicæ authoritatis aſſenſu figere decreverunt, ſacramque ædem eo, quo fas fuit modo, ligneam & anguſtam ſub Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum invocatione extruxerunt, ad cujus quidem operis incrementa plurimum contulit Coronellæ Marzanæ pietas, quæ, cum Marinam filiam ſuam in Torcellanenſi Monaſterio Dei famulatui dicaſſet, opes quoque ad erectionem novi Monaſterii libentiſſime obtulit. Congregatæ itaque Sanctimoniales præhabita Patriarchali facultate, *& Spiritus Sancti gratia invocata, ad honorem Dei, Beatæque Vir-*

ginis Mariæ, *& Omnium Santorum plena concordia & conſenſu*, Euphroſinam Monialem profeſſam S. Maphæi de Majurbio, Marci Berengi filiam, in novi Aſceterii Abbatiſſam poſtulaverunt, & elegerunt ſolemni Circumciſionis Dominicæ die, anno MCCCCLXXIV. (B) Hæ Moniales quamvis in Ciſtercienſi Monaſterio habitum ſacræ Religionis ſuſcepiſſent, attamen (ut in ſupplicibus ad Sixtum IV. datis libellis teſtatæ ſunt) *de conſilio bonæ memoriæ Domini Laurentii Juſtiniani*, (nunc inter Cœlites relati) *tunc Patriarchæ Venetiarum profeſſionem per moniales Ordinis Sancti Benedicti*, *non autem Ciſtercienſis Ordinis emitti ſolitam*, *emiſerunt*, cumque poſtmodum *ab eodem Sanctæ Margaritæ Monaſterio*, *loco humido*, *& male ſano* diſceſſiſſent, *& ad locum nunc Monaſterium Omnium Sanctorum* ſe tranſtuliſſent, officium tamen Divinum juxta Ciſtercienſem ritum pſallere non deſtiterunt, cum *libros veteres & novos juxta dictum ritum*, *quos magna impenſa* ſcribi *fecerant*, apud ſe retinerent. Eapropter, ne in hac ritus & profeſſionis diverſitate diutius inconſulta Apoſtolica Sede permanerent, obſiſtente ad novos libros comparandos earum paupertate, Sixtum IV. Pontificem Maximum exorarunt, ut ad *evitandum impenſam hujusmodi* facultatem recitandi Ciſtercienſe officium, retento tamen Divi Benedicti habitu, & inſtituto ipſis indulgeret, quorum vota cum benigne excepiſſet Pontifex, Paulo Ruſcono Canonico Cervienſi Venetiis commoranti, datis ad eum Apoſtolicis epiſtolis die ultima Decembris anno MCCCCLXXIX. commiſit, ut ad ſupplicationis introcluſæ *executionem juxta ejus continentiam*, *& ſignaturam procederet* (C).

Quamvis autem inter nova clauſtra in ſumma rerum omnium egeſtate precario victitarent, tamen optimo converſationis exemplo Venetas Virgines, atque ex iis plurimas patritio ſanguine procreatas, adeo ad æmulationem ſanctæ vitæ provocarunt, ut brevi tempore in anguſtis ædibus Sanctimoniales ultra XL. numerarentur, quarum egeſtatem miſerata Veneti Senatus pietas, Oratori ſuo in Romana Curia anno MCCCCLXXXVI. die XVIII. Julii commiſit, *ut captata opportunitate* Summo Pontifici Innocentio VIII. *poſt explicatas virtutes*, *& ſanctam vitam* Sanctimonialium Monaſterii Omnium Sanctorum, *ingentem* quoque *paupertatem & calamitatem*, *in qua reperiebantur*, exponeret, ipſique Pontifici *ſupplicaret*,

ut *in*

ut *in præcipuum* Senatus *gratificationem*, *& complacentiam dignaretur ex primis beneficiis ſine cura*, quæ in Veneta ditione vacaſſent, *ipſi Monaſterio concedere*, *& unire tot dictorum beneficiorum*, *quot redderent a Duc.* CCC. *in* CCCC. *in anno*, *ut Sanctimoniales*, quæ ibidem tunc exiſtebant *vivere*, *& alias acceptare poſſent in laudem*, *& gloriam Divini Cultus* (D).

In irritum, (quidquid in cauſa fuerit) preces Veneti Senatus ceſſere, nec tamen humano quamvis auxilio deſtitutæ animo ceciderunt Sanctimoniales, certum ſibi auxilium a Domino affuturum confidentes, qui cum aves cœli paſcat, numquam ſibi ſincero corde deſervientibus, opportuna ad vitæ neceſſitates deeſſe permittit. Hoc piæ Virgines ſingulari prorſus modo non multo poſt expertæ ſunt, ſiquidem ſæculo XVI. ineunte, anno ſcilicet a partu Virginis MDIV. antiqua Deiparæ imago in obſcuro Monaſterii angulo deliteſcens ſupernis ſplendoribus, in nocte feſtum Viſitationis præcedente, cœpit repente manifeſtari, moxque ad anguſtam Eccleſiam deducta, & ſupra aram collocata, adeo conſpicuis, aſſiduiſque claruit prodigiis, ut ex eleemoſynis piorum ultro oblatis elegans Eccleſia extructa fuerit, ſed & Monaſterium firmiori, ampliorique forma reſtitutum.

Interea dum omnem temporalis ſtructuræ ſpem in Domino reponunt Sanctimoniales, de ſpirituali ædificio firmius erigendo, anxiori ſtudio ſollicitæ, Romani Pontificis authoritatem exorarunt, ut ſi ignoranter ex mutatione loci, ſeu inſtituti aliquo excommunicationis vinculo irretitæ eſſent, illud manus Apoſtolica ſolveret. *Juſtis ſupplicationibus inclinatus* Pontifex datis die v. Martii MVID. Apoſtolicis litteris Vicario Generali Patriarchæ Venetiarum mandavit, ut & Sanctimoniales ab omni noxa abſolveret, & in ipſarum Monaſterio Ordinem Ciſtercienſem extingueret, ejuſque loco *Ordinem S. Benedicti inibi* ſubſtitueret (E). Elapſo inde biennio idem Pontifex, votis Sanctimonialium annuens, *Monaſterium Omnium Sanctorum Venetiarum Ordinis S. Benedicti*, iiſdem privilegiis uti voluit, quæ Eugenius IV. aliique Romani Pontifices ex Apoſtolica liberalitate Caſſinenſi Congregationi S. Juſtinæ de Padua indulſerant, aut in poſterum eſſent indulturi. Datæ fuerunt Apoſtolicæ litteræ ad Abbatiſſam & Moniales, die XII. Aprilis

lis Mivd. (F), quas poſtea iterato ampliſſimo diplomate roboravit confirmavitque, die xxvii. Julii anno ſeculari Md. (G).

Templum poſt hæc, ut diximus, Divinæ miſerationis munere amplum ornatumque prodiit, cujus erectionem eleemoſynis erogatis præ cæteris egregie adjuvit Marcus Michael, ut notat emortuale ejus elogium in hoc Templo poſitum.

„ Marco Michaeli Patritio Veneto, Antonii filio, ſingula-
„ ri pietate claro Templi hujus inſtauratori, & hæredibus po-
„ ni fecit. An. 1557.

Familias quoque Patritias Barbadicam, Duodam, atque Priolam, opem, opesque contuliſſe ex traditione receptum eſt; quarum ultima interiorem Chorum, & exteriorem Templi proſpectum propriis ſumptibus erexit.

Tempus conſecratæ Eccleſiæ ex marmorea tabula innoteſcit his notata verbis.

D. O. M. E. O. S.

„ Hoc Templum conſecratum fuit per R. D. D. Hierony-
„ mum Ragazinum Epiſcopum Caprulenſem, tempore R. D.
„ Luciæ Michael Abbatiſſæ Anno Dom. Mdlxxxvi. xi. Kal.
„ Auguſti.

Corpora Sanctorum Mauritii & Demetriæ Martyrum, aliorumque plurimorum Sanctorum Martyrum lipſana, olim in cryptis Romanæ Urbis quieſcentia, ad hujus Eccleſiæ aras decentibus incluſa loculis aſſervantur.

Aræ majoris tabulam glorioſos Paradiſi cives exhibentem, adeo ad vivum expreſſit Paulus Calliarius, ut aliquam Paradiſi ſpeciem præſeferre videatur. Oſtiolum Tabernaculi, in quo Chriſtus viſitur a mortuis reſurgens, & Organi pneumatici valvas, quæ extrinſecus Epiphaniæ myſterium, intrinſecus vero quatuor Latinæ Eccleſiæ Doctores diligenti opere repræſentant, ipſe ſupralaudatus Paulus depinxit.

Anno Mdxviii. die vi. Auguſti Antonius Contareno Venetiarum Patriarcha, ut Monaſteria Sanctimonialium, quæ ex laxiori vivendi ratione Conventuales vocabantur, reformaret, prout ſibi per Apoſtolicas litteras Leo Papa X. mandaverat, ad Cœnobium Sanctorum Blaſii & Cataldi in regulari obſer-

ſervantia reſtituendum, quatuordecim ex his Omnium Sanctorum Clauſtris, quibus tunc præerat Abbatiſſa Maria Marcello, eduxit, miræ probitatis Virgines, atque ex iis Cyprianam Lando cæteris Antiſtitam præfecit, eo conſilio, ut ad Judaicæ Monaſterium adductæ hortationibus, & exemplo collapſam diſciplinam ibidem reſtituerent, quod quidem Deo adjuvante egregie præſtiterunt.

Majus Conſilium Venetiarum concedit Monialibus S. Margaritæ Torcelli facultatem emendi domos, & ædificandi habitationes pro uſu ipſarum quando Venetias venire oporteat.

A 1472. 8. Aprilis.

Ex Archivo Monaſterii Omnium Sanctorum.

NIcolaus Thronus Dei gratia Dux Venetiarum &c. Ad perpetuam rei memoriam. Pateat univerſis has noſtras litteras inſpecturis. Quod die XXIIII. menſis Martii proxime preteriti in noſtro majori concilio capta fuit gratia tenoris infraſcripti videl. nihil eſt quod libentius noſtrum dominium faciat, quam petitiones eorum qui Deo deſerviunt exaudire & in his maxime que ad augmentum religioſorum eſſe dinoſcuntur. Itaque intellecta ſupplicatione Venerabilis Abbatiſſe & Monialium S. Malgarite de Torcello exponentium pro neceſſitatibus domus ſeu Monaſterii ſui aliquas ex ſororibus prædictis Venetias venire oportere cum incommoditate profecto non modica cum ſibi deſit quo divertere habeant ubi habita ratione hàbitus conditioniſque earum: Et ad Monaſterium ſuum pervenerit ob profeſſionem cujusdam earum Sororis quedam domus in Contrata S. Baſilii ad quam divertere poſſent quando eis concederetur facultas emendi alias caſas contiguas & terrenos vacuos ſeu preſentandi & edificandi: Conſultoque nobis à Rever. Domino Patriarcha ut dictis Monialibus eam gratiam faciamus pro commoditate ipſarum Monialium: Fiat eisdem gratia quod preſentare & emere poſſint in dicta Contrata Sancti Baſilii aliquas domos & territoria contigua domus ipſius Monaſterii & in eis edificare habitationes, & officia, ac alia neceſſaria ut in eis commode habitare poſſint & clauſas ſtare ut convenit religioni & earum profeſſioni ſicut nobis humiliter ſupplicarunt. Quare mandamus quibuscumque judicibus, & Officialibus noſtris hujus noſtræ Civitatis Venetiarum preſentibus & futuris quorum intereſt aut quomodolibet intereſſe poterit ut ſupraſcriptam gratiam obſervent faciantque inviolabiliter obſervari.

Datum in noſtro Ducali Palatio die VIIII. Aprilis Indict. V. MCCCCLXXII.

Monia-

Moniales Omnium Sanctorum de Venetiis congregatæ eligunt in primam Abbatiſſam ſui Monaſterii Euphroſinam Berengo Monialem S. Maphæi de Majurbio.

B

1474. 1. Januarii.

Ex Autographo in Monaſterio Omnium Sanctorum.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto Indictione ſeptima die primo menſis Januarii. Congregato & ſolemniter coadunato Capitulo Monaſterii Monialium Omnium Sanctorum Venetiarum Caſtellanæ Dioceſis ad ſonum campanele prout moris eſt penes feneſtram parlatorii, de licentia, & conſenſu, ac mandato Venerabilis D. Sororis Margaritæ Marcello vice Prioriſſæ dicti Monaſterii, in quo quidem capitulo interfuerunt ipſa prefacta Domina Soror Margarita Soror Benedicta Soror Paula Soror Franciſca Soror Corona omnes Moniales profeſſe dicti Monaſterii Soror Michaela Soror Iſabetta Soror Maura Monialesque ſed nondum profeſſe ad tractandum & diſponendum & elligendum in ipſarum, & dicti Monaſterii Abbatiſſam convenerunt, & ſe adunaverunt & ad hec infraſcripta agenda prehabita licentia à Reverendiſſimo D. Mapheo Girardo digniſſimo Patriarcha Venetiarum ut aſſeruerunt Spiritus Sancti gratia invocata, & ad honorem Dei beateque Virginis Marie & Omnium Sanctorum plena concordia conſenſu & voluntate omnium & ſingularum predictarum monialium ut ſupra nominatarum, Ac omni meliori modo via jure & forma quibus magis & melius potuerunt & poſſunt pro bono utili gubernatione & evidenti cauſa dicti Monaſterii & capituli, elligerunt, & aſſumpſerunt, & in Abbatiſſam poſtulaverunt & elligendo poſtulant, & pie eſſe volunt honeſtam Sororem Ufraſinam Monialem & profeſſam in Monaſterio Sancti Maphei de Majurbio Caſtellanæ Dioceſis filiamque q. ſ. Marci Berengo. Et hec omnia & ſingula fecerunt, & elligerunt hoc modo vel quocumque alio quo ipſa ellectio valere poteſt melius & tenere valeat & teneat pleno jure. Mandantesque mihi notario infraſcripto ut de hiis omnibus & ſingulis publicum fieri debeam inſtrumentum ad fidem & teſtimonium premiſſorum. Actum Venetiis in parlatorio ſupraſcripto preſentibusque ſ. Lodovico filio ſ. Angeli Nauta de contrata S. Gervaſii & Francho del Mendelo diſtrictu Mediolani Lanaro filio q. Petri Durati habitatore Venetiarum in confinio Sancti Pauli pro teſtibus ad premiſſa habitis vocatis ſpecialiterque vocatis, & aliis.

Ego Blaſius de Leonardis q. D. Michaelis de Venetiis Contratæ S. Gervaſii publicus Imperiali auctoritate Notarius premiſſis interfui & rogatus mandato ſcripſi & publicavi ſignumque mei tabellionatus officii conſuetum appoſui in fidem & teſtimonium ſupraſcriptorum.

Sixtus IV. Monialibus Omnium Sanctorum de Venetiis ob earum paupertatem indulget ut quamvis ſub Ordine Divi Benedicti profeſſionem emiſerint, Officium tamen ritus Ciſtercienſis pſallere valeant.

C

1479. 31. Decembris.

Ex Autographo in Monaſterio Omnium Sanctorum de Venetiis.

SIxtus Papa IIII. Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Mittimus tibi ſupplicationem preſentibus introcluſam manu noſtra ſignatam. Volumus igitur & tibi committimus & mandamus ut ad illius executionem procedas juxta ejus continentiam & ſignaturam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die ultima Decembris milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono. Beatiſſime Pater. Dudum devote oratrices veſtre Abbatiſſa & Moniales Monaſterii omnium Sanctorum Venet. in Monaſterio Sancte Margarite Ordinis Ciſtercienſis Torcellane Dioceſis de conſilio bonæ memoriæ Domini Laurentii Juſtiniani tunc Patriarchæ Venetiarum profeſſionem per moniales Ordinis ſeu regulæ Sancti Benedicti non autem Ciſtercienſis Ordinis predicti emitti ſolitam emiſerunt: ac deinde cum licentia Rev. Patris Domini Patriarche Venetiarum moderni ab eodem Monaſterio Sanctæ Margaritæ loco humido & male ſano, & in quo ut plurimum predictæ oratrices infirmabantur diſceſſerunt & ad locum nunc Monaſterium Omnium Sanctorum Venetiarum nuncupatum Ordinis Sancti Benedicti antedicti ſe tranſtulerunt: quod quidem Monaſterium juxta earum facultates & elemoſinas ſibi erogatas edificarunt ac edificant in eoque ſub laudabili obſervantia degunt, ac offitium juxta morem ſeu regulam Ordinis Ciſtercienſis prefacti cum juxta dictum morem ſeu regulam libros veteres & novos cum quibus dictum offitium dicunt, habeant, quos magna cum impenſa ſcribi fecerunt, ab illo tempore citra continue dixerunt, dicuntque & impoſterum dicere cupiunt. Conſiderantes quod ſi ſecundum morem ſeu regulam Sancti Benedicti prefacti idem offitium dicere debuiſſent ac de preſenti & in futurum deberent, eis libri predicti penitus inutiles redditi fuiſſent prout de preſenti & in futurum redderentur, & ſi libros alios juxta morem ſeu regulam S. Benedicti predicti ſcribi facere coactæ fuiſſent, & nunc cogerentur magna eis quæ pauperime ſunt fuiſſet, & eſſet impenſa niſi offitium predictum modo premiſſo de licentia & diſpenſatione V. S. dicere etiam de cetero valerent: Ad evitandum igitur impenſam hujuſmodi & ut ipſe pauperes oratrices ad edificium ipſius Monaſterii levius & commodius ut deſiderant intendere valeant. Supplicant humiliter eidem S. V. oratrices prefate quatenus eis gratiam ſpecialem facientes: ac indempnitati earumdem conſulentes, & paupertati compatientes alicui probo viro in partibus committere & mandare dignemini ut de premiſſis ſe diligenter informet, & ſi ea veritate fulciri repererit eiſdem Abbatiſſe & monialibus ut dictum offitium juxta Ordinis Ciſtercienſis predicti morem ſeu regulam dicere etiam de cetero valeant prout hactenus dixerunt licentiam & facultatem concedat ac cum illis ſuper eo diſpenſet: illaſque ſi forſan ex eo quia dictum offitium ſecundum morem ſeu regulam Sancti Benedicti hactenus non dixerunt peccatum aliquod incurriſſent, ab eodem abſolvat. Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac ſtatutis dicti Ordinis S. Benedicti & privilegiis eidem Ordini forſan conceſſis & impoſterum concedendis

dendis ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. In fine autem dictæ ſupplicationis ſcripta erant de alterius manu littera priori littere penitus diſſimili, & omnino diverſe *Fiat ut petitur*. *F.* & per breve S. V. attenta dictarum oratricum paupertate *Fiat*. *F.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo Kalendas Januarii Anno nono.

A tergo. | Dilecto Filio Paulo Ruſcono Canonico Cervienſi Venetiis commoranti.

Senatus Venetus Oratori ſuo in Curia Romana committit ut a Summo Pontifice Sixto IV. impetret aliqua beneficia pro Monaſterio Omnium Sanctorum de Venetiis.

D 1486. 18. Julii.

Ex Archivo Omnium Sanctorum.

MCCCCLXXXVI. Die XVIII. Julii in rogatis in libro X. ſ. Antonio Lauredano Equiti Oratori noſtro in Curia.

INter reliqua venerabilia Monaſteria Religioſarum & Sanctarum Monialium hujus Civitatis noſtre eſt Monaſterium intitulatum Omnium Sanctorum in quo vivunt ad XL. mulieres Nobilium, & Civium noſtrorum tanta cum honeſtate integritate, & religione, ut nihil magis deſiderari poſset & quoniam numerus ipſarum venerabilium Sanctimonialium, ob earum exemplarem vitam quotidie magis augetur & non habenti Monaſterio aliquos introitus, exceptis tantummodo elemoſinis, non ſolum in eo acceptari non poſsunt alie mulieres nobilium & aliorum Civium que libenter in illud ingrederentur. Verum etiam quæ in preſentiarum reperiuntur coguntur vivere in ingenti paupertate, & calamitate cum incommodis & ſiniſtris multis: & propterea volumus & cum Senatu noſtro vobis imperamus ut captata opportunitate ſitis cum Summo Pontifice: Cujus Beatitudini poſt explicatas virtutes & ſanctam vitam predictam Venerabilium Religioſarum ingentem paupertatem & calamitatem in qua reperiuntur concurſum mulierum cupientium illis aggregari & demum ſingularem affectum, quo dictum Monaſterium proſequimur reverenter ſupplicabitis, dignetur Beatitudo ſua in noſtram precipuam gratificationem & complacentiam ex primis benefitiis ſine cura quæ vacabunt in ditione noſtra concedere ipſi Monaſterio vel cum eo unire ſicuti melius & expedientius Sanctitati Suæ videbitur tot dictorum beneficiorum quod redant a Duc. 300. in 400. in Anno ut & Sanctimoniales quæ in preſentiarum ibi exiſtunt vivere, & alias acceptare poſſint in laudem & gloriam Divini cultus, & noſtram non mediocrem ſatisfactionem & contentamentum; & in hoc utemini omni acurato ſtudio & ſolertia, ut mediante opera, & prudentia veſtra hujus honeſti noſtri deſiderii compotes evadamus.

Consiliarii.

{ ſ. Lucas Navajerio. ſ. Fantinus de Peſaro. } { ſ. Zacharias Barbaro. ſ. Benedictus Triviſano. }

Ale-

Alexander VI. Vicario Patriarchali Venetiarum committit, ut in Monaſterio Monialium Omnium Sanctorum de Venetiis Ordinem Ciſtercienſem extinguat, atque ejus loco Ordinem S. Benedicti cum omnibus privilegiis ei annexis inſtituat.

E 1494. 5. Martii.

Ex Archivo Monaſterii Omnium Sanctorum.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Patriarche Venetiarum in ſpiritualibus generali ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicæ Sedis indefeſſa clementia recurrentibus ad eam poſt exceſſum cum humilitate perſonis preſertim ſacre religioni aſtrictis libenter ſe propitiam & benignam exhibere, & dum id humiliter petierint ſue pietatis gremium aperire ac ad ea intendere conſuevit per quæ perſonarum earumdem ſtatui & quieti valeat provideri. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſe & Conventus Omnium Sanctorum Venetiarum Ciſtercienſis Ordinis petitio continebat quod olim ipſe que alias in Monaſterio Sancte Margarite Torcellane dicti ordinis degebant ob aeris intemperiem, ac alias quamplures incommoditates quæ inibi patiebantur de Sedis predicte licentia ad certam domum in civitate Venetiarum conſiſtentem, & ad dictum Monaſterium legitime pertinentem tranſlate fuerunt dictaque domus in Monaſterium ipſius Ciſtercienſis Ordinis ſub invocatione Omnium Sanctorum erecta fuit, ac a tunc Patriarcha Venetiarum licentiam obtinuerunt quod in dicto Monaſterio erecto, ut Moniales Ordinis Sancti Benedicti permanere & profeſſionem per Moniales dicti Ordinis S. Benedicti emitti ſolitam emittere poſſent prout emiſerunt, & ex tunc ſe ſemper pro Monialibus dicti Ordinis S. Benedicti geſſerunt ipſumque Monaſterium erectum etiam Monaſterium Ordinis S. Benedicti hujuſmodi habitum & reputatum fuit. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat quia dictum Monaſterium Sancte Margarite ipſius Ciſtercienſis Ordinis erat & ad dictum Ciſtercienſem Ordinem alias quam ut prefertur tranſlate non fuerunt dubitent Abbatiſſa prefata & dicte in Chriſto filie Moniales dicti Monaſterii Omnium Sanctorum apoſtaſiam, ac excommunicationis ſententiam incurriſſe ſeque propterea deſuper moleſtari poſſe tempore procedente pro parte Abbatiſſe & Monialium predictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ipſas & earum ſingulas ab apoſtaſia ac excommunicationis ſententia hujuſmodi ſi quam propterea incurrerunt & etiam pro eo quod officium dicti Ciſtercienſis Ordinis ex tunc dixerunt & celebrarunt ſi in aliquo exceſſiſſent ab exceſſu hujuſmodi abſolvere dictumque Ordinem Ciſtercienſem in ipſo Monaſterio Omnium Sanctorum penitus ſupprimere & extinguere ac Ordinem Sancti Benedicti hujuſmodi inibi inſtituere aliaſque eis & eorum ſtatui in premiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes quod prefate Sedis exuberans clementia cum humilitate petentibus ſue pietatis gremium aperire non denegat ipſaſque Abbatiſſam & Moniales earumque ſingulas à quibuſcumque excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis a jure vel ab homine quavis alia quam premiſſorum occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodate exiſtunt ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus Abbatiſſam & ſingulas

 Monia-

Moniales prediſtas ſi hoc humiliter petierint ab apoſtaſia ac excommunicationis ſententia hujusmodi ſi illas incurrerunt nec non exceſſu quem ratione officii hujusmodi commiſerunt auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta injunctis inde eis pro modo culpe penitentia ſalutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda ac in ipſo Monaſterio Omnium Sanctorum Ordinem Ciſtercienſem penitus dicta auctoritate ſupprimas & extinguas ac Ordinem S. Benedicti hujusmodi inibi inſtituas & quod de cetero ſit Monaſterium dicti Ordinis S. Benedicti ſtatuas & ordines. Et nihilominus ſi abſolutionem & alia premiſſa per te vigore preſentium fieri contingerit ut prefertur ipſis Abbatiſſe & Monialibus ut in dicto Monaſterio Omnium Sanctorum ſub regula & habitu dicti Ordinis Sancti Benedicti permanere ſuperioris ſui, & cujusvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac eis & Monaſterio Omnium Sanctorum hujusmodi ut omnibus & ſingulis gratiis privilegiis libertatibus immunitatibus exemptionibus indulgentiis & indultis aliis dicti Ordinis Sancti Benedicti Monaſteriis & Monialibus in genere conceſſis & concedendis impoſterum uti potiri & gaudere libere ac licite poſſint & debeant eadem auctoritate indulgeas. Non obſtantibus premiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ſtatutis quoque & conſuetudinibus Monaſteriorum & ordinum predictorum juramento confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto Tertio Nonas Martii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Alexander VI. Monialibus Omnium Sanctorum de Venetiis exemptiones, & privilegia per præceſſores ſuos Congregationi Caſſinenſi S. Juſtinæ olim conceſſa, indulget.

F   1496. 12. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii Omnium Sanctorum de Venetiis.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii Omnium Sanctorum Venetiarum Ordinis Sancti Benedicti Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Devotionum veſtrarum ſinceritas promeretur ut votis veſtris in hiis preſertim quæ ad veſtrarum animarum ſalutem cedere valeant quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Sane exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat quod licet nos alias de Monaſterio Sanctæ Margaritæ Torcellane Diocceſis Ciſtercienſis Ordinis cujus olim Moniales eratis ob aeris intemperiem, ac quamplures alias incommoditates quas inibi patiebamini ad quamdam domum in Civitate Venetiarum conſiſtentem, & ad dictum Monaſterium legitime pertinentem transferendi, & ipſam domum in Monaſterium ſub invocatione Omnium Sanctorum erigendi & ipſo Monaſterio poſtquam erectum foret dictum Ciſtercienſem ordinem penitus ſupprimendi, & extinguendi ac Ordinem Sancti Benedicti inſtituendi & plantandi ac quod tunc de cetero Monaſterium dicti Ordinis Sancti Benedicti eſſe deberet ſtatuendi & ordinandi vobisque in dicto Monaſterio Omnium Sanctorum ſub regulari habitu Ordinis

Sancti

Sancti Benedicti permanendi licentiam à Sede Apoſtolica obtinueritis & premiſſa omnia debite executioni demandaveritis nihilominus ut privilegiis & gratiis Congregationi Sanctæ Juſtinæ de Padua ejuſdem Ordinis Sancti Benedicti in genere conceſſis gaudere poſſetis, prout cupitis propter inadvertentiam petere obmiſiſtis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum ut in premiſſis vobis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui perſonarum religioſarum omnium preſertim feminei ſexus votis per quæ animarum earum ſalutem provenire conſpicimus libenter annuimus vos & veſtrarum quamlibet à quibusvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodate exiſtitis ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati vobis modernis dictoque veſtro Monaſterio Omnium Sanctorum, & aliis pro tempore in eo exiſtentibus Abbatiſſis & Monialibus nec non dicti veſtri Monaſterii Omnium Sanctorum Converſis Capellanis Confeſſoribus & ſervitoribus ſimiliter pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis indultis gratiis privilegiis immunitatibus exemptionibus & prerogativis per Sedem Apoſtolicam & alias dicte Congregationi S. Juſtine in genere conceſſis & concedendis ac quibus dicta Congregatio gaudet utitur & potitur ac uti & gaudere poterit quomodolibet in futurum uti potiri & gaudere libere & licite valeatis auctoritate Apoſtolica tenore preſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac dicte Congregationis juramento Confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre abſolutionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo Sexto Pridie Idus Aprilis Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Alexander VI. privilegia Congregationis S. Juſtinæ, alias Monaſterio Omnium Sanctorum de Venetiis conceſſa, ampliſſimis verbis confirmat.

G 1500. 27. Julii.

Ex Autographo in Monaſterio Omnium Sanctorum.

ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſe & Monialibus Monaſterii Omnium Sanctorum Venetiarum Ordinis Sancti Benedicti ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Expoſuit veſtre devotionis ſinceritas, & Religionis promerens honeſtas ut tam vos ſpeciali devotione proſequamur quam Monaſterium noſtrum condignis honoribus attollamus. Dudum ſiquidem pro parte veſtra nobis expoſito, quod licet alias de Monaſterio Sanctæ Margaritæ Torcellan. Ciſtercienſis Ordinis cujus alias moniales fuiſtis ob aeris intemperiem ac quamplures alias incommoditates quas inibi patiebamini ad quandam domum in Civitate Venetiarum conſiſtentem & ad

dictum Monaſterium legitime pertinentem transferendi & ipſam domum in Monaſterium ſub invocatione Omnium Sanctorum erigendi & ipſo Monaſterio poſtquam erectum foret dictum Ciſtercienſem Ordinem penitus ſuprimendi, & extinguendi & Ordinem Sancti Benedicti inſtituendi, & plantandi ac quod de cetero tunc Monaſterium dicti Ordinis Sancti Benedicti eſſe deberet ſtatuendi & ordinandi vobiſque in dicto Monaſterio Omnium Sanctorum ſub regulari habitu Ordinis S. Benedicti permanendi licentiam à Sede Apoſtolica obtinueratis. Nihilominus ut privilegiis & gratiis Congregationi S. Juſtinæ de Padua ejuſdem Ordinis S. Benedicti in genere conceſſis gaudere potuiſſetis prout cupiebatis propter inadvertentiam petere omiſiſtis. Nos tunc veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinati vobis tunc & aliis in dicto Monaſterio Omnium Sanctorum pro tempore exiſtentibus Abbatiſſis & Monialibus nec non dicti veſtri Monaſterii Omnium Sanctorum Converſis Capellanis Confeſſoribus & ſervitoribus ſimiliter pro tempore exiſtentibus ut omnibus & ſingulis indultis gratiis privilegiis immunitatibus exemptionibus, & prerogativis per Sedem Apoſtolicam & alias dicte Congregationi S. Juſtinæ in genere conceſſis & ex tunc imposterum concedendis, ac quibus dicta Congregatio gaudebat, utebatur, & potiebatur ac uti potiri & gaudere poterat quomodolibet in futurum uti potiri & gaudere potuiſſetis per alias noſtras litteras indulſimus prout in illis in quibus privilegiis & indultis hujuſmodi in quibus caveri dicitur expreſſe quod privilegia & indulta predicta ad perſonas religioſas dicti vel alterius ordinis non intelligantur extendi niſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa & individua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio fieret & quod illis non niſi ſub certis inibi expreſſis modo & forma derogari poſſet plene & ſufficienter derogatum non extitit ac quod licentia à Sede Apoſtolica ut premittitur conceſſa executioni debite demandata fuerat expreſſum fuit plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat vos dubitatis propterea litteras hujuſmodi de ſubreptionis vitio notari illarumque effectu fruſtrari poſſe tempore procedente nos ne littere predicte vobis minime fructuoſe reddantur providere volentes vos & veſtrarum quamlibet à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtitis ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati volumus & Apoſtolica vobis auctoritate concedimus quod littere prædicte & inde ſecuta quecumque a Dat. preſentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant & vobis ſuffragentur in omnibus & per omnia perinde ac ſi in illis de privilegiis hujuſmodi modo premiſſo expreſſa mentio facta eiſque ſufficienter in ea pro parte que litteris Apoſtolicis obviaret derogatum adeo quod privilegia & indulta hujuſmodi ad vos veſtraſque Converſas Capellanos Confeſſores & in Servitores ſe extenderent voſque omnes in illis comprehenderent conceſſum & indultum fuiſſet, & quod dicta licentia executione demandata fuerat expreſſum minime fuiſset, Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis nec non omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obſtare ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre abſolutionis voluntatis, & conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vi. Kalendas Auguſti Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

P. de Dalleoleti.

DE

DE
MONASTERIO
SANCTI SEBASTIANI
CONGREGATIONIS B. PETRI DE PISIS.

PRima Eremiticæ vitæ exordia B. Petrus de Gambacurtis Nobilis juvenis Piſanus in agro Urbinate poſuit ad radices Ceſſanæ Montis eo loci, qui Monsbellus (*Montebello*) nuncupatur. Illuc anno 1380. cum ejus ſanctitatis fama latius quotidie manaret, quamplurimi certatim aſperrimum vitæ genus amplexari feſtinabant, unde novæ Congregationis origo, quam pius Fundator pro eximia, qua Divum Hieronymum veneratione proſequebatur, de ejuſdem Sancti Doctoris nomine nuncupari mandavit. Novo inſtituto, cujus ſanctimoniæ odor ſeſe diffuderat, nomen dedit anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, Fr. Angelus de Corſica Tertii Ordinis S. Franciſci, qui Eremitorium Ariminenſe S. Hieronymi de Scolca a Carolo Roberto Malateſta Arimini Domino dono acceptum, cum aliquot aliis ex ipſo Tertio Ordine Fratribus incolebat. Hic eo ipſo ingreſſæ Congre-

gre-

gregationis anno Venetias cum aliquot ſociis venit, ut in ea Urbe pietate, & opibus florentiſſima novi Monaſterii exordia diſponeret. Qualem ſibi novi Eremitæ civium omnium amorem, & admirationem conciliaverint, ex eo patet, quod ipſo ſui adventus anno ex erogatis piorum eleemoſynis domum in Divi Raphaelis Parœcia ſibi compararint, in qua olim fuiſſe hoſpitale mulierum a Triviſana gente fundatum refert Dominicus Martinellus in libro *il Ritratto di Venezia*. Eam domum Benedictus Triviſanus, Bertuccius Valerius, & Franciſcus Molinus nomine Fr. Angeli de Corſica a Nobili Muliere Suoradamore Triviſana dato pretio coemerunt, ut ibidem Hoſpitium, & Oratorium conſtrueretur pro novis Eremitis ob Chriſti amorem pauperibus. Venditionis tabulas rogavit die 4. Julii anno 1393. Stephanus de Matthæis Presbyter & Notarius. (A)

Nec civium tantummodo benevolentiam, ſed & ſupremam Principis gratiam ſanctiſſimis virtutum exemplis in ſe provocaverunt, ex cujus munere proceſſit, ut pro alimonia vitæ, quam ad imitationem Sanctorum Apoſtolorum ducebant, poſſent eleemoſynas quærere *a volentibus ſibi benefacere pro amore Dei*. Ducale diploma datum anno MCCCXCIII. quod dimidiatum affert P. Joannes Baptiſta Sajanellus, in libro cui titulus *Hiſtorica Monumenta Ordinis Sancti Hieronymi*, integrum exhibemus:

Antonius Venerio Dei Gratia Dux Venetiarum.

„ Tenore præſentium univerſis, & ſingulis facimus mani-
„ feſtum; Quod cum noſtris conſiliis minori, & de XL. mi-
„ ſericorditer conceſſimus Fratri Angelo, & ſociis pauperibus
„ Heremitis, qui faciunt vitam Sanctorum Apoſtolorum, quod
„ intuitu miſericordiæ, & pietatis poſſint pro ſubſtentatione,
„ & victu ſuo ire in modum elemoſinandi ſuper plateis a vi-
„ no, & accipere elemoſinam vini a volentibus ſibi benefa-
„ cere amore Dei, pro ut faciunt alii, quibus conceſſum eſt
„ poſſe quærere eleemoſinam vini ſuper plateis a vino non
„ ſubjacentibus benefacientibus ſibi, vel dantibus eleemoſinam
„ vini, aliquibus pœnis, vel ordinibus qui quantum in hoc
„ ſint revocati.

„ Data in noſtro Ducali Palatio die ſecunda Menſis De-
„ cembris, Indictione ſecunda 1393.

His

His actis primus Pauperibus Eremitis Rector præficitur Archangelus Eugubinus, mox Benedictus Siculus, qui cum Beato Fundatori inter ipſius diſcipulos quarto loco adhæſiſſet, ab ipſo Venetias miſſus de Monaſterii fundatione, & incrementis per quinquaginta fere annos optime meruit. Ut autem comparatæ domus poſſeſſio firmior permaneret, atque ad Cœnobii uſum adjecto Oratorio commodius aptaretur, ſupralaudatus Angelus ædes, quæ ſoluto pretio in Congregationis jura devenerant, Baſilicæ Romanæ Lateranenſi perpetuo munere obtulit, a cujus Canonicorum Capitulo viciſſim anno MCCCXCVI. die XXI. Martii obtinuit, ut in ſupradictæ domus ſitu Eccleſiam ædificare poſſet titulo *Sanctæ Mariæ plenæ gratia & miſericordia*, quæ ipſius Lateranenſis Baſilicæ membrum cenſeretur, & eſſet, iiſdemque gratiis, & prærogativis uteretur, quibus ex Summorum Pontificum liberalitate affluenter ditata fuerat Romana S. Joannis Lateranenſis Eccleſia. Ut vero ædificandæ Eccleſiæ opus celerius progrederetur, jamdictum Capitulum Lateranenſe, authoritate litterarum Apoſtolicarum *omnibus benefacientibus eleemoſynam, vel aliquas oblationes dantibus in dicta Eccleſia Beatæ Mariæ, qualibet vice indulgentiam* X. *annorum, &* X. *quadragenarum de injuncta pænitentia in Domino relaxavit*. Eccleſiæ fundandæ facultas vigore ejuſdem Diplomatis tradita fuit honeſtis viris *Fr. Johanni de Ravenna, & Presbytero Leonardo Piſano*, ut in ejuſdem Eccleſiæ *ſub vocabulo antedicto* erigendæ fundamentis primarium lapidem rite benedictum injicerent (B). Leonardi Piſani Nobilis Sacerdotis Veneti mentionem cum laude ejus Pietatis attulimus Operis hujus Dec. I. pag. 306.

Venetum itaque Eremitorium ſimul cum aliis quatuor, quæ in Ariminenſi, Urbinatenſi, Piſaurenſi, & Ferrarienſi Diœceſibus obtinuerat, ſupralaudatus Angelus de Corſica, *in manibus Beati Petri renuntiavit*, eique *regimen, & gubernationem eorum* pleno jure conceſſit. Eum propterea veluti alterum fundatorem venerata eſt Piſana Congregatio, in aliquibus etiam documentis Societas Fratris Angeli, & Fr. Petri de Piſis nuncupata. Sub hoc nomine Pauperum Heremitarum Societatis Fr. Angeli, & Fr. Petri de Piſis ſupplices libellos Gregorio XII. in cujus erant obedientia Cajetæ tunc degenti, porrexerunt anno MCCCCX. Heremitæ Piſani exorantes, ut eis facultas ex Apo-

ſtoli-

ſtolica benignitate concederetur *ſtandi*, *morandi & quæſtuandi* in Civitatibus aliisque locis, quæ Alexandro V. nuper in Synodo Piſana ad Petri ſedem evecto ſubjectionem deſponderant. (C) Mirum autem non eſt religioſiſſimos viros etiam poſt ſolemnem Gregorii depoſitionem eidem tanquam vero & legitimo Pontifici adhæſiſſe; ſiquidem ut in ejus obedientia permanerent, & conſcientiæ dictamine & Sanctiſſimorum Virorum exemplis excitabantur.

Poſt hæc, quia Angelus Tertium Ordinis Seraphici Inſtitutum profeſſus fuerat, atque ſupradicta loca *nomine ſuo, & ſociorum ſuorum Fratrum dicti Ordinis pro ipſorum uſu, & habitatione* ſive *donationis, ſive emptionis titulo acquiſierat, & conſtruxerat*, prudenter ſibi metuens Beatus Petrus, *ne ſuper locis hujusmodi poſſet impoſterum moleſtari*, Eugenio Papæ IV. *humiliter ſupplicavit, ut ei in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur*. Juſta Venerab. Viri vota excepit Pontifex, idque præcipue attendens, quod Petrus ejusque aſſeclæ, quamvis Serafici Inſtituti Profeſſores non fuiſſent, *domos tamen & loca hujusmodi una cum dicto Angelo acquiſiverant, ac etiam conſtruxerant*, eapropter *ipſas domos & loca ad Petrum ejusque ſocios ſpectare, & pertinere* decrevit (D) dato Romæ diplomate die VII. Julii anno MCCCCXXXII. Pontificatus ſui anno II.

Loci confirmationem novo Apoſtolicæ benignitatis beneficio roboravit Eugenius Pontifex; Siquidem tertio a felici Beati Petri morte tranſacto anno, Chriſti nempe MCCCCXXXVIII. die XII. Octobris datis ad Bartholum de Ceſena Pauperem Heremitam, ejusque ſocios Venetiis commorantes Apoſtolicis litteris, liberam facultatem, *ut ſuper fundo, quem infra metas Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis de Venetiis poſſidebant, Capellam ſive Oratorium cum aliis in eo neceſſariis erigere poſſent, indulſit*. (E)

Paucis inde tranſactis annis cum novi Oratorii fines dilatare cuperent Eremitæ, novumque ædificationis opus *in territorio*, quod a Capitulari Divi Raphaelis Collegio comparaverant, inchoaſſent, ne pergerent, Andreas Venturella Eccleſiæ S. Raphaelis Plebanus adverſus ſtetit. Eugenio igitur Summo Pontifici, cujus benignitatem ſæpe ſæpius experti erant, ſupplices obtulerunt libellos Pauperes Eremitæ, ut de ampliando

ſeu

ſeu conſtruendo Oratorio eis authoritate Apoſtolica facultatem concedere dignaretur. Verumtamen, ne dum de Parochialis Eccleſiæ damno agebatur, quidquam minus conſulte ſtatueretur, cenſuit Pontifex totum negotium D. Laurentio Juſtiniano Epiſcopo Caſtellano delegare, apud ipſius ſanctitatem minimum loci gratiæ fore confidens. *Viſis* itaque *locis*, *&* *auditis utriusque partis juribus*, *&* *rationibus* Sanctus Epiſcopus lata anno MCCCCXLIV. ſententia declaravit, *Oratorium ſeu Capellam in Orto vel territorio in quo incboatum fuerat, fieri non poſſe, verum, ut ipſi Heremitæ commodum haberent locum ad orandum, & orationibus ſuis vacandum*, eisdem *liberam facultatem* indulſit, ut *oratorium antiquum, quod habebant ſuperius*, poſſent in nomine Domini dilatare (F). Ut autem in eodem Oratorio quotidianum incruentæ hoſtiæ ſacrificium perageretur, Fantinus Dandulus Archiepiſcopus Cretenſis, Andreæ Danduli celeberrimi Ducis Venetiarum ex Filio nepos, annuum trigintaduorum aureorum redditum aſſignavit, ex eo *perpetuam manſionariam* inſtituens pro Anima dicti Avi ſui, & ſuorum Prædeceſſorum. Aſſignationem reddituum, & ſtatutas Sacerdotis eligendi leges in publicam formam redegit Marcus Bonusfilius Notarius Venetus anno Domini MCCCCVL. die XX. menſis Junii (G).

Circa hæc tempora *Capella Heremitorii*, quæ primum nuncupata fuerat *Sancta Maria plena gratia, & miſericordia*, in alium Sancti Sebaſtiani titulum tranſiit, quod ex Apoſtolico Pauli II. diplomate patet: ut enim *Capella Heremitorii Sancti Sebaſtiani Venetiarum, Congregationis Fr. Petri de Piſis*, quæ rebus *ad divinum cultum neceſſariis* plurimum indigebat, congruis frequentaretur honoribus, omnibus Chriſtifidelibus, qui capellam prædictam in ejusdem Sancti Sebaſtiani, ac Sancti Raphaelis Archangeli feſtivitatibus annuatim viſitaſſent, atque ad ejus fulcimentum, & decorem manus adjutrices porrexiſſent, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxavit (H); cum prius ad fidelium pietatem excitandam Joannes S. R. E. Cardinalis Sancti Angeli, Apoſtolicæ Sedis in dominio Venetorum Legatus iis, qui pium opus erogatis eleemoſynis adjuvaſſent C. dies de criminum remiſſionibus indulſiſſet die XXII. Octobris anni MCCCCLXVI.

Non tamen Religioſis viris anguſti Oratorii finibus arctari diutius licuit, cum enim quod ſupererat ab orationis ſtudio temporis, in proximorum ſalutem inſumerent, ampliorem ſpiritualibus exercitiis locum ſibi exoptarunt. Eapropter Calixti III. clementiam enixe implorarunt, ut ſalvo jure Parochialis Eccleſiæ eis Oratorium, quod *in ſolario juxta dormitorium* poſitum erat, *in terra* fundare, *ac prope Cimiterium* extruere *concedere, ſeu concedi mandare* dignaretur. Excepit pia vota facili aure Pontifex, datisque die XXVI. Auguſti anno MCCCCLXXV. ad Hieronymum Rectorem ſociosque ejus Apoſtolicis litteris, *ne devotio fidelium tepeſceret, ſed quotidie magis creſceret, & augeretur*, ſupplicantibus viris indulſit, ut *Oratorium ad planum fundi terreni fundare* poſſent, atque *conſtruere, illudque perfrui, nec non miſſas, & alia Divina Officia ibidem celebrare licite, & libere valerent, Diœceſani loci, & cujuscunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita* (I).

Apoſtolico itaque roborati diplomate inſigne Templum Divo Sebaſtiano Tutelari a fundamentis excitare ſtatuerunt Religioſi viri, quod longo annorum ſpatio elaboratum prodiit tandem elegans, & magnificum ad Sebaſtiani Serlii laudatiſſimi viri archetypum, faciem vero exteriorem Jacobus Sanſovinus, Sebaſtiani diſcipulus, apte diſpoſuit. Cum vero ad conſecrationis munus novæ Eccleſiæ impendendum Maphæus Gerardo *Patriarcha Venetiarum, ſenio confectus commode ad id intendere non poſſet*, Sixtus hujus nominis Papa IV. datis Romæ die v. Aprilis anno MCCCCLXXXIII. Apoſtolicis litteris Piſanæ Congregationis Eremitis indulſit, ut *Eccleſiam ipſam a quocumque Catholico Antiſtite libere & licite conſecrari facere* poſſent, atque valerent (K).

Neque tamen dum hæc aguntur, aliud gravis momenti negotium Fratribus defuit, ſiquidem pro tuendis Eccleſiæ Parochialis juribus, cum aliquando naſcenti Eccleſiæ obſtitiſſent Plebanus & Capitulum Sancti Raphaelis, tandem adnitentibus utriusque partis Procuratoribus, in hæc pacta ſolemniter conventum eſt, ut antiqua conditio de non ædificanda Eccleſia e medio penitus tolleretur, Monaſterium vero Fratrum Eremitarum S. Sebaſtiani cenſum ſex librarum ceræ albæ annuatim ſuper Altare Eccleſiæ S. Raphaelis, in Feſto ejusdem Archangeli præſentaret. Tranſactionem hujusmodi Stephanus

de

de Clericis Presbyter S. Barnabæ & Notarius anno MCCCCLXXXVI. die XXI. Septembris in publica acta redegit. (L)

His ad tollenda diſſidia rite actis Fratres S. Sebaſtiani, ut Eccleſia; quæ nobili molitione ornatior in dies exſurgebat, Eccleſiaſtico augeretur decore, a Capitulo Lateranenſis Romanæ Baſilicæ impetrarunt, ut antiquum aggregationis privilegium, quod olim anguſto Oratorio *S. Mariæ plenæ gratia, & miſericordia* conceſſum fuerat, pro nova S. Sebaſtiani Eccleſia renovaretur. Acta eſt muneris reſtitutio, die XXII. Maii MVIIID. (M) qua item die Innocentius VIII. vivæ vocis oraculo conventionem confirmavit, qua Rainerius Plebanus S. Raphaelis *quoddam parvum paviimentum, in quo immunditiæ projiciebantur, ad Eccleſiam S. Raphaelis pertinens, ſub annua reſponſione unius ducati aurei* Monaſterio S. Sebaſtiani vendiderat (N).

Cum ex dictis Fratres Conventus S. Sebaſtiani, cum Capitulo S. Raphaelis ſolemniter pepigiſſent, ut pro ædificandæ Eccleſiæ facultate obtinenda ſtatutum ceræ albæ pondus annuatim perſolveretur, & hoc ſibi nimis grave videretur, pro eo annuos pecuniæ redditus, conſentiente Parochialis Eccleſiæ Capitulo, aſſignarunt die XX. Februarii anno MVD. (O) quam utriusque partis conventionem Bartholomæus Paruta Epiſcopus Philadelphiæ, & Abbatiæ S. Gregorii Commendatarius, & Leonardus de Vincentia Abbas S. Georgii Majoris, Judices Apoſtolici ad hæc ſpecialiter delegati latæ ſententiæ munimine roborarunt (P).

Quamvis autem conſecrationis peragendæ facultas jam a Sixto IV. ut diximus anno MCCCCLXXXIII. conceſſa fuiſſet, attamen usque ad annum MDLXII. inofficioſa permanſit; eo enim anno conſecratam fuiſſe addiſcimus ex marmorea epigraphe, quæ in frontiſpicio Eccleſiæ affixa viſitur.

„ Templum hoc conſecratum fuit anno Domini MDLXII.
„ Tertia Dominica poſt Paſcha, per Dom. Jo. Franciſcum de
„ Rubeis Epiſcopum Auſē.

Joannem Franciſcum, quem ex lapide Epiſcopum Auſerenſem interpretatur Cl. V. Joannes Baptiſta Sajanellus in Hiſtoricis monumentis Congregationis B. Petri de Piſis, Epiſcopum Aurenſem verius dicendum crediderim; ſiquidem in civitate Auſtria ſeu Bellunenſe apud Nobilem Familiam de Rubeis, ex qua Joannes Franciſcus originem traxit, extat adhuc ejus

imago Titiani manu depicta, cui appoſitus legitur titulus *Epiſcopus Aurenſis*.

Conſecratum pridem ſeu benedictum fuerat anno Mdxxii. die i. Junii peryſtilium Monaſterii a Fr. Michaele Hiſpano ejusdem Congregationis alumno Epiſcopo Arcuſſenſi, qui eo tempore ſuffraganeus erat Juliani Cardinalis Soderini Antiſtitis Vicentini. Epiſcopus hic, quem ex alio Congregationis Archivo addiſcimus ex familia Jorba fuiſſe progenitum, eadem die aram quoque principem ſub Divi Sebaſtiani Martyris titulo conſecravit.

Divi hujus Titularis patrocinium in peſtifera lue ſeu ſananda, ſeu repellenda potentiſſimum quamplurimi eventus teſtati ſunt; illud vero inter cætera ejus prodigia memoriæ proditum eſt, quod anno Mdcxxx. dum ſæviſſima peſtis fœde Urbem vaſtaret, Sebaſtianus Martyr gementi populo ejus opem imploranti præſto fuit, plurimoſque in ſummo vitæ diſcrimine laborantes priſtinæ incolumitati reſtituit. Tanti beneficii monumentum, ut perenne ad poſterorum memoriam perduraret, lapidi inſculptum fuit, & exteriori Templi proſpectui appoſitum.

Anno Mdcxxx.

„Dum tota hæc Civitas morbo peſtilentiali laboraret, ſæ-
„vaque lues undequaque miſeros Cives invaderet, nec aliud,
„quam inter morientes mortui, ac inter mortuos morituri,
„ob oculos appareret, populus devotus ad hanc Eccleſiam
„cucurrit, Divo Sebaſtiano ſuppliciter ſe vovit, ſicque ab om-
„ni corruptione ſervatus priſtinæ ſanitatis compos factus eſt
„Anno Mdcxxxi. xxi. Novembris Sereniſſimo Franciſco Eriz-
„zo Duce.

Cætera Eccleſiæ Altaria anno Mdxxxi. die xv. Novembris ritu ſolemni conſecravit Julius de Uniano Epiſcopus Caprularum.

Inſignibus Templum hoc decoratur Reliquiis, quarum pretioſiores eæ, quæ ad Dominicam paſſionem pertinent, Spina nempe ex Corona Domini, & venerabilis vivificæ Crucis portio, quæ frequenti populorum veneratione coluntur.

Os Sancti Sebaſtiani Martyris, quod Marinus Leonardi Sanuti filius celeberrimus rerum Venetarum Chronologus, Eccle-

cleſiæ huic ex teſtamento legavit anno MDXXXIII. die IV. Octobris his verbis:

Item laſcio alla Chiexia di M. San Sebaſtian una degniſſima reliquia, ch'è un Oſſo di Miſſier San Sebaſtian, qual aveva la Dogareſſa da Cà Moro fò da Ca Sanudo, & in Caxa noſtra ſempre è ſta perſervada di peſte, e non gè l' avendo data in vita, voglio li ſia data, perchè così feci voto in la mia malattia di dargliela; alli quali Frati prego li ſia fatto un bel Tabernacolo.

Item dimitto Eccleſiæ Domini S. Sebaſtiani Reliquiam clariſſimam, Os nempe Domini Sancti Sebaſtiani, quam poſſidebat Duciſſa Chriſtofori Mauri uxor, olim ex Gente Sanuta, cujus ope familia noſtra a peſtifera lue præſervatam ſemper ſe agnovit. Hanc cum vivens non obtulerim, ut modo detur, jubeo, vovi enim in infirmitate mea illam fore traditurum, iis autem Fratribus ut pulchrum Tabernaculum conſtruatur, hæredes oro.

Os pedis Sancti Prochori ex ſeptem primis Eccleſiæ Diaconis, & Martyris.

Os S. Catharinæ V. & M.

Ex Oſſibus SS. Stephani Prothomartyris, Antonii Abbatis, Onuphrii, aliorumque Sanctorum Martyrum, quibus copioſe ditatur.

Quieſcit in hac Eccleſia tumulatus Livius Podacatarus Cyprius Archiepiſcopus Leucoſienſis, cujus illuſtre Mauſoleum erectum viſitur ex adverſo Organi pneumatici pariete cum emortuali epigraphe.

„ Livius Podacatarus Archiepiſcopus Leucoſienſis ex Teſta„ mento. Obiit MDLVIIII. Kal. Febr. Vixit Annos LXXXI.

De eo Operis hujus Dec. I. pag. 88.

Ad ipſius Organi latera hinc inde poſita conſpiciuntur monumenta Franciſci Coccalini e Congregatione B. Petri, Epiſcopi Traguricnſis, atque Pauli Calliarii Veronenſis Pictoris eximii, & de Templo S. Sebaſtiani a ſe pretioſis ornato picturis optime meriti, quorum ſimulacris ſubjacent hæc elogia:

„ Fr. Joannes Franciſcus Coccalini Venetus poſt omnium

„ in

„ in religione culmina dignitatum, Traguriensi Episcopatu „ inſignitus a Sponſa ſolutus ad Matrem rediit ſydera petens „ Anno MDCLXI.

„ Paulo Calliario Veronenſi, Pictori Naturæ æmulo, Artis „ miraculo, ſuperſtite factis, fama victuro.

Illuſtres morum ſanctimonia ex hoc Cœnobio inter cæteros prodierunt, B. Paulus Quirinus, & Ven. Joannes Baptiſta Cornelio Nobiles Veneti, quorum primus a ſacro fonte Nicolaus vocatus poſt adminiſtratam laudatiſſime Rempublicam perfectioris vitæ deſiderio Piſanæ Congregationis inſtituto nomen dedit, in qua Religioſam vivendi rationem, quam ab initio ſibi excolendam propoſuit usque ad vitæ finem ſanctiſſime retinuit, obiitque circa annum Domini MCCCCLXIX. clara adeo ſuæ ſanctitatis argumenta relinquens, ut non ſolum a plurimis, iisque graviſſimis Scriptoribus Beati titulo paſſim fuerit inſignitus, ſed & populorum venerationem ſibi promeruerit, ut antiquæ ipſius imagines nimbo circumdatæ, quæ Paduæ, Ferrariæ, ac Fulginei depictæ viſuntur, nunc etiam teſtantur. Alter vero Franciſcus, ex Avi nomine in ſæculo vocatus, XIV. ætatis ſuæ anno Eremitis Congregationis B. Petri adſcribit voluit; Sacerdos ex obedientia factus humilitatis exactiſſimus cultor Regulares dignitates non ſemel ultro oblatas conſtantiſſime recuſavit, atque quod ſibi ex Paterna domo divitiarum obvenerat, in alendos pauperes, & in egenas virgines nuptiis deſtinatas erogavit. Evolavit ad Cœlos anno Domini MDLXXX ætatis ſuæ LXIV. in Monaſterii Clauſtro, ut humilitatis inſtinctu juſſerat, tumulatus, cum minus conveniens eſſet, ajebat ipſe, quod domus Domini, ſervi cadavere fœdaretur. Plura reliquit non pietatis tantummodo, ſed & doctrinæ monumenta, inter quæ ſupereſt adhuc in Bibliotheca Monaſterii S. Sebaſtiani aſceticum ejus opuſculum, cui titulus *Via æternæ pacis*, ejusdem Venerabilis viri manu exaratum.

Ex ſchedis Archivi hujus Monaſterii inſtruimur, quod Petrus Landus Dux, olim Venetæ claſſis Præfectus, anno MDXXXIX. hoſtes Reipublicæ profligavit, ac propterea in grati animi monumentum ad Eccleſiam S. Sebaſtiani die XX. Januarii toto comitante Senatu gratias Deo acturus acceſſit. Ita ſupralaudatus Sajanellus pag. 241.

Se-

Series Chronologica Priorum Monaſterii S. Sebaſtiani Venetiarum.

Anno 1393 Locum in S. Raphaelis Parœcia acquiſivit Fr. Angelus de Corſica, quem poſtea Congregationi Eremitarum B. Petri de Piſis, cui & ipſe nomen dedit, uniri voluit, unionem approbante Eugenio IV. Poſt Angelum de Corſica domui per multos annos alternatim præfuerunt Fr. Archangelus Eugubinus, & B. Benedictus Siculus, quorum ultimus iterum electus fuit annis 1420. 1429. 1439. 1441. 1446. 1449.

1414 Domninus.

1431 Georgius Duodo.

1440 Bartholomæus de Mercato Ceſenas. Iterum 1444. Fuit etiam Rector Generalis.

1445 Petrus Paulus.

1455 Hieronymus de Cortona.

1459 Gabriel Medici de Ferraria. Iterum 1470. Fuit Rector Generalis.

1461 Georgius de Patraſſo. Circa hæc tempora titulus Eccleſiæ, qui erat *S. Mariæ plenæ gratia, & miſericordia*, mutatus eſt in alium S. Sebaſtiani.

1467 Petrus Hiſpanus, Petri olim filius, qui poſtea electus fuit Rector Generalis. Hic alius eſt a B. Petro Qualcerano Hiſpano, qui vivebat ætate Beati Petri de Piſis, ut colligitur ex monumentis Hiſtoricis ſuperius citatis pag. 101. Eſt etiam alius a B. Petro Hiſpano, qui obiit Urbini eodem ſæculo cum fama ſanctitatis. Nam codex ille citatus in Hiſt. Monumentis, ſicuti hunc Petrum Hiſpanum Generalem diſtinguit a B. Petro Qualcerano Hiſpano; ita eundem Petrum Hiſpanum Generalem Beati titulo decoraret, ſi ille eſſet, qui Urbini obiit ſanctimoniæ fama conſpicuus.

1468 Marcus de Verona.

1484 Chriſtianus de Caſtrobarco. Iterum 1488. Electus etiam Rector Generalis.

1486 Bernardus de Mantua.

1491 Domninus Dalmata de Caſtro Stridonis. Iterum 1494. 1506. 1510. 1513.
1597 Blaſius de Bonis Tarviſinus etiam Rector Generalis.
1503 Archangelus de Lupis Bergomenſis.
1516 Hieronymus de S. Agatha Feretranæ Diœceſis in ditione Urbinate.
1519 Sanctus de Urbino. Iterum 1522. 1532. 1549. 1552.
1525 Laurentius de Buſtis de Zevio agri Veronenſis. Iterum 1540.
1528 Philippus de Carreriis de Robere agri Mantuani, poſtea Rector Generalis.
1534 Timotheus de S. Agatha ditionis Urbinatis.
1542 Bernardus de Torlionis Veronenſis. Iterum 1546. 1555. 1558 1563. 1567.
1561 Hieronymus de Verona olim Rector Generalis.
1570 Antonius de Robereto Tridentinæ Diœceſis. Iterum 1574. 1584.
1578 Michael Galvanus Venetus. Iterum 1581. 1592.
1586 Stephanus Bardolinus Veronenſis. Iterum 1592.
1593 Bernardinus Gambarus Veronenſis. Iterum 1596. poſtea Rector Generalis.
1599 Silveſter Tarviſinus. Iterum 1614.
1602 Stephanus Maconzini Veronenſis. Obiit ſecundo ſui regiminis anno.
1603 Fr. Bernardinus de Lendenaria, obiit eodem anno.
1604 Olivus Mancinus de Padua. Iterum 1605.
1607 Michael Celica Venetus. Iterum 1611. 1626. Poſtea electus Rector Generalis.
1614 Paphnutius Berenghus Venetus.
1616 Hieronymus a Monte. Iterum 1620.
1617 Seraphim Cherubim a Fulginio.
1620 Theoniſtus Venetus.
1623 Raphael Ronchali a Rhodigio.
1629 Marcus Angeli Venetus.
1632 Franciſcus Coccalini Venetus. Iterum 1635. 1641. Fuit poſtea Rector Generalis, & deinde Epiſcopus Traguriensis.
1638 Cherubinus Ghirardi Venetus. Iterum 1645.
1644 Honuphrius Baldini Venetus. Iterum 1650.

1647

1647 Darius Pulcioni Venetus. Iterum 1653. poſtea Rector Generalis.
1653 Cæſar Giovanelli Venetus. Fuit Rector Generalis. Iterum 1665.
1656 Raphael Piſenchus Venetus. Iterum 1698.
1659 Barnabas Piazzola, antea Rector Generalis.
1662 Joannes Georgius Nicolinus. Iterum 1680.
1664 Lelius Lutnius.
1668 Gregorius Zavanti.
1671 Joſeph Riccius. Iterum 1677.
1674 Andreas Miani. Iterum 1692.
1679 Dominicus Poſſius.
1681 Petrus Bonaccioli. Iterum 1686. 1692. Fuit Rector Generalis.
1683 Vincentius Paſchalico.
1695 Darius Aſtori, poſtea Rector Generalis.
1698 Euſtachius Rudius.
1701 Hieronymus Alghiſi. Iterum 1707. 1713. 1722. Fuit Rector Generalis.
1704 Dominicus Bianchini.
1710 Joannes Baptiſta Jacobi. Iterum 1728.
1713 Joſeph Maria Rado.
1716 Archangelus Mazzoni. Iterum 1737. 1747.
1719 Angelus Maria Chiodo.
1725 Joannes Antonius Degna.
1730 Lazarus Bragadenus. Ob. 30. Januarii 1733. M. V.
1733 M. V. Joannes Petrus Spreafighi.
1734 Joſeph Maria Tamburini. Iterum 1745. 1750.
1740 Joannes Baptiſta Borini. Iterum 1748. aſſumptus poſtea ad regimen Venetæ Provinciæ.

Soradamor Triviſana vendit Procuratoribus Fratris Angeli de Corſica tertii Ordinis S. Franciſci proprietatem terræ in confinio S. Raphaelis.

A 1393. 4. Julii.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio menſis Julii die quarto intrante Indictione prima Rivoalti. Manifeſtum facio ego Soradamor uxor Nobilis viri Domini Benedicti Triviſano de confinio S. Barnabæ cum meis ſucceſſoribus, quia in Dei & Chriſti nomine do, vendo, atque tranſacto ad uſum novum vobis ſupraſcripto Domino Benedicto Triviſano viro meo Dominis Bertucio Valerio de confinio S. Baſilii & Franciſco de Molino de confinio S. Severi tanquam procuratoribus gubernatoribus, & conſervatoribus Fratris Angeli pauperis tertii Ordinis S. Franciſci & omnium pauperum, qui præſentialiter ſunt & erunt in futuro dicti Tertii Ordinis tenentes bonam & honeſtam vitam paupertatis, & ſi pro præſenti, & in futurum aliquis dictorum pauperum non teneret bonam, & honeſtam vitam paupertatis quod ſit in libertate dictorum procuratorum gubernatorum & conſervatorum, qui ſunt ad præſens & erunt in futuro dicti Fratris Angeli ſeu capitorum, (*a*) & regendorum dictorum pauperum, & poſſint expellere & extrahere extra habitationem & domum emptam nomine pauperum tertii ordinis talem & tales non vivendo ut ſupra, ut dicta habitatio ſemper & perpetualiter permaneat pro pauperibus tenentibus ſupraſcriptam vitam paupertatis & veſtris ſucceſſoribus Cunctam & ſuper totam unam meam proprietatem terræ & caſæ coopertam & diſcoopertam cum ſua terra vacua, ſive horto, quæ fuit ſ. Matthæi Strazeroli olim de confinio S. Geminiani, tota inſimul conjuncta poſita in confinio S. Raphaelis, ſecundum quod hec proprietas firmat ab uno ſuo capite per totum in calli communi huic proprietati & proprietatibus convicinorum unde habet introitum & exitum ad vias communes diſcurrentes ad S. Rafaelem, & alio, & ab alio ſuo capite firmat per totum in rivum diſcurrente ad canalem magnum, & alio unde habet introitum & exitum junctorum, & jaglationum. Ab uno ſuo latere firmat per totum in uno alio calli ſimiliter communi huic proprietati, & proprietatibus convicinorum, qui dictus callis diſcurrit ad dictum rivum & per alios calles ſimiliter communes, per quos itur ad vias communes, quæ diſcurrunt ad Eccleſiam S. Rafaelis, & alio, unde habet introitum, & exitum ad dicta loca. Et ab alio ſuo latere firmat per totum in rielo parvo, quo itur ad canale, & alio unde habet introitum & exitum junctorum & jaglationum; quam quidem proprietatem noſtri judices examinatorum ſecundum novæ conſtitutionis ordinem appretiati fuerunt libras triginta denariorum Venetorum groſſorum. Et poſtmodum ſtridari fecerunt, ſi quis propinquus vel lateranus, (*b*) aut aliquis eam emere vellet; quia vero nullus de prædictis comparuit, qui eam emere voluiſſet, niſi vos nomine, quo ſupra, qui infra dies triginta pro ipſa emenda in curia com-

(*a*) Capitorum idem eſt ac regentium, gubernantium ſeu Præſidentium.
(*b*) Lateranus idem eſt ac poſſeſſor bonorum ſeu domorum a latere ipſius proprietatis poſitorum.

comparuiſtis & plenariam (*a*) de libris decem pro centenario, ſecundum formam ſtatuti in Curia conſignaſtis; Idcirco pro ſupraſcriptis libris triginta denariorum Venetorum groſſorum ſecundum ſupraſcriptorum Dominorum Judicum Examinatorum extimationem ſupraſcriptam proprietatem vobis do, vendo, atque tranſacto cum omni longitudine & latitudine ſua cum capitibus & lateribus ſuis, cum callibus quoque & viis ſuis cum acceſſu & egreſſu ſuo per terram & per aquam atque cum omnibus habentiis, & pertinentiis ſeu univerſis adjacentiis ſuis intus & foris, que tam ſubtus terram quam ſupra terram ibidem adeſſe noſcuntur amodo cum pleniſſima virtute & poteſtate intromittendi, habendi tenendi dandi donandi dominandi vendendi commutandi, & perpetuo poſſidendi, ac quicquid vobis placuerit faciendi cum omnibus cartis novis & veteribus ac illarum vigore, & robore ad ſupraſcriptam, & predeſſignatam proprietatem pertinentibus, nemine contradicente. Precium autem a vobis nomine quo ſupra, inde habui & recepi ſecundum ſupraſcriptorum Dominorum Judicum Examinatorum extimationem ſcilicet libras triginta denariorum Venetorum groſſorum. Quapropter plenam irrevocabilem ſecuritatem facio ego ſupraſcripta Sovradamor uxor Nobilis Viri Domini Benedicti Triviſano de confinio S. Bernabæ cum meis ſucceſſoribus vobis ſupraſcriptis Dominis Benedicto Triviſano viro meo prædicto Bertucio Valerio, & Franciſco de Molino tamquam procuratoribus gubernatoribus & conſervatoribus Fratris Angeli pauperis tertii Ordinis S. Franciſci & omnium pauperum, qui præſentialiter ſunt & erunt in futurum dicti tertii Ordinis tenentium bonam & honeſtam vitam paupertatis & veſtris ſucceſſoribus, quatenus tam de ſupradicta & prædeſignata proprietate, quam de ſupraſcripto ejus pretio ſecuri & quieti permaneatis in perpetuum, quod nihil inde remanſit, unde vos amplius requiri aut compelli valeatis per ullum ingenium, ſive modum. Si igitur contra hanc venditionis & ſecuritatis cartam ire tentavero, tunc emendare debeam cum meis ſucceſſoribus vobis & veſtris ſucceſſoribus auri libras quinque, & hæc venditionis & ſecuritatis carta in ſua permaneat firmitate. Signum ſupraſcriptæ Dominæ Sovradamoris uxoris ſupraſcripti Domini Benedicti Triviſano, quæ hec fieri rogavit.

Ego Jacobus S. Jacobi de Luprio Plebanus tt. ſſ.
Ego Presb. Laurentius Buſcareno S. Jacobi de Luprio tt. ſſ.
Ego Franciſcus Ghiſi Judex Examinatorum m. m. ſſ.
Ego Leonardus Bondomiero Judex Examinatorum m. m. ſſ.

Ego Stephanus qu. Matthæi Præsb. Eccleſiæ S. Bartholamæi de Rivoalto Ven. Not. complevi.

(*a*) Plezaria Venetis *pieggeria* latine fidejuſſio.

Capitulum Lateranenſe ad inſtantiam Fr. Angeli de Corſiica concedit Eccleſiæ B. Mariæ plenæ gratia & miſericordia ab ipſo ædificandæ in Urbe Venetiarum omnia privilegia Baſilicæ Lateranenſis.

B 1396. 29. Martii.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarnm.

CApitulum & Canonici Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ Dilecto nobis in Chriſto Fr. Angelo pauperi de Corſica ſalutem, & eternæ felicitatis præmium adipiſci. Quoniam inter cuncta pietatis opera, id præcipuum & meritorium fore dignoſcitur prout Sanctorum Patrum docent exempla, & ſacræ paginæ inſtruunt diſciplinæ, ut cupientes Eccleſias ac divinum cultum fundare, & favorabili præſidio fulciantur. Igitur tanto diligentius in hiis noſtrum adjutorium impartimur quanto attentius affectamus dictæ noſtræ Eccleſiæ ad honorem Salvatoris noſtri dedicatæ devotionem & fidem augere, ac in ea, & Eccleſiis ſibi ſubjectis divini cultus obſequium ampliare. Attendentes itaque zelum noſtrum pium propoſitum & affectionem devotam, quam ad præfatam Lateranenſem Eccleſiam prout noſtra petitio & opera liquide manifeſtant, merito inducimur veſtrum affectum veſtraſque ſupplicationes admittere gratioſe. Cum igitur ad dictam noſtram Eccleſiam habentes ſpecialis devotionis affectum, Intendentes pro animæ veſtræ ſalute ob reverentiam Dei & honorem ipſius noſtri Salvatoris Eccleſiam ſub vocabulo Beatæ Mariæ plenæ gratia & miſericordia, fundare & ædificare poſſitis in una domo poſita in Civitate Venetiarum in contrata S. Raffaelis inter hos fines, ab duobus lateribus ſunt canalia maris, à duobus aliis lateribus ſunt viæ publicæ, vel ſi qui alii ſunt plures vel veriores confines antiqui vel moderni ſpectantes & pertinentes ad dictam noſtram Eccleſiam Lateranenſem jure donationis inter vivos facta nobis de ipſa domo pro ædificatione ipſius Eccleſiæ Beatæ Mariæ, prout hæc & alia plenius patent publico Inſtrumento inde confecto ſcripto per hunc Joannem Notarium infraſcriptum nobis humiliter ſupplicaſtis, ut vobis fundandi conſtruendi & ædificandi Eccleſiam ſub vocabulo antedicto, nec non inibi Oratorium & officinas ac in dicto Oratorio Altare pro Dei & Eccleſiæ ipſius obſequio erigendi, cum cimiterio & campana ac fonte ſacri Baptiſmatis dictæ noſtræ Eccleſiæ ſubjectæ ſub annuo cenſu dimidiæ libræ ceræ in feſto Paſchæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti annuatim dictæ noſtræ Eccleſiæ perſolvendi dignaremur auctoritate & poteſtate vobis à Sede Apoſtolica ſuper his conceſſis opportune licentiæ præſidium impartiri. Nos itaque tam piæ petitioni & devoto propoſito annuere volentes, vobis in præfata domo Eccleſiam ſub vocabulo antedicto fundandi & ædificandi & in ea Oratorium & officinas conſtruendi, ac in ipſo Oratorio Altare pro Dei & Eccleſiæ ipſius obſequio cum cimiterio campana ac fonte ſacri Baptiſmatis ſecundum Sanctæ Eccleſiæ conſuetudinem ad opus & jus dictæ noſtræ Eccleſiæ ſubjectæ ſub dicto annuo cenſu dictæ noſtræ Eccleſiæ perſolvendi jure patronatus & præſentationis vobis, aliiſque pauperibus ſucceſſoribus veſtris vobiſque ipſius confirmationem, inſtitutionem, & viſitationem, ut ſupra dicitur, reſervatis auctoritate, & poteſtate nobis ſupra his ab Apoſtolica Sede conceſſis plenam atque liberam tenore præſentium concedimus facultatem, ſuſcipientes ex nunc dictam Eccleſiam ejuſque Rectorem & gubernatorem

torem

torem ſub protectione dictæ noſtræ Ecſiæ privilegiorum & indultorum ipſi Eccleſiæ Lateranenſium & ſubjectis eidem à Sede Apoſtolica conceſſis ab eadem Sede conceſſa, & admittentes ipſam Eccleſiam ac rectorem & gubernatorem eundem, ejusque bona & jura ad omnes gratias immunitates exemptiones privilegia indulgentias, & indulta dictæ noſtræ Eccleſiæ ſibique ſubjectæ ab eadem Sede conceſſa. Ac volentes earumdem gratiarum & indulgentiarum eſſe participes & conſortes, & de illis, ut ſibi ſubjectis gaudere, ac etiam dantes & concedentes auctoritate litterarum Apoſtolicarum ipſi Eccleſiæ Lateranenſi, & membris ejusdem per Romanos Pontifices conceſſas Indulgentias infraſcriptas omnibus benefacientibus elemoſinam vel aliquas oblationes dantibus, ſeu præſentantibus in dicta Eccleſia Beatæ Mariæ Oratorio Altare, & Cimiterio & Baptiſmate qualibet vice, qua in ipſa Eccleſia Oratorio Altare & Cimiterio elemoſinam dederint, & donum fecerint, ac manus porrexerint adjutrices Indulgentiam decem annorum & decem quadragenarum de injuncta eis pœnitentia in Domino relaxamus. Quæ indulgentia in quolibet Feſto principali Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac in Octava ipſarum Feſtivitatum & in quolibet die Quadrageſimæ duplicetur, in quolibet vero Feſto Beatæ Mariæ & in die fundationis hujus Eccleſiæ quadruplicetur, nec non à Domino noſtro Salvatore omnium, in cujus nomine Eccleſia ipſa principaliter fuit conſtructa, & ſub Beati Joannis vocabulo inſignita juxta ſubſidii quantitatem, & devotionis affectum ſuorum remiſſiones peccaminum & animarum ipſorum ſalutem aliasque indulgentias miſericorditer conſequantur. Denique committentes diſcretis & honeſtis viris Fratri Joanni de Ravenna, & Presbyt. Leonardo Piſano eisque & cuique ipſorum inſolidum plenam & liberam licentiam auctoritatem & poteſtatem concedentes fundandi dictam Eccleſiam ſub vocabulo antedicto ac benedictionem primarii lapidis, poſitionem, immiſſionem ſeu fundationem ipſius in eadem Eccleſia primario fundamento & omnia & ſingula faciendi, & exercendi, que ad prædicta pertinere noſcuntur, & fuerint opportuna ac nos facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus. In quorum omnium teſtimonium ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum preſentes litteras fieri fecimus, noſtrique Apoſtolici ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum & actum apud præfactam ſacroſanctam Lateranenſem Eccleſiam ſub Anno Domini millesimo trecenteſimo nonageſimo Sexto die xxviiii. Menſis Martii quartæ Indictionis Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Bonifacii divina providentia Papæ viiii. Præſentibus his teſtimoniis, ſcilicet Presb. Antonio Butii & Presb. Antonio Piccardi Beneficiatis in Eccleſia Lateranenſi ad prædicta vocatis & rogatis.

Ego Joannes Petrus Berte Civis Romanus Dei gratia Almæ Urbis præfecturæ auctoritate Notarius publicus, quia prædictis omnibus & ſingulis interfui, ideo ea ſcripſi, & publicavi rogatus, meoque ſolito ſigillo ſignavi.

B. Petrus

B. Petrus de Piſis, ejusque ſocii exorant Gregorium XII., ut eis liceat habitare, & quæſtuare in civitatibus, aliisque locis Schiſmaticorum.

C 1410. 1. Januarii.

Ex Autographo in Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

SAnctitati Veſtræ (*a*) ſupplicatur pro parte pauperum Heremitarum Societatis Fratris Angeli, (*b*) & Fratris Petri de Piſis, & plurimorum aliorum pauperum ejusdem Sanctitatis Veſtræ humilium Oratorum, quatenus dignetur elargiri veſtra Sanctitas eisdem plenam licentiam, & poteſtatem ſtandi, morandi, quæſtuandi, & praticandi in Civitatibus, Terris, Caſtris, Villis, & Comitatibus omnium Schiſmaticorum Sanctitati Veſtræ inobedientium, dummodo non participent ſecum in crimine Schiſmatis, non tamen in Divinis ..... Ad ipſorum converſionem fiat &c. Ad converſionem.

Item de licentia Sanctitatis ejusdem poſſint ſupraſcripti pauperes a dictis Schiſmaticis eleemoſinam petere, & accipere in rebus ſibi neceſſariis, quia aliunde non habent, unde valeant eorum vitam ducere, & ſuſtentare. Fiat &c. ad converſionem.

Inſuper etiam ad proficuum Animarum Catholicarum dignetur eisdem pauperibus Sacerdotibus dictorum pauperum licentiam præſtare, & concedere Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi Catholicis, qui non haberent Sacerdotes ſuos Parochiales Catholicos, nec Dominum illius loci eſſe Catholicum, ubi tales pauperes reperirent ſe moram trahere. Fiat &c. ad converſionem.

Et ſi caſus eveniſſet, quod Deus avertat, quod ſic faciliter non reperirent locum, ubi poſſent cum bona conſcientia morari, puta quia compellerentur credere in perditionis Filium, Alexandrum prætenſum, (*c*) nominatum ſucceſſorem (*Petri*), vel facile non poſſent accedere ad locum Catholicum, liceat prædictis pauperibus de ejusdem Veſtræ Sanctitatis licentia ire ultra mare, & habere loca inter Saracenos, & Paganos, & ab eis accipere eleemoſynam. Fiat ad converſionem.

Et ſi aliquis infidelium veniret ad lumen fidei, liceat dictis Sacerdotibus pauperum prædictorum de ejusdem Sanctitatis Veſtræ licentia Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare dictis convertendis ad fidem. Fiat in partibus illis &c. Ad converſionem.

Poſſint quoque dicti Sacerdotes in illis partibus, atque locis Oratoria ædificare & Altaria erigere, ac Divina Officia

(*a*) Gregorio XII. porrectos fuiſſe a Beato Petro ejusque ſociis ſupplices libellos, ex loco & tempore ad calcem appoſitis innoteſcit; ſiquidem Kalendis Januarii Anno 1409. Gregorius XII. ob Schiſmatis procellas Cajetæ degebat, unde poſtea Ariminum ad Carolum Robertum Malateſtam ſe contulit. *Spondanus ad Annum Chriſti* 1409. *num.* 20.

(*b*) Quamvis in ſupplicatione Gregorio Papæ XII. porrecta nomen Beati Petri, veluti ipſius Societatis fundatoris, cæteris præponendum fuiſſet, attamen primus enuntiatur Fr. Angelus, ut pote Sacerdotali dignitate inſignitus, qua B. Petrus ex humilitate ſe ornari recuſaverat.

(*c*) Alexandrum V. in Concilio Piſano Pontificem electum execrabantur veluti Antipapam non ſolum Beatus Petrus, ejusque alumni, ſed plurimi etiam pietate & doctrina celeberrimi Viri, quos inter præcipue recenſendus eſt S. Antoninus ex Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Florentinus, qui, teſte Henrico Spondano, Concilii Piſani a Romano Pontifice non coacti auctoritatem denegans, nunquam à Gregorii XII. obedientia receſſit.

ficia celebrare, & omnibus Catholicis in dictis partibus exiſtentibus Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare. Fiat ex cauſa prædicta &c. Ad converſionem.

Liceatque dictis Sacerdotibus Schiſmaticos abſolvere venientes ad agnitionem veritatis, & eis imponere pœnitentiam ſalutarem, ubicunque reperirentur, quod petunt ſibi fieri de gratia ſpeciali. Et ſibi ex ſola ejuſdem Sanctitatis Veſtræ manus ſignatione abſque alia Bulla Apoſtolica ulterius opertata, ſitque illius auctoritate ac ſi Bullæ Apoſtolicæ exinde eſſent confectæ. Fiat prout in forma conſueta, ubi nam ſit perſona habens ad hoc facultatem à Sede Apoſtolica. &c. Ad converſionem fiat, fiat.

Datum Cajetæ (*a*) Kalendis Januarii Anno Quarto. (*b*)

(*a*) Cajetæ degens Gregorius XII. Epiſtolas ad univerſos Chriſti fideles ubicumque exiſtentes dedit ut ipſos certis ſtatutis legibus in ſua obedientia firmaret; quam ex integro affert Rinaldus ad Annum 1412. num. 1. Ipſarum Epiſtolarum Autographum in Archivo Monaſterii S. Mariæ de Charitate Venetiarum aſſervatur, ex quo veriſimiliter deducendum eſt ipſum Monaſterium in obedientia Gregorii XII. etiam poſt Concilium Piſanum perſeveraſſe.

(*b*) Quartus ab electione Gregorii XII. annus inceptus erat die XXIII. Novembris Anno æræ vulgaris 1410. Ad ipſum annum 1410. n. 4. Rinaldus affert Gregorii XII. Epiſtolas encíclicas Cajetæ datas III. Nonas Octobr. Anno Pontificat. IV. *Univerſis Catholicis in Italia degentibus*.

Eugenius IV. loca à Fratre Angelo de Corſica Tertii Ordinis S. Franciſci conceſſa Congregationi B. Petri de Piſis Apoſtolica authoritate eidem Congregationi confirmat.

D 1432. 7. Julii.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Sebaſtiani.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. (*a*)

Apoſtolicæ Sedis Officium Nobis deſuper injunctum nos excitat, & requirit, ut ad ea diligenter intendamus, per quæ Chriſtifideles, illi præſertim, qui ſub humilitatis Spiritu Altiſſimo famulantur, ab indebitis moleſtiis releventur, & eorum quieti, quantum cum Deo poſſumus ſalubriter conſulatur. Sane pro parte dilectorum Filiorum Petri de Piſis, & ſociorum ejus Pauperum Eremitarum in diverſis Eremitoriis degentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim Angelus de Corſica Frater Tertii Ordinis S. Franciſci quædam, & præſertim unum in loco, qui dicitur, la Scolcha, prope Ariminum in manu dilecti Filii Nobilis Viri Galeotti Roberti de Malateſtis Domicelli Arimini (*b*), & alium in Contrata S. Raphaelis de Vene-

(*a*) Bullam hanc afferunt tum Bernardinus Pacinus in vita B. Petri de Piſis, tum Hagiographi Antuerpienſes ad diem 17. Junii.

(*b*) Carolus Robertus Malateſta Arimini Dominus Anno 1393. die decima Aprilis locum hunc in Monte Scolcha poſitum dono dedit Fr. Angelo ſimul cum Oratorio extructo ſub titulo S. Laurentii. Donationem ipſam confirmavit Galeottus Robertus Malateſta Caroli ex Fratre nepos.

Venetiis, & alium S. Hieronymi, & alium S. Mariæ de Angelis de Nobilaria, & alium S. Mariæ della Miſericordia Caſtellanenſis, Urbinatenſis, Piſaurenſis, & Ferrarienſis Diæceſum, Domos, ſive Eremitoria loca nuncupata; quæ dictus Angelus nomine ſuo, & ſociorum ſuorum Fratrum dicti Ordinis pro ipſorum uſu, & habitatione, ſive donationis, ſive emptionis, aut alio titulo acquiſiverat, & ſeu quæ de eleemoſynis fidelium cum ſuis, & eorumdem ſociorum laboribus fundaverat, & conſtruxerat, ſeu fundari & conſtrui fecerat, in manibus dicti Petri ejus ſocii renunciaſſet, & regimen, & gubernationem eorumdem locorum ipſi Petro, quantum in eo fuit, conceſſiſſet, ipſeque Petrus locum de Scolcha præfatum ſibi per eumdem Galeottum Robertum denuo conceſſum, ac alias domos, & loca prædicta pro ſe, & ſociis ſuis, & ejusdem Angeli tenuiſſet, & poſsediſſet, ac teneat, & poſſideat de præſenti; tamen quia præfati Ordinis Profeſſor fuit, ac nonnulla Inſtrumenta acquiſitionis domorum, & locorum prædictorum dicant, quod idem Angelus Domos, & loca hujusmodi pro ſe, & ſociis dicti Ordinis acquirebat: at Petrus, & alii, qui præfati Angeli ſocii fuerunt, præfati Ordinis Profeſſores minime ſint, ſed ſimplicem Ereminticam vitam agant, nec reperiantur aliqui, qui ejusmodi Angeli Socii fuerunt, & dicti Ordinis Profeſſores exiſtant; dubitant Petrus, & ejus Socii prælibati ſuper domibus, & locis hujusmodi poſſe in poſterum moleſtari: Quare pro parte Petri, & ſociorum eorumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur conceſſionem per præfatum Galeottum Robertum, ut præfertur, factam, & alia Inſtrumenta prædicta habentes præſentibus pro expreſſis, & attendentes, quod Petrus, & ſocii prælibati, cum præfati Angeli Socii fuerunt, dicti Ordinis Profeſſores non fuerunt, neque ſunt etiam de præſenti, & quod domos, & loca hujusmodi, una cum dicto Angelo acquiſiverunt, ac etiam conſtruxerunt; ne ſuper eisdem domibus, atque locis Petrus, & Socii præfati, in poſterum moleſtentur, conceſſionem, renunciationem, & alia Inſtrumenta prædicta rata, & grata habentes, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan ob ſolemnitates juris omiſſi interveniſſent quomodolibet in eisdem; & nihilominus della Scholcha, & alias Domos, & loca prædicta ad eosdem Petrum, & ejus Socios præſentes, & futuros ſpectare, & pertinere, & non ad Fratres ejusdem Ordinis, tenore præſentium volumus, decernimus, ac etiam declaramus; Non obſtantibus præmiſſis, & aliis contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo Nonis Julii Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Eugenius IV. Bartolo de Cæſena ſociisque ejus Heremitis concedit facultatem erigendi Oratorium Venetiis in Parœcia S. Raphaelis.

E 1438. 12. Octobris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Sebaſtiani Venetiarum.

EUgenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Bartolo de Cæſena pauperi Heremitæ & ſociis ſuis in domo, quam infra metas Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis de Venetiis Caſtellanæ Dioceſis poſſident, commorantibus

tibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Meritis piæ vitæ, quam in paupertate ad obſequendum Altiſſimo voluntarie elegiſtis, inducimur, & exemplo boni operis excitamur, ut quæ a nobis digne poſcitis, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod vos ex ſingularis devotionis affectu Capellam ſive Oratorium in & ſuper fundo, quem infra metas parochialis Eccleſie S. Raphaelis de Venetiis Caſtellanæ Dioceſis plurimis tranſactis temporibus una cum domo pro uſu & habitatione nonnullorum pauperum heremitarum deputata inibi erecta poſſediſtis ad conſolationem Eremitarum in ipſa domo pro tempore commorantium præſentium & futurorum & etiam fidelium devotionem ibidem habentium erigere & perficere proponitis, ſi ad hoc Apoſtolice Sedis vobis auctoritas ſuffragetur, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædicta faciendi vobis licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui divinum cultum noſtris præſertim temporibus cupimus ampliari, pium veſtrum propoſitum in Domino commendantes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati vobis in & ſuper fundo præmiſſo capellam ſive Oratorium hujusmodi cum aliis in eo neceſſariis erigendi & conſtruendi, quodque liceat vobis & aliis heremitis prædictis in illa vel illo habere Altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper quo in loco ad hoc idoneo Miſſam & alia divina officia per proprium vel alium Sacerdotem, quem ad hoc eligendum duxeritis, celebrari facere poſſitis; Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis & aliis contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem, jure tamen parochialis Eccleſiæ ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Ferrarie anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo Octavo. Quarto Idus Octobris Pontificatus noſtri anno Octavo.

Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus Delegatus Eugenii IV. denegat pauperibus Eremitis facultatem conſtruendi publicum Oratorium, utque privatum amplient, hortatur.

F

1444. 31. Auguſti.

Ex Autographo in Monaſterio S. Sebaſtiani Venetiarum.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto Indictione ſeptima die trigeſimo primo menſis Auguſti Venetiis, in Epiſcopali Palatio in audientia. Præſentibus Ven. Viro Presb. Joanne de Cataro, & provido viro ſ. Baldaſare de Canaregio familiaribus ac perpetuis comenſalibus Infraſcripti Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Caſtellanenſis Eccleſiæ. Coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino D. Laurentio Juſtiniano Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Caſtellanenſi Comparuit Ven. & religioſus vir frater Bartholomeus de Cæſena de Societate Pauperum Heremitarum S. Raphaelis loci de Venetiis Caſtellanenſis Dioceſis, & exhibuit, & preſentavit pro ſe, ac vice, & nomine dictorum Heremitarum eidem Reverendiſ-

Domino Epiſcopo litteras Sanctiſſimi Domini noſtri D. Eugenii divina providentia Papæ Quarti ſanas, integras, & illæſas, non cancellatas, non abraſas, nec in aliqua parte ſui ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, vera ipſius Domini noſtri bulla plumbea ad cordulas canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas, quas litteras Apoſtolicas præfatus Dominus Epiſcopus, ea qua decuit reverentia, recepit, offerendo ſe promptum & paratum mandatis Apoſtolicis humiliter, ut tenetur, obedire, & exequi cum effectu. Quarum litterarum tenor ſequitur & eſt talis: Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Caſtellanenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Devotarum nobis & Apoſtolicæ Sedi perſonarum præſertim heremiticam vitam ducentium votis libenter annuimus, & in his per quæ illarum commodo cum Divini cultus augumento conſulitur, favorem Apoſtolicum impartimur. Dudum ſiquidem dilectis filiis Bartolo de Cæſena pauperi heremitæ & ſociis ſuis in domo, quam infra metas Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis de Venetiis tuæ Diœceſis poſſident commorantibus, in & ſuper fundo quem infra dictas metas plurimis tunc tranſactis temporibus una cum domo pro uſu & habitatione nonnullorum pauperum heremitarum deputatis inibi erecta poſſideant quamdam Capellam ſive Oratorium quoddam cum aliis in eo neceſſariis erigendi & conſtruendi inter cetera per alias noſtras litteras facultatem conceſſimus eidem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Bartoli & ſociorum prædictorum petitio continebat ipſi attente conſiderantes fundum hujuſmodi pro erectione & conſtructione prædictis non ſufficere unum terrenum vacuum, & quamdam domum illi vicinam ad dictam Eccleſiam certo modo pertinentia a dilectis filiis Andrea Venturella Plebano, & Capitulo, & procuratoribus dictæ eccleſiæ pro certa tunc expreſſa pecuniarum ſumma emerunt, prout plenius in prædictis litteris, & in inſtrumento publico ſuper emptione hujuſmodi confecto dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, in præfato inſtrumento, quod dicti Bartolus & ſocii pro ſe & ſucceſſoribus ſuis expreſſe & ex certa ſcientia eiſdem venditoribus promiſerunt, ſeque & dicti venditores inſimul convenerunt, quod prædicti & qui pro tempore eſſent heremitæ, nunquam facient nec fieri permittent in loco hujuſmodi aliquod Oratorium ſeu Capellam, propter quod ſeu quam oriri & eſſe poſſet inter eos ſcandalum perpetuum adjectum, ſive poſitum reperiatur. Ipſique Bartolus, & ſocii, quod promiſſio, & conventio hujuſmodi inter eos intervenerunt, nullatenus recordentur; ſed potius credunt illas non interveniſſe, licet forſan id nullatenus alias non niſi cum difficultate maxima probari poſſit. Nec non Andreas & Capitulum præfati prætendentes ex hoc ſcandalum oriri, vel dictos Bartolum & Heremitas id nullatenus propter ipſas conventiones, & promiſſiones poſſe, non modo, quod dictus Bartholus & heremitæ ſuper terreno, & domo, ſed etiam quod ſuper fundo hujuſmodi ſuper quo fundare ceperunt, fundationem ipſam perficiant, impedire nitantur pro parte eorumdem Bartholi & heremitarum nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut eis quod ſuper dicto fundo Capellam & Oratorium hujuſmodi cum neceſſariis officinis fundare, & ſi illis quolibet expediens fuerit etiam ſuper terreno ac domo emptis prædictis fundationem hujuſmodi etiam quo ad domus & officinarum prædictarum fundationem ampliare, fundare, & conſtruere libere & licite poſſint, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Andrea Plebano, & Capitulo præfatis, nec non aliis, qui fuerint evocandi, per te ipſum in præmiſſis auctoritate noſtra facias, prout tibi, cui conſcientiam ſuper hoc oneramus, melius videbitur faciendum, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione propoſita compeſcendo

do non obſtantibus præmiſſis & conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Andreæ Plebano & Capitulo prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim à Sede Apoſtolica indultis exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrigenteſimo quadrageſimo quarto tertio Nonas Junii Pontificatus noſtri Anno quarto decimo. Poſt quarum quidem præſentationem & acceptionem litterarum Apoſtolicarum per præfatum Fratrem Bartholum & heremitas, debita fuit cum inſtantia requiſitus antedictus Reverendiſſimus Pater Dominus Epiſcopus executor, & Commiſſarius ſupraſcriptus, ut ad executionem prædictarum litterarum Apoſtolicarum ſecundum habitam, ſeu directam in eisdem litteris ſibi formam procedere dignaretur, qui Dominus Epiſcopus executor delegatus, præfatum volens mandatum Apoſtolicum ſibi in hac parte directum, ut tenetur, exequi diligenter, proceſſit in cauſa vocando partes audiendo examinando, & cognoſcendo, ut in actis apparet uſque ad ſententiam declaratoriam, ac diffinitivam incluſive: Cujus ſententiæ tenor per omnia ſequitur. Et eſt talis.

In Chriſti nomine Amen. Nos Laurentius Juſtinianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellanus Commiſſarius & Executor delegatus unicus a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus in hac cauſa & inter infraſcriptas partes volentes, ut tenemur, mandata Apoſtolica perficere; Viſa commiſſione & auctoritate nobis ab Apoſtolica Sede conceſſa, ut ſupra &c. Et viſo inſtrumento pactorum, de quo fit mentio in dictis litteris Apoſtolicis, perſonaliter acceſſimus ad locum prædictorum Pauperum & vocatis Fratre Bartholo & aliquibus dictorum Heremitarum parte una, & Ven. Viro Presb. Andrea Venturella Plebano Eccleſiæ S. Raphaelis cum Capitulo & procuratoribus dictæ Eccleſiæ parte ex altera, & auditis hujuſmodi propoſitis juribus, & rationibus utriusque partis; Viſis etiam locis, in quibus dicti Heremitæ dicebant velle facere Oratorium & conſideratis denique inconvenientiis & ſcandalis, quæ ſequi poſſent, tam ipſi Parochiæ S. Raphaelis, quam Parochiæ S. Baſilii circumvicinæ & conſideratis pluribus aliis, quæ merito conſideranda fuerint, & ſint, habita ſuper hoc matura & diligenti deliberatione & conſideratione; Atque volentes præſertim conſulere bono & quieti ipſorum Pauperum tam preſentium, quam futurorum; & ſcandalis, quæ poſſunt oriri, mature obviare; Chriſti nomine invocato a quo omne rectum procedit judicium, ſolum Deum præ oculis habentes, ſedentes pro tribunali in audientia noſtri Epiſcopalis palatii Caſtellani; Præſentibus nobilibus & egregiis viris Dominis Aloyſio Juſtiniano q. Domini Zachariæ, & Domino Hermolao Coppo, & Domino Nicolao Quirini q. Domini Smerii, omnibus dicentibus & aſſerentibus ſe comparere nomine & vice ipſorum Pauperum Heremitarum, & dicentibus ſe eſſe Procuratores eorum; Et quod ipſi Heremitæ qui fuerant nominati pro hac die & hora ad audiendum præſentem terminationem ſeu ſententiam, dixerunt eis, quod deberent comparere pro eis, & ipſis Nobilibus, & monitis ibidem per nuncium Curiæ Presb. Dominicum tanquam procuratorem dictorum Heremitarum pro parte una & Domino Plebano S. Raphaelis ſupraſcripto Presb. Gregorio Polo Canonico Caſtellano pro Capitulo dictæ Eccleſiæ & procuratore ejuſdem videlicet Domino Franciſco Memo filio Spectab. Domini Marci Memo procuratore Eccleſiæ vice & nomine ſui Patris; & ſ. Franciſco de Molino ſecundo Procuratore dictæ Eccleſiæ Sancti Raphaelis omnibus & ſingulis monitis ad hunc actum pro iſta hora parte ex altera, per hanc noſtram

ſententiam, terminationem, & deliberationem quam fecimus in his ſcriptis autoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, dicimus pronunciamus, terminamus, & declaramus, ut ipſum Oratorium ſeu Capella non fiat nec fieri poſſit in horto vel territorio, in quo alias inchoatum fuit, nec etiam fieri poſſit ubi domus emptæ fuerunt a latere auſtrali tanquam locus ad hæc minus idoneus pluribus rationibus animum noſtrum moventibus; verum ut ipſi pauperes Heremitæ habeant commodum locum ad orandum, & orationibus ſuis vacandum decernimus, & decernendo damus & concedimus eisdem Heremitis pauperibus plenam, & liberam facultatem, eosque hortamur, ſi volunt dilatare Oratorium illud antiquum, quod habent ſuperius, quod hoc facere poſſint in nomine Domini; quoniam id fiet cum commoditate & prorſus ſine ſcandalo circumſtantium. Et hæc dicimus hoc modo & omni alio modo jure & forma, quibus magis & melius fieri & valere poteſt de jure ex Apoſtolica autoritate nobis in hac parte conceſſa.

Lata data & promulgata fuit ſupraſcripta terminatio ſive ſententia per ſupraſcriptum Dominum Epiſcopum Judicem, & Commiſſarium antedictum in audientia Epiſcopali, quem locum ſibi elegit pro idoneo ad hunc actum die xv. Septemb. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXLIV. Præſentibus Presb. Domino Dominichino Nuncio Caſtellan. Presb. Marco filio ſ. Joannis Sancti Fantini & Bartholameo Clerico de Paternoſtri S. Fantini omnibus de Venetiis teſtibus ad hæc vocatis habitis, & rogatis.

Ego Jacobus de Venetiis filius ſ. Antonii Pub. Imperiali auctoritate Notarius & Curiæ Epiſcopalis Caſtellan. Coadiutor de commiſſione providi Viri ſ. Antonii de Lugo publici Imperiali auctoritate Notarii & Curiæ Epiſcopalis Caſtellan. prædictæ Cancell. ipſo aliis arduis impedito negotiis præſentationem litterarum Apoſtolicarum receptionem & terminationem ſive ſententiam ſupraſcriptam ac omnia & ſingula in præſenti inſtrumento contenta pure & fideliter ex autentico ſive originali accopiavi, & in hanc publicam redegi formam, nil addens, vel minuens, quod ſenſum mutet vel variet intellectum, & in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum me ſubſcripſi & ſignum mei tabellionatus officii appoſui conſuetum.

Ego Antonius Jacobi Civis Venet. pub. Imperiali auctoritate Notarius & Epiſcopalis Curiæ Caſtellanæ, Scriba & Cancellarius ſupraſcripto inſtrumento atque proceſſui ſcripto, & copiato, & in hanc publicam formam redacto per Jacobum Notarium filium & coadjutorem meum, in officio de mandato de libro actorum Curiæ prædictæ per me ſcriptum originaliter quia cum dicto originali in omnibus concordare inveni, ad ipſius inſtrumenti publici majus robur me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum.

Fan-

Fantinus Dandulus Archiepiſcopus Cretenſis inſtituit quotidianam celebrationem Miſſæ in Oratorio Eremitarum S. Raphaelis Venetiarum.

G 1445. 20. Junii.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto Indict. octava die xx. menſis Junii. Cum Rever. in Chriſto pater & Dominus D. Fantinus Dandulo Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Cretenſis (*a*) ob recolendæ memoriæ reverentiam incliti Domini Andree Dandulo olim Ducis Venetiarum Avi ſui emerit tot domos affictalinas (*b*) pro precio ducatorum quingentorum auri, ex quarum affictibus exiguntur ducati triginta duo auri, quos deputat, & inſtituit unam perpetuam manſionariam de ducatis triginta duobus auri, quos deputat, & inſtituit ad celebrationem Miſſæ ſingulis diebus pro anima dicti Avi ſui & ſuorum prædeceſſorum dicendæ in Capella ſeu Oratorio pauperum Heremitarum Sancti Raphaelis de Venetiis dans, volens, & concedens idem Archiepiſcopus omnimodam poteſtatem libertatem & auctoritatem Rectori & pauperibus Heremitarum, Societatis Religioſi viri Fratris Petri de Piſis de dicta Contrata S. Raphaelis de Venetiis eligendi, ponendi & inſtituendi unum Sacerdotem in manſionarium dictæ Capellæ & Manſionariæ pro ſuo libito voluntatis. Ad cujus Manſionarii inſtitutionem, & electionem intendit neminem ſe debere impedire, niſi ſolum dictus Rector & pauperes dictorum pauperum Heremitarum S. Raphaelis, ut præmittitur. Verum ſi dictus Rector & pauperes ad tempus vellet dictas domos ad ſuum uſum commodum & utilitatem reducere ponere & diſponere, ac in illud opus, & proficuum, & utilitatem ipſius ſocietatis facere, ipſe præfatus Dominus Archiepiſcopus eſt contentus, quod ipſi pauperes poſſint facere, diſponere, & utilitatem quamcumque pro ipſa ſocietate quomodolibet faciendam, attamen appoſito, quod prius teneantur ponere ad Cameram Impreſtitorum Communis Venetiarum tot denarios, ex quibus habeatur de prode ipſorum denariorum ad Cameram prædictam depoſitorum præfata quantitas dictorum ducatorum trigintaduorum auri, ut ipſa Manſionaria ſit perpetuis temporibus duratura. Actum Venetiis in domo habitationis ipſius Domini Archiepiſcopi Cretenſis poſitæ penes Monaſterium Corporis Chriſti. Præſentibus Ven. Viro D. Præsb. Alexandro qu: Magiſtri Marci Aurificis de fornoriis de Parma de Placentia Capellano, diſcreto viro Joanne Antonio filio Auguſtini ex Comitibus Mede diæceſis Lomellinæ, Viſconte filio q. Domini Guberti de Comitibus Peregrini Lombardiæ, Franciſco filio q. Joannis Fugeler diæceſis Tubenenſis, ejusdem Domini Archiepiſcopi familiaribus teſtibus ad præmiſſa vocatis habitis & rogatis.

Ego Luchinus Bono filius qu: ſ. Marci de Venetiis de Contrata S. Paterniani Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius publicus & judex ordinarius prædictis omnibus & ſingulis ſupraſcriptis interſui una cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque rogatus ſcripſi & in hanc publicam formam redegi in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium & ſingulorum.

Paulus

(*a*) De Fantino Dandulo Archiepiſcopo Cretenſi primum mox Epiſcopo Patavino verba fecimus Operis hujus Decade I. pag. 122. ubi emortualis ejus inſcriptio exhibetur.

(*b*) Domus *affictalina* hic habetur pro domo quæ dari ſolet in locationem.

Paulus II. elargitur indulgentias viſitantibus, & eleemoſinas erogantibus Capellæ Eremitorii S. Sebaſtiani Venetiarum.

H 1468. 12. Octobris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Sebaſtiani Venetiarum.

PAulus Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſtifidelibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ante tronum Divinæ Majeſtatis fideles Chriſti Sanctorum piis adiuti ſuffragiis ad eorum celebranda feſtiva ſolemnia eo debent ferventius incitari, quo talium patronorum fulciri præſidiis potiora retributionis præmia valeant promereri: Unde nos more Paſtoris vigilis oves noſtræ curæ commiſſas, quas cupimus in cœleſti patria collocari, ad ipſorum Sanctorum trahimus libenter obſequia, ut eos in conſpectu Domini devota veneratione collaudent. Cum itaque, ſicut accepimus, Capella Heremitorii S. Sebaſtiani Venetiarum Congregationis Fr. Petri de Piſis Libris, Calicibus, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis ad divinum cultum neceſſariis plurimum indigeat, & ad emendum illa facultates ipſius Eccleſiæ non ſufficiant, ſed Chriſtifidelium ſuffragia ſint admodum opportuna; Nos cupientes, ut Capella ipſa congruis honoribus frequentetur, ac Libris Calicibus & ornamentis hujuſmodi fulciatur & decoretur, nec non Chriſtifideles & libentius devotionis cauſa ad eamdem Capellam confluant, & ad hujuſmodi fulcimentum & decorem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Capellam prædictam in ejuſdem S. Sebaſtiani ac S. Raphaelis Archangeli feſtivitatibus devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi fulcimentum & decorem manus adjutrices porrexerint, ut præfertur, ſingulis videlicet feſtivitatum earumdem diebus quinque annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Præſentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Capellam ſeu ad illius fabricam vel hujuſmodi fulcimentum decoremque manus adjutrices porrigentibus ſeu alias aliqua indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus forſan vel nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Domini MCCCCLXVIII. Quarto Idus Octobris Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Fratres

Fratres Eremitæ Congregationis B. Petri de Piſis petunt à Calliſto III. facultatem ædificandi Eccleſiam in urbe Venetiarum.

I

Ex Archivo Monaſterii S. Sebaſtiani Venetiarum.

BEatiſſime pater. Dudum poſtquam S. V. devotis veſtris Bartolo de Cæſena pauperi Heremitæ & ſociis ſuis in domo, quam infra metas Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis de Venetiis Caſtellanæ Diœceſis poſſident commorantibus de & ſuper fundo infra dictas metas plurimis tunc tranſactis temporibus unà cum domo pro uſu & habitatione nonnullorum pauperum Heremitarum deputata inibi erecta poſſederant, quamdam Capellam ſive Oratorium cum aliis in eo neceſſariis erigendi inter cætera per quamdam conceſſerat facultatem pro parte Bartoli & ſociorum prædictorum eſt S. V. expoſitum, quod a prædictis pauperibus fuerint emptæ de eleemoſynis quædam domus, quæ erant Eccleſiæ S. Raphaelis libere & expedite cum uno terreno vacuo ad dictam Eccleſiam pertinentia ab Andrea Venturella Plebano & Capitulo ac procuratoribus dictæ Eccleſiæ S. Raphaelis pro certa tunc expreſſa pecuniarum ſumma; Et poſt Annum Plebanus cum Capitulo pepigit cum prædicto Bartolo, ut in prædicto loco heremitarum nullum erigeret Oratorium ſive Capellam vel fieri permitteret in damnum ſuæ Eccleſiæ, vel quod inter eos poſſet ſcandalum generari. Tamen ipſe Bartolus, quod promiſſio & conventio hujuſmodi inter eos intervenîſſent, nullatenus recordabatur, ſed potius credebat illas non interveniſſe niſi tantum clauſula illa, quam in conceſſione Veſtræ ſanctitatis apponitur videlicet ſalvo jure Parochialis Eccleſiæ maxime, cum idem Bartolus non intendebat derogari conceſſionibus Apoſtolicis dictorum heremitarum, poſtquam de hoc non habet nec generale nec ſpeciale mandatum a præfatis heremitis, ac pro parte ipſorum Bartoli & ſociorum eſt S. V. humiliter ſupplicatum, ut ſibi ſuper dicto loco pauperum Capellam ſeu Oratorium hujuſmodi fundare & ampliare libere & licite poſſent, licentiam concedere dignaretur, conventione facta inter Andream Plebanum Capitulum & Bartolum non obſtantem. Unde S. V. per alias litteras mandavit R. P. Domino Laurentio Epiſcopo Caſtellano ut vocatis Andrea Venturella Plebano & Capitulo præfatis, nec non aliis qui fuerint evocandi faceret, prout ſibi melius videretur, ejus conſcientiam onerando. Deinde præfatus Laurentius Epiſcopus ad ipſarum poſteriorum litterarum executionem minus legitime procedens per ſuam ſententiam terminavit & declaravit, quod ipſum Oratorium ſive Capella non fieret nec fieri poſſet in horto vel territorio, in quo alias inchoatum fuerat, ſed dedit & conceſſit eiſdem heremitis facultatem, ſi volebant, dilatandi Oratorium illud antiquum, quod habebant ſuperius in ſolario, prout in litteris præfatis & proceſſibus ac inſtrumentis deſuper habitis, quorum omnium tenores dignetur hic S. V. habere pro expreſſis plenius continetur: Cum autem, Pater Sancte, oratorium illud antiquum ſit in ſolario juxta dormitorium quod quando quis ſecutus ipſum graditur, totum altare movetur, & Oratorium conquaſſatur propter quod inquietum eſt & Sacerdotibus celebrantibus operoſum & magis conveniens & præfatis heremitis utilius, quod Capella ſeu Oratorium in terra fundetur, quam ſuper ſolario, prout in ſententia prædicta continetur, ac prope Cimiterium ſine intervallo quam ſeparatim; Credatur que talem fuiſſe intentionem V. S. Cum ad illam

vel

vel illud non publicus ſit aditus, ſed via ſingularis & propria remota a ſtrata communi, & cum quis ingrediatur in locum Capellæ ædificandæ, oportet percutere oſtium, quod diſtat à loco ædificandæ Capellæ per octo paſſus, & totus locus prædictus clauditur & circumdatur muro pro quibus omnibus & aliis circumſtantiis Cappella ſeu Oratorium predictum fieri poteſt absque præjuditio Parochialis Eccleſiæ. Supplicant S. V. Bartolus & ſocii præfati, quatenus attentis præmiſſis, & cum ipſi in quibuscumque domibus ſive locis eorum Capellam ſeu Oratorium in terreno & non ſuper ſolario fundandi licentiam habuerint & fundaverint, Inconveniens videretur, quod in hujusmodi domo de Venetiis, que inter alias domos eorum ſolempnis exiſtit, & in qua continuo ultra ſexdecim pauperes heremitæ Altiſſimo famulantur, pari privilegio non uterentur, ſibi ſuper territorio prædicto licentiam concedere ſeu concedi mandare dignemini de gratia ſpeciali, contradictores &c. Non obſtantibus promiſſione & conventione ac aliis præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceterisque contrariis quibuscumque cum clauſulis opportunis.

Calliſtus III. Hieronymo Priori & Fratribus Eremitis Congregationis B. Petri de Piſis concedit facultatem conſtruendi Eccleſiam.

1475. 26. Auguſti.

Ex Autographo in Archivo Monaſterii S. Sebaſtiani Venetiarum.

CAlliſtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Hieronymo Rectori & ſociis ſuis pauperibus Eremitis in quadam domo intra metas Parochiæ Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum conſiſtente commorantibus Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Speciali gratia & favore vos illa de cauſa potiſſime dignos reputamus, quia, ſicut accepimus, toto cordis affectu ſemper ad hoc intenditis, ut per ſanctæ converſationis & laudabilis vitæ ſtadium in conſpectu Dei & hominum fulgeatis. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio Papæ IV. Prædeceſſori noſtro pro parte quondam Bartholi de Cæſena & Sociorum ſuorum in eadem domo commorantium expoſito; Quod ipſi ex ſingularis devotionis affectu Capellam ſive Oratorium in & ſuper fundo, quam infra metas dictæ Parochialis Eccleſiæ plurimis tranſactis temporibus una cum domo pro uſu & habitatione nonnullorum pauperum Heremitarum deputata inibi erecta poſſideant, ad conſolationem Eremitarum in ipſa domo pro tempore commorantium tum præſentium & futurorum, & etiam aliorum fidelium devotionem ibidem habitantium erigere & perficere proponebant, ſi ad hoc Apoſtolicæ Sedis vobis auctoritas ſuffragaretur. Idem Eugenius prædeceſſor Bartholi & Sociorum prædictorum in ea parte eorum ſupplicationibus inclinatus eis in & ſuper fundo præmiſſam Capellam ſive Oratorium hujusmodi cum aliis in eo neceſſariis erigendi, & conſtruendi, quodque liceret eis & aliis Eremitis prædictis in illa vel illo habere unum Altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper quo in loco ad hoc congruo & idoneo Miſſam & alia Divina Officia per proprium vel alium Sacerdotem, quem ad hoc eligendum ducerent, celebrari facere poſſent, facultatem conceſſit, jure tamen Parochialis Eccleſie ſemper ſalvo, & deinde pro parte Bartholi & Sociorum prædictorum eidem Eugenio Prædeceſſori etiam expoſito, quod ipſi attente conſiderantes fundum hujusmodi pro erectione & conſtru-

conſtructione prædictis non ſufficere & pro eis fore commodum habere unum terrenum vacuum & quamdam domum illi vicinam ad dictam Eccleſiam certo modo pertinentia, hæc a dilectis filiis Andrea Venturella Plebano ac Capitulo & procuratoribus dictæ Eccleſiæ pro certa tunc expreſſa pecuniarum ſumma emerant, prout plenius in prædictis litteris & in inſtrumento publico ſuper emptione hujusmodi confecto dicebatur contineri; Ac ſubjuncto eidem Eugenio Prædeceſſori, quod in præfato inſtrumento dicti Bartolus & ſocii pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis expreſſe & ex certa ſcientia eiſdem venditoribus promiſerant, ipſique & dicti venditores inſimul convenerant, quod prædicti, & qui pro tempore eſſent, Eremitæ nunquam facerent neque fieri permitterent in loco hujusmodi aliquod Oratorium, ſeu Capellam, propter quod, ſeu quam oriri & eſſe poſſet inter eos ſcandalum perpetuum, adjectum ſive poſitum reperiretur, ipſique Bartholus, & ſocii quod promiſſio & conventio hujusmodi inter eos intervenerint, nullatenus recordarentur, ſed potius crederent illas non interveniſſe, licet forſan id nullatenus, vel nonniſi cum difficultate maxima probari poſſet, nec non Andreas & Capitulum præfati prætendentes, ex hoc ſcandalum oriri, vel dictos Bartholum & Eremitas id nullatenus propter ipſas conventionem & promiſſionem poſſe, non modo quod dicti Bartholus & Eremite ſuper terreno & domo, ſed etiam quod ſuper fundo hujusmodi ſuper quo fundare ceperant fundationem ipſam perficerent, impedire niterentur, præfatus Eugenius Prædeceſſor ipſius Bartholi & Sociorum etiam ſupplicationibus inclinatus Ven. Fratri noſtro Epiſcopo Caſtellanæ Diœceſis proprio nomine etiam expreſſo per alias ſuas litteras dedit in mandatis, quatenus vocatis Andrea Plebano & Capitulo præfatis, nec non aliis, qui forent evocandi, per ſe ipſum in præmiſſis auctoritate Apoſtolica faceret, prout ſibi, cujus conſcientiam ſuper hoc oneravit, melius videretur faciendum; & deinde ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, præfatus Epiſcopus ad ipſarum litterarum executionem procedens per ſuam ſententiam ſuper præmiſſis dixit, pronunciavit, terminavit, & decretavit, ut dicti Eremitæ Oratorium ſive Capellam non poſſent facere, nec conſtruere in horto vel territorio, in quo alias in communi actum fuit, nec etiam fieri poſſet, ubi domus emptæ fuerant à latere Auſtrali, tamquam locus ad hoc minus idoneus, decernens inter cetera, quod Oratorium ipſum in loco alto antiquo ad hoc alias in dicta domo conſtructo & ſuper certis columnis elevatis conſtrui & deputari debere in non modicum dictorum pauperum Eremitarum præjuditium damnum & gravamen, prout in ſingulis litteris dicti Eugenii Prædeceſſoris, nec non proceſſibus dicti Epiſcopi deſuper decretis, quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur; Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, locus per eumdem Epiſcopum ad celebrandum, ut præmittitur, deputatus ab omni latere ſit ventoſus, vobisque valde incommodus, adeo quod ſi ad celebrandum inibi adſtringeremus fidelium devotio procul dubio tepeſceret, & etiam ſcandala poſſent exinde veriſimiliter exoriri. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis Capellam ſeu Oratorium in plano fundi terreni & domorum prædictarum, ubi ſicut aſſeritis, jam inchoaſtis, fundare conſtruere & erigere, ſeu fundari conſtrui & erigi ac Miſſas & alia Divina Officia ibidem celebrare facere poſſitis, concedere aliasque in præmiſſis providere opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur attendentes non fore conveniens, nec etiam conſonum rationi, quod Miſſæ in loco alto & præcipue ventoſo celebrentur, ac volentes, ut eorumdem fidelium devotio non tepeſcat, ſed quotidie magis creſcat & augeatur, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod Capellam, ſeu Oratorium hujusmodi non in altum prout vobis ut præmittitur,

conceſſum fuit, ſed ad planum fundi terreni & domorum prædictarum abſque tamen prejudicio dictæ Parochialis Eccleſiæ fundare conſtruere & ædificare, ſeu fundari conſtrui & ædificari ac illam ſeu illud perfici, nec non Miſſas & alia Divina Officia ibidem celebrari facere libere & licite valeatis, ac alii Eremitæ, qui in ipſis domibus pro tempore vixerint, celebrare poſſint & valeant Diœceſani loci, & cujuscumque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus ſententia & pronunciatione dicti Epiſcopi & aliis premiſſis & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto ſeptimo Kalendas Septembris Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sixtus IV. concedit facultatem Fratribus S. Sebaſtiani Venetiarum, ut ſuam Eccleſiam conſecrari faciant à quocumque Catholico Epiſcopo.

K 1483. 11. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

Sixtus PP. IIII.

Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Supplicari nobis humiliter curaſtis, quod cum Eccleſia iſtius veſtri loci, in qua laudabiliter deſervitur in Divinis, & Miſſe aliaque Divina officia continue celebrantur, noviter conſtructa ſit, & conſecrata nondum fuerit, dignaremur vobis deſuper opportune adeſſe, cum Venerabilis Frater Patriarcha Venetiarum ſenio confectus commode ad id intendere non poſſit: Nos hujusmodi ſupplicationibus inclinati præſentium tenore vobis concedimus, ut Eccleſiam ipſam à quocumque Catholico Antiſtite gratiam & communionem Apoſtolice Sedis habente adhibitis ſolemnitatibus à jure requiſitis, libere & licite conſecrari facere poſſitis, & valeatis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die v. Aprilis MCCCCLXXXIII. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Fratres

Fratres Eremitæ S. Sebaſtiani, & Capitulum S. Raphaelis conveniunt de Oratorio & Cœmeterio conſtruendis in loco Sancti Sebaſtiani.

L 1486. 21. Septembris.

Ex Autographo in Monaſterio S. Sebaſtiani de Venetiis.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo octuageſimo Sexto Indictione quinta die vero vigeſimo primo menſis Septembris Venetiis in Camera habitatoris & reſidentis Ven. & circumſpecti ſacræ Theologiæ Profeſſoris Domini Rainerii Floravantis Plebani Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum, Præſentibus ibidem Venerabilibus Sacerdotibus Domino Joanne Faſuolo Veneto & Nicolao Zio de Calabria Manſionariis in Eccleſia S. Raphaelis teſtibus infraſcriptis, habitis, rogatis, & vocatis, &c. Venerab. & circumſpectus Dominus Rainerius Floravante ſacræ Theologiæ Profeſſor Plebanus Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum principalis & etiam Procuratorio nomine Venerab. Dominorum Præsbyterorum Franciſci de Michaelibus Præsb. Titulati & Paſqualis de Ambroſiis Diaconi, & Rever. Domini Gregorii Archipræsbyteri Caſtellanæ Eccleſiæ, Subdiaconi dictæ Eccleſiæ Sancti Raphaelis, prout de commiſſionibus hujusmodi ad infraſcripta faciendi patet publicis inſtrumentis ſcriptis, & publicatis manu mei Notarii infraſcripti ex una. Et Venetus Religioſus Fr. Bernardus de Mantua Prior Monaſterii & Conventus Fratrum Eremitarum S. Sebaſtiani Venetiarum de ſocietate Fratris Petri de Piſis tamquam Procurator & ſindicus omnium Fratrum Eremitarum, & Capituli dicti Monaſterii S. Sebaſtiani prout de ſuo Procurationis & Sindicatus mandato conſtat publico inſtrumento ſcripto, & publicato manu mei Notarii ad infraſcripta facienda partibus ex altera &c. Cum alias de Anno 1440. qu: Ven. Domino Præsb. Andreas Venturelli tunc Plebanus S. Raphaelis & Dominus Præsb. Gregorius tunc Præsbyter titulatus dictæ Eccleſiæ pro majori parte Capituli ipſius Eccleſiæ intervenientibus etiam Procuratoribus tunc dictæ Eccleſiæ S. Raphaelis dederint, vendiderint, ac alienaverint jure proprio in perpetuum dictis pauperibus Fratribus Eremitarum S. Sebaſtiani tunc nuncupati *Li Poveri Eremiti di S. Raffael* unum terrenum vacuum, & unam domum muratam poſitam in confinio S. Raphaelis apud dictos Fratres Eremitas infra ſuos confines prætio & nomine pretii ducatorum trecentorum triginta trium impreſtitorum cum ſuis prodibus pacto ſolemni celebrato inter ipſos contrahentes Videl. quod ipſi Fratres pauperes heremitæ tum exiſtentes, & qui pro tempore erunt, promiſerunt & ſe obligaverunt dictis venditoribus recipientibus nomine dictæ Eccleſiæ & Capituli ſui nullo unquam tempore facere vel fieri permittere in dicto loco S. Raphaelis aliquod Oratorium ſive Capellam, propter quod, ſive propter quam oriri, & eſſe poſſit aliquod ſcandalum in perpetuum inter prædictos Plebanum & Præsbyteros ſeu Capitulum & Procuratores dictæ Eccleſiæ S. Raphaelis ex una, & prefatos heremitas ex alia prout in dicto inſtrumento deſuper confecto ſcripto & roborato manu Antonii Jacobi publici Notarii & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Caſtellani tunc Cancellarii ſub Die xv. Menſis Julii 1440. à me infraſcripto Notario viſo, & lecto latius & ſerioſius continetur. Et per conſequens non valentibus dictis pauperibus facere Eccleſiam & in Monaſterii Oratorium minime poſſent habere cimiterium ad intumulationem cadaverum laicorum & quia

per ipſos Fratres Eremitas dicta clauſula in dicto instrumento appoſita non obſtante fabricata fuit Eccleſia, & Oratorium, ac etiam Cimiterium ad intumulationem cadaverum Laicorum non ſine prejudicio dictorum Plebani & Præsbyterorum & Capituli S. Raphaelis pro tempore exiſtentium contradicentium, & opponentium ſe dictis conſtructionibus tam factis quam inde fiendis per dictos Fr. in dicto loco proteſtantium. Tandem predictus Dominus Rainerius Plebanus nominibus quibus ſupra; Et Dominus Fr. Bernardus de Mantua Prior ſindicus & Procurator dictorum Fratrum & Capituli ſui ut ſupra partibus ex altera; Cupientes litium anfractus evitare, ac aliis quos propter litem ipſam ſubituri erant parcere laboribus, & expenſis, intervenientibus ſuper iis nonnullorum eorumdem partium communium amicorum tractationibus &c. Gratis ſponte non coacte nec in aliquo circumventi ſed ex eorum ut dicebant ſpontanea voluntate omnibus melioribus modo, via, jure, & forma, quibus magis melius tutius & efficacius de jure potuerunt & debuerunt, convenerunt tractaverunt per ſe & eorum ſucceſſores ſtipulantes & recipientes, ac amicabiliter concordarunt modo & forma infraſcriptis, videlicet præfatus Dominus Rainerius Plebanus S. Raphaelis nominibus, quibus ſupra, per ſe, & eorum ſucceſſores ut ſupra in perpetuum caſſavit, irritavit, annulavit & invalidavit, ac pro caſſa nulla & irrita ac invalida declaravit & haberi voluit clauſulam ipſam ſive pactum promiſſionem & obligationem in ipſo inſtrumento appoſitam ſcriptam & contentam, per quam ipſi tunc Eremitæ per ſe & ſuos ſucceſſores promiſerunt & ſe obligaverunt nunquam facere nec fieri permittere aliquod Oratorium ſive Capellam in loco prædicto S. Sebaſtiani, propter quam, ſive propter quod poſſet ſequi aliquod ſcandalum perpetuum inter Plebanum & Presbyteros ſeu Capitulum ipſius Eccleſiæ pro tempore exiſtentes ex una, & dictos Fratres Eremitas & ſucceſſores ex alia: quæ quidem clauſula incipit: Cum hoc quod præfatus Frater Bartolus ſindicus prædictus &c. uſque ad finem dicti capituli finientis & terminantis, & præfatos Eremitas & ſucceſſores ſuos parte altera in contrata prædicta &c. Ita, & taliter quod dicta promiſſio pactio & obligatio tunc ex ſpeciali pacto & expreſſa ſcientia firmata nulla ſit, & invalida, nulliusque efficaciæ roboris vel momenti, ac ſi nunquam in dicto Inſtrumento appoſita fuiſſet, & quam præfatus Dominus Plebanus nominibus quibus ſupra per ſe & ſucceſſores ſuos inciſit, ceſſavit, & annullavit in omnibus & per omnia cum omnibus ſuis exemplis, *regiſtris* prothocolis, abbreviaturis, connexis & annexis ac dependentiis promittens per ſe & ejus ſucceſſores nominibus quibus ſupra dicto Domino Fratri Bernardo Procuratorio nomine quo ſupra ſe ſuiſque ſucceſſoribus recipientes in perpetuum litim, controverſiam, queſtionem, vel impedimentum aliquod ullo tempore non inferre, nec inferenti conſentire, cauſa & occaſione dictæ partitionis annullatæ tam ratione fabricatæ Eccleſiæ & Cimiterii quam aliorum quorumcumque. Remanente tamen dicto inſtrumento in ſuis robore & firmitate quo ad venditionem dictarum domorum tunc factarum, & ad cætera alia in ipſo inſtrumento contenta, & e converſo præfatus D. Fr. Bernardus de Mantua Prior Procurator & ſindicus antedictus per ſe & ſucceſſores ſuos pro litibus controverſiis & differentiis & præſentibus & futuris vitandis, & ceſſandis ac etiam pro remotione caſſatione & annullatione dictæ clauſulæ pacti, promiſſionis, & obligationis prædictæ ut ſupra cancellatæ inciſæ & annulatæ & pro omni tranſgreſſione dictorum pacti & promiſſionis, dat promittit & ſe obligat, ac dedit promiſit & obligavit dicto Domino Plebano nominibus quibus ſupra pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ac nomine ſuæ Eccleſiæ recipienti dare offerre præſentare, & conſignare jure proprio in perpetuum & perpetuis temporibus omni & ſingulo Anno in Feſto S. Raphaelis ſuper Altare

tare ipſius offerre candellotos quatuor ceræ albæ ponderis libræ unius pro ſingulo duos candelotos, & duo ſint & eſſe debeant ponderis librarum duarum pro ſingulo qui ſunt in ſuma libræ ſex in totum. Promittens dictus D. Fr. Bernardus Prior Sindicus & Procurator ultraſcriptus nominibus quibus ſupra perpetuo dictos candelotos ceræ albæ ponderis librarum ſex in totum dare offerre, conſignare & præſentare ſuper altare dictæ Eccleſiæ S. Raphaelis omni & ſingulo Anno in Feſto ejusdem in ſignum recognitionis inciſionis dictæ promiſſionis, & beneficiorum à dicta Eccleſia receptorum & quanto ad funeralia defunctorum ſepelienda in cimiterio dictorum Fratrum & Eccleſiæ S. Sebaſtiani prædicti ſic convenerunt dictæ partes nominibus quibus ſupra videlicet; Quod de cadaveribus mortuorum Parochie S. Raphaelis ſepeliendis & tumulandis in Cimiterio & loco S. Sebaſtiani prædicti omnia dopleria candellas & ceras dictorum funeralium ſint & eſſe debeant dicti Capituli S. Raphaelis abſque aliqua contradictione. Ceteræ vero oblationes, emolumenta, eleemoſynæ & quicquid dictis Fratribus heremitariis datum elargitum & erogatum fuerit, dopleriis tantum exceptis ut ſupra, ſint libere & expedite ipſorum Fratrum ſine aliqua contradictione. De cadaveribus vero omnium aliorum Parochialium ſepultis & ſepeliendis in dicto Conventu & loco S. Sebaſtiani, omnia ex his provenientia ſint & eſſe debeant ipſorum Fratrum juxta & ſecundum conſuetudinem aliorum Monaſteriorum. Qui præfatus Dominus Plebanus nominibus quibus ſupra ex una, & D. Fr. Bernardus Prior Sindicus & Procurator ſui Capituli ex altera omnia & ſingula ſupraſcripta deducta facta & narrata adimplere & inviolabiliter obſervare ac contra non venire per ſe alium, vel alios directe vel indirecte quovis quæſito colore promiſerunt viciſſim una pars alteri & altera alteri mediate ipſorum & quorumlibet earumdem partium concordantes & jurantes & Sacra Dei Evangelia tactis ſcripturis juraverunt ſe ipſos, & Eccleſiarum ſuarum bona & cujusſibet ipſarum mobilia & immobilia præſentia & futura ubicumque conſiſtentia obligarunt & hypothecarunt ac quilibet eorum obligavit, & hypothecavit ac juribus coactionibus juriſdictionibus, & mere examinibus quarumcumque Curiarum Eccleſiaſticarum ubilibet conſiſtentium per pactum expreſſum ſuppoſuerunt & ſubmiſerunt, per quas quidem Curias voluerunt poſſe, & debere cogi compelli moneri ac aliis cenſuris Eccleſiaſticis innodari proceſſus contra eos hujusmodi quoscumque fieri pro complemento, & obſervatione omnium & ſingulorum in preſenti Inſtrumento contentorum; Renuntiantes inde præmiſſis omnibus & ſingulis doli mali vis metus fraudis & infactum actionis, conditionis indebite & ſine cauſa & ob turpem & injuſtam cauſam. Aliter nec plus, nec minus fuiſſe dictum, & conventum quam ſcriptum, & è converſo nec non privilegiis, indultis, feriis, beneficiis juris Canonici & Civilis nec non ſtatutis, conſtitutionibus, conſuetudinibus, & aliis ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscumque, quibus nolunt ipſe ambæ partes quo ad prædicta aliquatenus ſuffragari, cæterum voluerunt fieri per me Notarium infraſcriptum duo unius ejusdemque tenoris Inſtrumenta, quorum unum ſit & eſſe debeat apud Eccleſiam & Plebanum S. Raphaelis & alterum apud Monaſterium & Fratres dictos S. Sebaſtiani Ad futuram rei memoriam.

Ego Præsb. Stephanus de Clericis Eccleſiæ S. Barnabæ Venet. publicus Imperialis auctoritate Notar. & Judex ordinarius predictis omnibus & ſingulis præſens interfui, ideo præſens publicum inſtrumentum ſcripſi & publicavi, meisque ſolitis ſigno & nomine appoſitis rogatus in fide roboravi.

Capi-

Capitulum Lateranenſe renovat Eccleſiæ S. Sebaſtiani Venetiarum privilegia Baſilicæ Lateranenſis jam conceſſa eidem Eccleſiæ ſub vocabulo S. Mariæ plenæ gratia, & miſericordia.

M 1493. 22. Maii.

Ex Autographo in Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

CApitulum & Canonici Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ Dilectis nobis in Chriſto Fratri Cherubino Ferrarienſi Generali Procuratori totius Congregationis Fratris Petri de Piſis, & ad præſens Priori Sancti Honofrii de Urbe cæteriſque Fratribus ejusdem Congregationis Salutem & ſinceram in Domino charitatem. Cum nuper pro parte veſtra per dilectum filium Fratrem Nicolaum Paduanum ejusdem Congregationis à vobis ſpecialiter ad hoc deputatum quod alias de anno domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto die vigeſima nona menſis Martii Pontificatus Dom. Bonifacii Papæ noni conceſſa fuerit à Prædeceſſoribus noſtris & noſtro ſacro Lateranenſi Capitulo bulla fundationis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ plenæ gratiæ & miſericordiæ in Civitate Venetiarum cum privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & Indulgentiis, quibus vos & Eccleſia noſtra Lateranenſis fungitur potitur & gaudet, vos fungi potiri & gaudere poteritis, indultum & conceſſum extitit & quia nuper per prefatum Fratrem Nicolaum pro parte veſtra nobis fuit expoſitum, Bullam alias conceſſam hujusmodi fuiſſe & eſſe deperditam & per longiſſimum tempus abſconditam, adeo quod propter carentiam ipſius Bullæ aliqua Eccleſia ſeu Capella ſupradicto tempore fabricari minime potuerit; Poſtmodum vero Congregatio prædicta in eadem domo ſeu loco Eccleſiam ſub vocabulo Sancti Sebaſtiani Apoſtolica auctoritate erexit, & deinde poſt multos annos prædicta Bulla reperta fuerit; Idcirco per eundem Fr. Nicolaum, ut Bullam hujusmodi noviter repertam vobis renovare, aliasque in præmiſſis opportune providere dignaremur, humiliter ſupplicari feciſtis, & quia juſta petentibus non eſt denegandus aſſenſus; Nos veſtris piis & juſtis petitionibus benigne annuentes, ſupplicationes veſtras debite ut tenemur admiſimus; Et poſtmodum capitulariter congregati cum conſenſu & auctoritate Rev. in Chriſto Patris Domini Juliani Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Brithononienſis, (*a*) Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Juliani miſeratione divina S. R. E. Epiſcopi Cardinalis Oſtienſis (*b*) Sancti Petri ad vincula vulgariter nuncupati Sanctiſs. D. Noſtri Papæ majoris Pœnitentiarii Sacroſancte Lateranenſis Eccleſiæ Archipresbyteri in eadem Vicarii generalis Bullam prædictam cum privilegiis, exemptionibus, immunitatibus & indulgentiis ſupradictis renovamus & quatenus opus ſit de novo concedimus ſub eodem annuo cenſu nobis perſolvendo, & quod eiſdem privilegiis quibus aliæ noſtræ Eccleſiæ utuntur & gaudent, uti & gaudere libere & licite valeatis. Et ſi opus fuerit, Eccleſiam prædictam ampliandi & de novo erigendi ſub vocabulo antedicto Sanctæ Mariæ & S. Sebaſtiani, nec unum vel duos ſeu plures Sacerdotes veſtros, qui in dicta veſtra Eccleſia S. Mariæ plenæ gratiæ & Sancti Sebaſtiani deſerviant

in Di-

(*a*) Julianus Volaterranus Ordinis Minorum, Beſſarionis Cardinalis ſtudiorum ſocietate, ac ſimilitudine vinctus à Sixto V. electus fuit Epiſcopus Foropopilii & Bertinorii in Æmilia, deinde translatus ad Archiepiſcopatum Raguſienſem.

(*b*) Julianus Roboreus Savonenſis poſtea Julius II.

in Divinis ad nutum per vos apponendos & amovendos; Ordinarii loci vel cujusvis alterius licentia minime requiſita auctoritate Romanorum Pontificum nobis conceſſa licentiam vobis concedimus, & facultatem; Committentes, ſi contigerit de novo edificare, Priori S. Mariæ Charitatis eandem Civitatis primarii lapidis impoſitionem ſeu immiſſionem; Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas; & alia juris remedia compeſcendo. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras fieri & manibus noſtrorum Canonicorum, Camerariorum ſubſcribi fecimus, ac noſtri magni Capitularis ſigilli juſſimus appenſione muniri.

Datum Romæ apud Lateranum ſub anno Domini milleſimo quadrigenteſimo nonageſimo tertio die vigeſima ſecunda Maii Pontificatus Sanctiſs. D. Noſtri D. Alexandri divina providentia Papæ ſexti anno primo.

Fratres S. Sebaſtiani Venetiarum exorant Innocentium VIII. ut conceſſionem de quadam petia terræ factam à Plebano S. Raphaelis Apoſtolica authoritate confirmet.

N 1493. 22. Maii.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

Beatiſſime Pater. Exponitur Sanctitati Veſtræ pro parte devotorum Virorum Prioris & Fratrum domus S. Sebaſtiani Venetiarum Congregationis Fratris Petri de Piſis; Quod cum quidam Rainerius Plebanus Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum quoddam parvum pavimentum, in quo immunditiæ & alia fetida projiciebantur, contiguum hortui dictorum Fratrum, ad dictam Eccleſiam legitime pertinens ut illi totaliter inutile, ut ex quo Plebanus, & alii dictæ Eccleſiæ Clerici nil retrahebant, eisdem Fratribus in perpetuum ſub annua reſponſione unius ducati auri annis ſingulis per eodem Fratres eidem Eccleſiæ perſolvendi dederit, & conceſſerit in evidentem præfatæ Eccleſiæ utilitatem, reſervato Sedis Apoſtolicæ beneplacito cuperent Fratres prædicti dationem & conceſſionem hujusmodi pro majori illius roboris ſubſiſtentia Apoſtolico munimine roborari. Supplicant igitur Sanctitatem Veſtram tam Plebanus dictæ Eccleſiæ, & illius Clerici, quam Fratres prædicti, quatenus placeat eidem comittere aliquibus probis viris in partibus iſtis ut de præmiſſis ſe diligenter informent, & ſi per informationem eamdem præmiſſa repererint veritate fulciri ſubſcribi dationem, & conceſſionem prædictam, attento quod illius pavimenti valor ſummam vigintiquinque auri ducatorum non tranſcendat, ea lege, ut Fratres prædicti annis ſingulis unum ducatum, vel ſaltem unam reſponſionem redditus unius ducati eidem Eccleſiæ ſolvere & dare teneantur per unum Breve Sanctitatis Veſtræ affirmare & approbare, committere & mandare dignetur de gratia ſpeciali in contrarium factum non obſtantibus quibuscunque.

Conceſſum ut petitis in præſentia D. N. Pp. a Cardinale S. Anaſtaſiæ. (*a*) Ut per Breve Sanctitatis Veſtræ, attento quod agitur de re vili, ex qua reſpondetur unus ducatus tantum & pro Religioſis mendicantibus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Undecimo Kal. Junii Anno primo.

Con-

(*a*) Antoniottus Pallavicinus Januenſis vocabatur Cardinalis S. Anaſtaſiæ, quamvis Anno antecedenti 1491. translatus fuiſſet ad titulum S. Praxedis. Ciac. Tom. III. pag. 119. 149.

Conventus S. Sebaſtiani, & Capitulum S. Raphaelis conveniunt pro liberatione cenſus à Monaſterio S. Sebaſtiani debito Eccleſiæ S. Raphaelis.

O 1495. 20. Februarii.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto Indictione XIII. die vero XX. menſis Februarii. Cum certum ſit & clarum, quod per & inter Rev. Sacræ Paginæ Profeſſorem & Magiſtrum Dominum Rainerium de Floravantibus ad præſens Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum Plebanum digniſſimum ac Venerandum Patrem Domninum Dalmaticum ad preſens loci Conventus Eccleſiæ & Monaſterii S. Sebaſtiani Venetiarum Congregationis Pauperum Heremitarum Fratris Petri de Piſis Priorem retroactis temporibus nominibus ſuarum Eccleſiarum inter ipſos verſa fuerit, & ſit lis ſeu controverſia aut contentio de & ſuper aſſerto jure Parochiali & cenſu librarum ſex ceræ maxime duorum publicorum Inſtrumentorum unius videlicet celebrati inter q. Rev. Dominum Andream Venturella tunc ejusdem Eccleſiæ S. Raphaelis Plebanum & q. Religioſiſſimum Patrem Fratrem Bartholum de Cæſena digniſſimum ex tunc Generalem ejusdem Congregationis Fratris Petri de Piſis penes Antonium Jacobi Civem Ven. publicum Imperialem Notarium die Sabbati ſextodecimo menſis Julii 1490. Indictione tertia à me Notario infraſcripto viſo & lecto in copia autentica, alterius vero celebrati inter ipſum præſentem Plebanum S. Raphaelis & q: religioſiſſimum Patrem Fratrem Bernardum de Mantua tunc ejusdem Eccleſiæ Monaſterii & Conventus Sancti Sebaſtiani Venetiarum Congregationis prædictæ Priorem penes, ut dicitur, Dominum Presbyterum Stephanum Eccleſiæ S. Barnabæ publicum Imperialem Notarium ſub ſuis milleſimo Indictione menſe & die ut in eo &c. Et ſuper quibus Inſtrumentis maxime ſe idem Domini præſens Plebanus fundavit, ut aſſeruit ad ipſam litem movendi contra dictum præſentem Priorem, ejusque Eccleſiam S. Sebaſtiani, ac etiam pro certo terreno eidem Monaſterio dato & vendito, de quo apparere dicitur in quadam Scriptura privata manu dicti Domini præſentis Plebani ſubſcripta, & quod terrenum tenetur, & poſſidetur de præſenti per ipſum Monaſterium & tentum & poſſeſſum fuit à pluribus annis & citra; Cumque ex adverſo etiam per præfatum preſentem Priorem Eccleſiæ S. Sebaſtiani Venetiarum repertum fuerit, & ſit dictum, ejus Eccleſiam S. Sebaſtiani fore & eſſe ſervatam Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis Urbis Romæ ut fertur conſtare in Inſtrumento & ſeu bulla publicis, & propterea prætendere ſe dixit dictus Pater Prior dictam ejus Eccleſiam S. Sebaſtiani immunem fore, & liberam eſſe ab omni, & ſingulo alio jure cujuſlibet alterius Eccleſiæ, ex quo ut aſſeruit prætenſæ conventiones alias factæ maxime per ſupraſcriptos Dominos Plebanos dictæ Eccleſiæ S. Raphaelis Generalem & Priores contra libertatem, & immunitatem dictæ Eccleſiæ S. Sebaſtiani ſalva ſubjectione prædicta dictæ Eccleſiæ Lateranenſis nullius cenſeri debeant efficaciæ vel momenti aut roboris nec valuiſſe, aut tenuiſſe, nec valere aut tenere debeant, & ex eo maxime ſentiens ſe gravatum idem Pater Prior nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ provocaverit, & appellaverit ad Sedem Apoſtolicam à quadam ſententia aſſerta ſeu aſſerta pronuntia aſſerti Apoſtolici delegati per

Rev.

Rev. Decretorum doctorem Dominum Bertucium Lamberti, ut de dicta appellatione conſtat in actis mei Notarii & ut conſtare dicitur de aſſerta delegatione & pronuntia in actis Domini Presb. Natalis Regia Canonici Lateranenſis publici Notarii in Rivoalto ſub milleſimo anno die & loco ut in eo &c. Stantibus præmiſſis ut ſupra ſicutque ipſe partes aſſeruerunt volentes ipſi Domini præſentes, videlicet D. Plebanus & Pater Prior nominibus dictarum ſuarum Eccleſiarum & ipſorum quilibet ſingulari nomine ſuæ Eccleſiæ bonam fidem agnoſcere, & matura deliberatione dictæ liti pendenti finem imponere, & parcere ſumptibus & litis expenſis, & quiete & pacifice vivere, prout decet bonos Religioſos primum habito invicem colloquio, & pro libertate & poteſtate conceſſa ipſis ambabus partibus, habitis inter utranque partem capitularibus tractatibus, de quibus conſtat publicis inſtrumentis uno videlicet rogato, & ſcripto in perſonam dicti Domini Plebani per Joannem de Gratarolis q. ſ. Chriſtophori de Bergomo publicum Imperialem Notarium ſub die nono menſis Maii proxime decurſi anni Indictione XII. a me Notario viſo & lecto & in perſonam dicti præſentis Prioris penes dictum Dominum Natalem Regiam ſub milleſimo menſe, & die, ut in eo, a me etiam Notario viſo, & lecto, venerunt concorditer ad hanc transactionem pactumque perpetuum, & irrevocabile & ad hanc compoſitionem ſeu concordiam, ſolemni ſtipulatione vallatum, nam præfatus Rev. Dominus Rainerius ut & tanquam Plebanus & ex dicta ſibi poteſtate conceſſa ac nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ agnoſcendo bonam fidem ceſſit & renuntiat dicte liti cepte per ipſum contradictum Dominum Priorem dicto nomine, caſſando, irritando, & annullando, omne, & quodcumque Inſtrumentum alias factum, & omnem & quamcunque conventionem, ſpecialiter prædictas conventiones factas inter dictos Dominos Andream Venturella Plebanum tunc & Fr. Bartolum de Ceſena ac ipſum D. Rainerium, & Fr. Bernardum de Mantua, ſicque pro dictis conventionibus renuntiavit dicto Fr. Domini Priori præſenti & acceptanti per ſe & nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ S. Sebaſtiani, & Succeſſorum ſuorum caſſando irritando & annullando omnem aliam quamcunque ſcripturam tam publicam quam privatam, ac omnes & ſingulos proceſſus & ſententias & denique quaſcunque ſcripturas cujuſcunque generis & materiei, per quas poſſet dictus Dominus Plebanus ſe tueri, & preſenti contravenire contractui, transtulitque, atque remiſit dictus Dominus Plebanus dicto nomine præfato D. Priori præſenti & acceptanti omne & quodcunque jus quod habere poſſet aut ſe habiturum ſperaret ipſe Dominus Plebanus nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ S. Raphaelis contra dictam Eccleſiam S. Sebaſtiani. Volens & ſe velle declarans idem Dominus Plebanus dictæ ſuæ Eccleſiæ nomine quod amodo Vener. Pater Prior ſuique Fratres præſentes ac futuri pro tempore in ipſa Eccleſia S. Sebaſtiani ac Monaſterium ipſum, locuſque & Conventus non obſtantibus dictis conditionibus aut quibuſcunque ſcripturis uſque ad hoc preſens Inſtrumentum factis perpetuo ſint & eſſe intelligantur, & debeant immunes & liberi & immunia & libera & expedita, & Eccleſia ipſa immunis libera & expedita a quacunque ſolutione & ſubjectione, & prætenſo jure dicte Parochialis Eccleſiæ quibuſcunque oppoſitionibus, & quibuſvis cauſis & rationibus ceſſantibus & remotis & quibuslibet exceptionibus juris vel facti rejectis per quas directe vel indirecte aut quovis quæſito colore poſſet in poſterum dicta Eccleſia S. Raphaelis, aut ipſe Dominus Plebanus præſens, vel Succeſſores ſui niti contra dictam Eccleſiam S. Sebaſtiani vel ejus Priores vel Fratres, quibus juribus dictus Dominus Plebanus nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ & per ſe & Succeſſores ſuos renuntiat, etiam ſi talia forent que mentione indigerent ſpeciali; liberans dictum Domini Priorem dicto nomine omni meliori modo, qui dici & excogi-

tari poſſet; Reſervato tamen jure ſibi Domino Plebano, quod pro dicto terreno, de quo in dicta ſcriptura poſſeſſo per dictum Monaſterium Sancti Sebaſtiani poſſint & valeant Domini novi delegati Apoſtolici inter dictas partes decidere, declarare & componere, prout ipſis Dominis delegatis videbitur dictis Eccleſiis expedire, & prout ipſi Domino Plebano videbitur quantum ad dictum terrenum cauſam ipſam proſequi, & maxime uſque ad cognitionem, ſi alienatio dicti terreni in evidentem ceſſerit utilitatem dictarum Eccleſiarum, & cujuslibet earum; Ex adverſo autem dictus Prior nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ & per ſe & Succeſſores ſuos, & ad majus robur juris dictæ ſuæ Eccleſiæ & in recompenſationem dicti juris ceſſi per dictum Plebanum ut ſupra dedit, ceſſit & renuntiavit, remiſit, deſignavit, relaxavit, ac reſutavit maxime loco dicti cenſus librarum ſex ceræ & pro Miſſis celebrandis, in dicta Eccleſia S. Raphaelis omne jus, quod ipſe Dominus Prior, dicto nomine, hactenus habuit in groſſis duodecim ad aurum, cum ſuo capitali ex prodibus & impreſtitis decurſuris, & pertinentibus dicto loco ſeu Monaſterio S. Sebaſtiani Venetiarum ad Cameram Impreſtitorum Montis Veteris in quocunque ſexterio debendi ipſi D. Plebano nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ præſenti & accipienti pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in dictis groſſis duodecim, ſeu ipſos groſſos XII. ad liberos & expeditos dictus D. Plebanus amodo habere debeat cum dicto ſuo capitali ſic ut ſupra ceſſos vel renuntiatos ab omni onere & impenſa ſalva dicta celebratione Miſſarum loco dictæ Eccleſiæ ſeu Monaſterii S. Sebaſtiani, in cujus locum ſuccedat, & ex nunc ſucceſſiſſe intelligatur ut ſupradictus D. Plebanus nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ ad ipſum jus habendum, tenendum, & poſſidendum & quicquid ſibi D. Plebano & ſuis ſucceſſoribus deincops placuerit perpetuo faciendum & cum jure & poteſtate exigendi dictos groſſos XII. de paga (a) in pagam juxta conſuetum & ſtilum Civitatis Venetiarum & ipſius Cameræ impreſtitorum Montis Veteris in quocunque Sexterio, pro quo quidem jure conſequendo per dictum Dominum Plebanum ad abundantiorem cautelam, dictus Pater Prior dicto nomine dictum Dominum Plebanum inſtituit, ac ejus in locum poſuit fecitque, ac conſtituit ipſum Procuratorem, ut in rem propriam, & cum plena libera & generali adminiſtratione dans, cedens, & transferens in ipſum omne jus & omnem & quamcunque actionem directam vel utilem mixtam, vel apothecariam, & exercitium cujuslibet directe, ita ut amodo agere petere conſequi & experiri poſſit dictus D. Plebanus dicto nomine, ſicut faceret, & conſequi potuit dictus Pater Prior nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ, quare ſic inter partes ſuper præmiſſis actum extitit tranſactum pariterque conventum; Hanc autem tranſactionem & omnia & ſingula ſupraſcripta dictæ partes & quelibet earum ſibi invicem firmam, ratam & gratam & firma, rata, & grata habuerunt & tenuerunt, & habere & tenero promiſerunt per ſe ſucceſſoreſque ſuos & nomine dictarum ſuarum Eccleſiarum; ac cujuslibet ipſarum & in nullo præmiſſorum contrafacere, vel venire, ſub pena duplici damni & intereſſe & expenſarum litis & extra, & ex qualibet ratione, vel cauſa, modo, vel in poſterum de jure vel de facto & prædicta ceſſa & promiſſa promiſerunt defendere, auctorizare, & desbrigare a quocunque inquietare volente in judicio & extra, pro quibus quidem omnibus & ſingulis attendendis & plenius obſervandis dictus D. Plebanus & Pater Prior & una pars alteri, & altera alteri & viciſſim obligaverunt & obligant omnia & ſingula dictarum ſuarum Eccleſiarum bona mobilia & immobilia præſentia & futura & ſeſe obligaverunt ſub pena & obligatione prædictis.

Actum Venetiis in Rivoalto ad Cancellum

(a) De paga nempe de ſolutione in ſolutionem Venetis dicitur *de ratta in ratta*.

cellum mei Notarii infraſcripti præſentibus ibidem ſ. Ambroſio Aſerico q. ſ. Joannis de Bergomo; ſ. Luca Aurifice de confinio S. Severi, ſ. Damiano de Catharo, & magiſtro Boneto Marangono de confinio S. Crucis q. ſ. Joannis de Bergomo teſtibus ad hæc rogatis & vocatis &c. Ego Nicolaus de Muſſatis Civis Patavinus Venetiis habitator publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex ordinarius præmiſſa vocatus ſcripſi & publicavi, aliis vero detentus negotiis aliena manu in hanc publicam formam redigi feci & in præmiſſorum robur & corroborationem me ſubſcripſi, ſignoque & nomine meis appoſitis conſuetis.

Delegati Apoſtolici confirmant tranſactionem factam inter Monaſterium S. Sebaſtiani, & Capitulum S. Raphaelis.

P 1495. 19. Septembris.

Ex Archivo S. Sebaſtiani Venetiarum.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Nos Bartholamæus Paruta Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Philadelphiæ & Abbatiæ S. Gregorii Venetiarum Commendatarius perpetuus & Leonardus de Vincentia Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas Monaſterii S. Georgii Majoris Venetiarum Judices & Commiſſarii Apoſtolici ambo à Sancta Sede Apoſtolica deputati, in cauſa vertente inter Rev. D. Rainerium Floravantem artium & decretorum Doctorem Plebanum S. Raphaelis cum aliis de Capitulo & ſuo nomine, & Procuratorio nomine totius Capituli ejuſdem Eccleſiæ, & Rev. Dominum Domninum Priorem S. Sebaſtiani Venetiarum Congregationis Fratris Petri de Piſis, & ſuo nomine, & Sindicario nomine totius Congregationis ſuæ cauſa & occaſione cujuſdam pavimenti ſive terreni poſiti in capite horti Monaſterii Eccleſiæ S. Sebaſtiani, de quo in proceſſu &c. Cupientes ſummo favente Deo, & huic cauſæ finem imponere & juſtitiam partibus ipſis adminiſtrare parteſque ipſas a laboribus relevare & expenſis; Viſis in primis & ante omnia litteris Apoſtolicis in forma Brevis cum ſupplicatione intrecluſa à Santiſſimo Domino Noſtro D. Alexandro divina providentia Papa VI. emanatis, nobiſque directis, quarum tenor ſequitur, ut in ipſis, & in proceſſu cauſæ præſentis latius apparet; Viſa præſentatione nobis facta per antedictum Dominum Domninum Priorem S. Sebaſtiani nominibus, quibus ſupra, una cum requiſitione; Quatenus ad executionem earum & in eiſdem contentorum procedere dignaremur juxta traditam, ſeu directam à præfato Sanctiſſimo Domino Noſtro nobis formam; Viſa receptione per nos facta & oblatione offerendo nos prælibati Sanctiſſimi Domini Noſtri ſemper parere mandatis; Viſa citatione in primis facta univerſis & ſingulis ad quos præſens negocium tangit ſive in futurum quovis modo tangere poſſet, &c. & affixa in valvis Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum; Viſa etiam altera citationis facta Rev. Domino Rainerio Plebano S. Raphaelis antedicti, & aliis de Capitulo ejuſdem Eccleſiæ nominibus, quibus ſupra &c. Viſa relatione Nuncii cauſæ jurati de affixione litterarum citatoriarum præſentatarum ipſi Domino Plebano S. Raphaelis antedicti, & de præſentatione aliarum litterarum citatoriarum præſentatarum ipſi Domino Plebano S. Raphaelis antedicto & eum monuiſſe unà cum aliis, prout in ipſa &c. Viſa deinde comparitione ambarum partium potentium expeditionem præ-

 ſentis

ſentis cauſæ & apud Reverendiſſimos Dominos Judices & Commiſſarios Apoſtolicos antedictos inſtantium, quatenus ſe conferre dignarentur ſuper loco, de quo nunc agitur quæſtio; Et teſtes ſuper hoc negocio & cauſa examinare ſi fuerit opportunum & neceſſarium & cuncta facere & indagare, quæ videbuntur neceſſaria præfatis Reverendiſſimis Dominis Judicibus Apoſtolicis pro expeditione præſentis cauſæ; Viſa etiam alia comparitione qua ambæ partes ſimul conſentientes petebant & inſtabant, quod ſupraſcripti Reverendiſſimi Domini Judices Apoſtolici dignarentur ſe ſuper loco, de quo nunc agitur, transferre; Viſis inſtrumentis Sindicatus & Procuræ in perſonas antedictorum Dominorum Plebani, & Prioris videlicet per Capitulum dictæ domus & Monaſterii S. Sebaſtiani manu Ven. Domini Natalis Regia Canonici Lateranenſis Notarii publici ſub die nono Maji MCCCCLXXXXIIII. Indictione duodecima, prout in ipſo, ac etiam per Vener. Capitulum Eccleſiæ S. Raphaelis Venetiarum manu Egregii viri ſ. Joannis de Gratarolis Notarii publici ſub die nono Maii MCCCCLXXXXIIII. Indictione XII. prout in ipſo ſtipulatis, & celebratis; Viſo etiam quodam Chirografo manu ſ. Georgii Dominici de Lignano ſub die x. Aprilis MCCCCLXXXVIII. prout in ipſo &c. ſubſcripto manu Rev. Domini Rainerii Floravantis Plebani moderni dictæ Eccleſiæ producto, prout in actis cauſæ apparet; Viſo quod antedicti Reverendiſſimi Domini Judices Apoſtolici captato tempore ſe ad prædictum locum contulerunt; Viſa etiam alia comparitione ambarum partium ſupraſcriptarum coram præfatis Reverendiſſimis Dominis Judicibus, & Commiſſariis Apoſtolicis ſuper loco exiſtentibus petentium & inſtantium expeditionem præſentis cauſæ, attento quod inſpecta qualitate rei, & viſo ipſo terreno facile ſuper hoc ſuæ Reverendiſſimæ Dominationes poſſunt decernere; Viſis & quibusdam teſtibus productis per ipſas partes & de conſenſu earum examinatis per antedictos Reverendiſſimos Dominos Judices Apoſtolicos; Viſis etiam atteſtationibus eorum; Viſa etiam menſuratione dicti pavimenti ſive terreni facta cernentibus ipſis Reverendiſs. Dominis Commiſſariis Apoſtolicis, & de illorum mandato; Viſo etiam, quod præfatæ partes ſimul concordes petebant expeditionem præſentis cauſæ, & ita inſtabant apud præfatos Reverendiſſimos Dominos Judices Apoſtolicos, pro eo die hora & loco ad ſuam diffinitivam ſententiam audiendam; Viſo toto proceſſu & ſuperinde maturo habito conſilio, & diligenti deliberatione; Viſis demum videndis conſideratis & examinatis omnibus & ſingulis quæ in ſimilibus videri & examinari & conſiderari conſuetum eſt &c. Domini Noſtri Jeſu Chriſti nomine repetito, ejusque pientiſſimæ Matris Virginis Mariæ ac totius celeſtis Curiæ imploratis ſuffragiis, à quibus omne æquum emanat judicium: Sedentes pro Tribunali in capite horti Monaſterii ſive Eccleſiæ S. Sebaſtiani de Venetiis, quem locum pro idoneo & ſufficienti ad hanc noſtram deffinitivam ſententiam dandam, & ſpecialiter proferendam elegimus, pariter & aſſumpſimus, Deum ſolum præ oculis habentes qui bonorum omnium fons eſt & origo; in his ſcriptis auctoritate Apoſtolica, & qua fungimur in hac parte, dicimus & per noſtram diffinitivam ſententiam terminamus, ſententiamus pronunciamus, & declaramus, permutationem ſive cambium, de qua & quo facta eſt mentio ſupra in litteris Apoſtolicis, poſſe & debere prædictamque permutationem alienationem & contracambium in utilitatem ceſſiſſe ac cedere domus Monaſterii ac Conventus & Eccleſiarum prædictarum, declaramus ſimiliter & pronunciamus, dictumque pavimentum ſive terrenum applicari & annecti dicto Monaſterio S. Sebaſtiani habente antedicta Eccleſia S. Raphaelis, ſive ejus Capitulum jure prefatæ permutationis ſive cambii à dicto Monaſterio S. Sebaſtiani ducatos centum cum ſuis prodibus currentibus ad cameram Impreſtitorum Montis veteris; qui

qui ducati centum translatari debeant cum ſuis prodibus ut ſupra expenſis dicti Monaſterii S. Sebaſtiani in creditum Eccleſiæ S. Raphaelis, ſive ejus Capituli. Cum hoc, quod dicti ducati centum cum ſuis prodibus ſubjaceant, & obligati ſint omnibus illis oneribus, quibus dictum pavimentum ſive terrenum ſubjectum erat & obligatum juxta formam Legati ſuper inde confecti, ad quod cum fuerit opus habeatur relatio; & prædicta dicimus, & diffinitive ſententiamus, & pronunciamus & hoc & omni alio meliori modo, via jure & forma, quibus magis & melius de jure facere poſſumus & debemus &c.

Laudantibus ambabus partibus ſupraſcriptis ſimul & diviſim, ac approbantibus ſupraſcriptam ſententiam tamquam juſtè & æque promulgatam de inſuper agentibus gratias partibus ipſis præfatis Reverendiſſimis Judicibus & Commiſſariis Apoſtolicis pro adminiſtrata juſtitia.

Lata data pronunciata & promulgata fuit ſupraſcripta ſententia per ſupraſcriptos Reverendiſſimos Dominos Judices, & Commiſſarios Apoſtolicos Venetiis apud S. Sebaſtianum in capite horti Monaſterii Fratrum dicti S. Sebaſtiani die Sabbati decimanona Menſis Septembris MCCCCLXXXXV. Indictione XIII. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. Aleſſandri divina providentia Papæ VI. Anno Quarto. Præſentibus Venerabilibus Dominis Petro Bugnolo Manſionario in Eccleſia S. Gregorii Venetiarum, & Joanne q. Magiſtri Domini Franciſci Tepolis Monaco Monaſterii S. Georgii Majoris Venetiarum & Theodoro Bugio Montis Ferrati familiare Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Philadelphiæ teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis & aliis.

Ego Præsbyter Georgius de Spathariis Divi Joannis Decollati Venetiarum Plebanus publicus Notarius Imperiali auctoritate ac Notarius in hac cauſa aſſumptus à prælibatis Reverendiſſimis Dominis Judicibus & Commiſſariis Apoſtolicis præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ea ſic agerentur, præſens fui, & rogatus ſcripſi ſub meis nomine & ſigno Tabellionatus conſuetis.

DE

DE
ECCLESIA ET LOCO SANCTÆ MARIÆ DE SUCCURSU.

MAximum illud Chriſtianæ religionis opus inhoneſtas fœminas ab impuritate evocandi, atque in certum pœnitentiæ locum congregandi, primus omnium aggreſſus eſt in Inſula S. Chriſtophori, Bartholomæus Viridis (hoc in Opere iſto diximus Tom. I. pag. 255.) quod tamen pii viri inſtitutum deficientibus poſt ejus obitum ad loci ſuſtentationem piorum eleemoſinis ad breve tempus perduravit.

Felicius res acta fuit anno MDLXXVIII. Divina Providentia piæ viduæ ſtudium mirabili prorſus modo protegente. Fuit hæc Veronica Franco, quæ hujuſmodi mulierum turbam plus æquo excreſcere in animarum perniciem ingemiſcens, ut eas, qua fas erat ratione e peccatorum cœno evocaret, & in ſalutis tramitem reduceret, omni conatu contendit. Suum itaque conſilium nonnullis ex primoribus civitatis, ſibi piorum morum ſimilitudine addictis aperuit, quibus rem probantibus, opem-

opemque ſpondentibus operi manum admovit. Domum itaque non procul a ſacra Divi Nicolai Tolentinatis æde conduxit, in qua nonnullas hujuſmodi fœminas ab infami corporis quæſtu ad meliorem frugem piis adhortationibus, & orationis præſidio evocatas, Monialium in morem, ut in Chriſtiana pœnitentia exercerentur, concluſit. Res totius civitatis plauſu adeo probata fuit, ut confluentibus undique fidelium largitionibus, quæcunque in ipſarum quotidianos ſumptus neceſſaria erant, abunde ſuppeditarentur, ex quo factum eſt, ut dilatatis miſericordiæ conſiliis, mulieres quoque a maritis cum animæ corporisque periculo diſſidentes eo loco reciperentur, ibique veluti in Chriſtianæ pacis aſylo conſiſterent, quouſque conciliatis animis, omne cum viro diſſidium componeretur. Creſcente interea Mulierum numero, ad ampliorem domum Eccleſiæ Cathedrali proximam deducuntur, ex qua tamen, utpote qualitate loci minus inſtituto opportuna, non multo poſt ad alias in confinio Sancti Raphaelis Archangeli poſitas ædes transmigrarunt. Eo in loco, quem collecti gregis uſibus, & commoditati aptiſſimum eſſe noverunt loci Protectores, certam ſedem figere, & extremam negotio manum admovere ſtatuerunt. Quapropter cum ad eam diem (erat enim tertius ab inſtituto loco incœptus annus Chriſti videlicet MDLXXXI.) nullis certis, & propriis legibus ad loci regimen uſi fuiſſent, viſum eſt, ut ad operis abſolutionem, & ſtabilitatem conſtitutiones ederentur, ad loci vero cuſtodiam, atque adminiſtrationem duæ Congregationes inſtituerentur, altera quidem ex permixtis utriusque Nobilium, & Civium Ordinis hominibus, altera vero Nobilium Matronarum, quam tamen ad triennium ſolummodo perduraſſe ex loci regeſtis dignoſcitur. Poſt hæc interiori Domus regimini ſub *Matris* titulo, præfecta fuit devota quædam mulier Soprana Angelini nomine, cui ſucceſſit Laura Caravella, inde Elena Minio, quæ anno MDXCIII. ſuppreſſo Matris nomine Prioriſſa nuncupari cœpit, eoque deinde titulo uſæ ſunt, quæ in ipſo munere ſuffectæ fuerunt.

His ita actis cum ad mirabilis operis incrementum pii aliqui viri non levem pecuniæ ſummam obtuliſſent, ſtatutum eſt, ut eæ mulieres, quæ Divina favente gratia a flagitiis, & inverecundia emerſiſſent, atque Congregationis ſuffragiis reciperentur, tandiu domus impenſis alerentur, donec vel intra Mona-

naſte-

naſterii clauſtra Domino famulaturæ admitterentur, vel honeſtis viris in matrimonium traderentur.

Ea igitur Divinæ largitatis providentia animo erecti Gubernatores de Eccleſia conſtruenda, deque domo aptius reædificanda agere cœperunt, quapropter conductas domos ſoluto pretio compararunt, utque in perpetuum mulierum domicilium aptari poſſent ſolemni Majoris Conſilii lege ſtatutum fuit die 11. Januar. anno MDVIIC. quo itidem anno die XX. Martii, ut Eccleſia erigeretur, & in ea Divina officia peragerentur, Laurentius Priolus Patriarcha Venetiarum indulſit, ea tamen conditione appoſita, ne jura Parochialis Eccleſiæ S. Raphaelis Archangeli, ullo modo læderentur.

Anguſtam Eccleſiam, ſed eleganter ornatam, quæ ex operis inſtituto nomenclaturam accepit, *Il Soccorſo*, Deo ſub Deiparæ in Cœlum Aſſumptæ titulo conſecravit Laurentius Prezatus Venetus Epiſcopus Clodienſis, cujus rei memoria lapidi Eccleſiæ parieti affixo credita fuit.

„ Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Laurentius Prezatus Ven.
„ Clodienſis Epiſcopus Sacras Ædes conſecravit, Paulo V. Sum-
„ mo Pontifice, Franc. Vendrameno Patriarcha, Leonardo
„ Donato Venetiarum Duce. Tertio Idus Novembris anno a
„ partu Virgineo MDCIX.

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI RAPHAELIS
ARCHANGELI.

PER varia Venetæ Urbis loca ſibi divinitus indicata, Divum Magnum Epiſcopum Opiterginum, varias diſpoſuiſſe Eccleſias non ſemel diximus, & iterum, ac ſæpius dicere neceſſe erit: Eas inter ſecunda eſt, quæ Raphaelis Archangeli titulo inſignitur, cujus fundationi mirabilis apparitio ipſius Archangeli cauſam dedit; cum enim *vir ſanctiſſimus ſuo more orando ſpiritu raperetur, primo apparuit ei B. Petrus Apoſtolus* locum ſibi fundandæ Eccleſiæ connotans, mox *ſecundo apparuit ei Beatus Raphael Archangelus mandans ſibi in ea Urbis parte, quæ Dorſum durum appellatur, ubi multas aves congregatas reperiſſet, Eccleſiam ædificari*.

Templi hujus origo a plurimis enuntiata Chronologis conſtanti adeo, & univerſali Venetæ Eccleſiæ traditione fulcitur, ut harum præcipue Fundationum titulo Sanctus Epiſcopus inter præcipuos Urbis Patronos ſolemni S. C. adnumeratus fue-

fuerit, ejusque officium ſingulas Templorum erectiones nominatim recenſens in Ducali Baſilica ſolemniter celebretur, ipſæque inſuper Sacræ ædes, quæ Divum Antiſtitem veluti Fundatorem agnoſcunt, ipſius Natalitia præcipuo honore, & celebritate venerantur. Hanc tamen antiquiſſimam, receptamque traditionem de fundatione hujuſce Eccleſiæ everti ex iis videtur, quæ profert Bernardinus Scardeonius Canonicus Patavinus, in opere cui titulus *de antiquitatibus Urbis Patavii, & claris civibus Patavinis*; refert enim lib. III. claſſe XIII. & XIV. Adrianam Genuſii Ruteni, (quem Patavinæ Urbis Principem fuiſſe aſſerit,) uxorem, eo tempore, quo Attila Hunnorum Rex proximum Patavinæ Urbi minitabatur excidium, *ad mare cum theſauro, & liberis* profugiſſe, *quo loco, cum primum ex navi* deſcendiſſet, *ex voto Deo, & Angelo Raphaeli templum dicare* conſtituiſſe, ut incolumem *maritum Angeli ductu reciperet. Redeunte* itaque *Genuſio, ibidem Archangelo Raphaeli ædem ſacram, quæ adhuc extat ædificavit.* Rem ex ipſo authore exhibemus.

De Genuſio Ruteno principe, & Naymerio Tribuno.

„ Genuſius Patavinorum Princeps Athilam Hunnorum regem potentiſſimum, quem pluſquam ſexcenta armatorum
„ millia ſecuta eſſe perhibentur, tam ſuis copiis, quas ex Patavinis eduxerat, quam auxiliaribus militibus, quos ex Altino, & Concordia, & Tarviſio, & aliunde contrahere potuit, per triennium (tot enim annis Aquilejæ obſidionem perduraſſe ferunt) una cum Naymerio Tribuno Patavino viro fortiſſimo, qui magnanimus in eo bello unus omnium ubique præſto fuit, ut a patria, & ab incœpto perdendæ Italiæ propoſito barbarum regem, quacumque poſſet ratione deterreret. Cæterum capta tandem Aquileja, & incenſa, & ſubinde Altino, ac Concordia dirutis, Genuſius quum nec ſeipſum, nec patriam aliqua vi, aut ingenio poſſe amplius tueri videret, tum demum cum univerſa civitate ad jam cœptam Rivalti urbem, quam propter hujuſmodi caſus Patavini paulo ante conſtruendam juraverant, una cum cæteris civibus, relicta patria, eo in tutum ſeſe recepit anno ab urbe cœpta fere trigeſimo quin-

„ to,

„ to, a Chriſti vero nativitate quadringenteſimo decimo ſexto, ex progenie Vitaliani, & patre Valerio, ex matre Lavina: dicuntque in ejus ortu nova in coelo prodigia apparuiſſe, atque eadem nocte è ſtabulo patris equum fugiſſe, qui nunquam amplius potuit reperiri: Uxorem huic Adrianam fuiſſe perhibent: quæ cum diu ante virum ad mare cum theſauro, & liberis profugiſſet, quo loco primum e navi deſcenderat, ex voto Deo, & Angelo Raphaeli templum dicare conſtituit, ut reducem & incolumem maritum angeli ductu reciperet, quem tanto in diſcrimine Patavio abiens paulo ante reliquerat. Nec votum fregit. Nam redeunte Genuſio ibidem Archangelo Raphaeli, quæ adhuc extat, ædem ſacram ædificavit, atque ſibi & ſuis eodem in loco pro tempore ædes ampliſſimas conſtrui curavit.

De Adriana Janſii Principis uxore.

„ Celebranda inter inſignes fœminas Patavinas occurrit mihi Adriana, Janſſii, vel, ut quidam dicunt, Janni Patavini principis uxor. Hæc enim Athilæ potentiſſimi Hunnorum regis metu (qui innumerabili pene exercitu Alpes ad diripiendam, & occupandam univerſam Italiam pertranſierat) verita, id quod erat facile futurum, ne una cum tota familia, & multitudine magna nobilium mulierum barbaris hoſtibus præda fierent: dimiſſis ad tuendam patriam maritis, cum omni pretioſa ſupellectili ad loca maritima transvectæ Venetias prope Rivumaltum, ubi jam cœptum fuerat habitari, tuto appulerunt, & ibi poſtquam aliquandiu moratæ fuiſſent, & hæc ſibi, & ſuis ſatis idonea ad habitandum loca paraſſet, ut erat pia mulier cupiens tam propriis filiabus, quam aliis nobilibus puellis, quæ eandem ſecum fugam arripuerant, conſultius providere, ibi Monaſterium ædificandum curavit, quod Archangelo Raphaeli dicavit: ubi nobiles virgines caſte vivere volentes, ſub pia cuſtodia ac ſub ſancta obſervantia collocarentur, ut pro incolumitate patriæ hæ ibi Deum aſſidue precarentur, & ut reducem maritum ſub Angeli hujus ſancti cuſtodia, tam immani hoſte, & in tantis periculis, illæſum ſervaret. Quod factum eſt: nam patria incenſa, Janiſius cum reliquis civi-

„ bus ad uxorem in ea loca devenit, & ædificatis pro tem- „ pore ædibus, ibidem cum tota familia, & magno comita- „ tu Patavinorum fugientium, poſtea cohabitavit. Sunt qui „ dicant hanc profectam ab Altino. Non contendo, de ea ſic „ & in noſtratibus memoriis & annalibus legi.

Rem, de cujus veritate & ipſum authorem ambigere, extrema enarrationis verba innuunt, facilis more ſuo adoptavit in libro de Veneta Urbe Sanſovinus, fabulaſque fabulis adnectens Virgines, quas Scardeonius apud Sancti Raphaelis ædem conſtituit, ad Sancti Zachariæ Templum adduxit, Templum vero S. Raphaelis ex aſſertæ Andrianæ donatione S. Zachariæ Monialibus adjudicavit. Fabulæ contextum ex ipſo Sanſovino exhibemus.

„ Et per fianco è poſta l'antichiſſima Chieſa di S. Raffael- „ lo, edificata da poi la Chieſa di S. Jacomo di Rialto. (a) „ Percioche nella ſeconda venuta d'Atila in Italia, (b) du- „ bitando Genuſio (c) chiamato anco Giglio da alcuni Signor „ di Padova, che Attila, dopo l'eſpugnatione d'Aquilea, „ non ſi voltaſſe a ſuoi danni per haver dato ajuto alla Cit- „ ta d'Aquilea con eſſercito Padovano, mandò nell'Iſola di „ Rialto la moglie Andriana co i figliuoli con la famiglia & con „ gli arneſi ſuoi più cari. La quale sbarcata a punto in Dor- „ ſodu-

(a) Primam Venetiis ædificatam Eccleſiam novimus illam eſſe, quam ob naſcentem Urbem ab incendio præſervatam ædificavit Eutinopus Architectus anno orbis reparati CCCCXXI. ab ea ſecundam fuiſſe Eccleſiam S. Raphaelis, aſſerit Sanſovinus, qui ſibimetipſi paulo poſt adverſatur, dum Monaſterium S. Zachariæ jampridem ædificatum, & a Sanctimonialibus inhabitatum affert, quarum conſuetudine capta Jenuſii Anonyma filia Monaſtico inſtituto nomen dedit. Dum commentum hoc ad Divi Raphaelis Eccleſiam variis circumſtantiis exornatum affert, immemor certe fuit, ſe dum Monaſterii S. Zachariæ dicati enarationem ordiretur, dixiſſe, illud anno Chriſti 827. a Juſtiniano Particiaco originem habuiſſe.

(b) Attilam Hunnorum Regem *Concordiam*, *Althinum*, *atque Patavium vicinas Aquilejæ civitates illius inſtar demolitum ſolo* æquaſſe, ex Pauli Diaconi Hiſtor. lib. III. addiſcimus; hoc autem Urbium Venetæ Provinciæ excidium contigiſſe anno Chriſti CCCCLII. refert Cavacius in Hiſtoria Cœnobii S. Juſtinæ lib. 1. pag. 23.

(c) Ut ut de hoc Jenuſio res ſit, cujus nomen & memoriam penitus prætermiſerunt Dandulus, aliique probatæ fidei tum Veneti, tum Patavini Hiſtorici; hoc unum certum eſt Patavinam civitatem, iis temporibus per Conſules adminiſtratam fuiſſe, ut ex Danduli Chronico attulimus ad Eccleſiam S. Joannis de Rivoalto Op. hujus Tom. III. pag. 209.

„ ſoduro, fece voto all'Angelo Raffaello, di fabricar al ſuo „ nome una cappella, s'il marito ſi ſalvava da ſuoi nemici.

„ Tornato adunque Genuſio libero, la donna ſodisfece al „ voto, & habitando in queſta contrada ſi diede a pratticar „ con le donne di S. Zaccaria (*a*), ſole monache in quel tem- „ po in queſta Città. Perche eſſendoſi una delle figliuole d' „ Adriana, invaghita di loro ſi fece monaca, & ſi dice che „ fu la ſeconda Badeſſa di S. Zaccaria, di maniera che contrat- „ ta fra loro ſtetta amicitia, le monache ſalendo ogni Sabato „ in barca, andavano a S. Raffaelo, e vi cantavano un ſolen- „ ne Veſpro. Ma venuta la Signora a morte laſciò per teſta- „ mento l'Oratorio alle Monache, alle quali fu per lunghiſſi- „ mo tempo ſottopoſto. Il quale eſſendoſi l'anno 899. abbru- „ ciato per un fuoco, che conſumò tutte le caſe all'intorno, „ S. Raffaelo per rivelatione di S. Magno, fu rifabricato di nuovo

„ dalle

(*a*) Eccleſiam S. Zachariæ ex revelatione Divo Magno facta ædificatam fuiſſe, ex ipſius Sancti Epiſcopi eccleſiaſtico officio, & ex antiqua traditione comperimus; Eccleſiæ jam ædificatæ ob receptum Sancti Prophetæ corpus Monaſterium addidit, adjecitque Angelus Particiacus primus in Rivoalto Dux, ut in Chron. refert Dandulus: dum itaque ex traditione tenemus Eccleſiam ædificatam circa medium ſæculi VII. atque ex accuratiſſimo Chronologo addiſcimus, Monaſterium circa initia ſæculi IX. erectum, quæ fides Sanſovino in his adhibenda ſit manifeſtum eſt. Nec tamen cum Scardeonio de loco Monaſterii concordat Sanſovinus, ſiquidem, ut jam dictum eſt, ille Monaſterium apud S. Raphaelem ab Andriana ædificatum fuiſſe aſſerit, iſte vero mulieres Patavinas apud S. Raphaelem degentes in Monaſterio S. Zachariæ jam ædificato cum Monialibus familiari conſuetudine uſas fuiſſe tradit. Primas Sanctimoniales, quæ in Venetis æſtuariis ſedem fixerunt circa annum Domini DCXL. ex ipſo Dandulo accipimus, qui religioſas mulieres aſſerit ab Altinenſi Urbe ſimul cum Paulo Epiſcopo digreſſas in Torcelli inſula Monaſterium ſub S. Joannis Evangeliſtæ titulo dedicaſſe. Hæ ſub Regula Divi Benedicti, qui anno DXXIII. ad Cœlos evolaverat, Deo famulabantur; id unum ſcire libenter velim quodnam vitæ genus Divi Zachariæ Sanctimoniales eo tempore profiterentur. Ut autem manifeſtius fabula per ſe ipſa cadat, notandum hoc loco eſt Scardeonii dicta inter ſe diſcordare, ſiquidem ubi prius claſſe XIII. in Genuſio dixerat Andrianam Archangelo Raphaeli ædem ſacram *redeunte Jenuſio* ædificaſſe, deinde non multo poſt claſſe XIV. in Andriana refert ipſam Venetias prope Rivumaltum, appulſam Monaſterium Archangelo Raphaeli dicaſſe, ubi nobiles virgines collocatæ Deum aſſidue pro incolumitate patriæ, & pro mariti reditu precarentur. Profecto ex rebus inter ſe nihil plane cohærentibus rei fallacia maniſeſte detegitur. Veſperas autem ſingulis ſabbatis ſolemniter decantatas, Matronæ Patavinæ teſtamentum, cæteraſque rerum circumſtantias, quis meras nugas eſſe non videat?

„ dalle famiglie Candiana & Ariana, & le donne di S. Zacca-
„ ria perderono la giuriſditione. (*a*)

Commentitiam Sanſovini enarrationem quidam rerum Venetarum minus periti in matutinales lectiones olim tranſtulerunt, quibus tamen vel nullo, vel brevi ſaltem tempore uſi ſunt, impetrato ſcilicet à Sacra Rituum Congregatione Eccleſiaſtico officio univerſis Hiſpaniarum regnis olim conceſſo, quo hujus Archangeli ſolemnia à Clero, tum ipſius Eccleſiæ, tum univerſæ Civitatis Venetiarum celebrantur.

„ *Lectio Prima*. Raphaelem Archangelum pluribus Dei ho-
„ minibus apparuiſſe eiſque ægrotantibus & ſanitatem contu-
„ liſſe, & in itineribus è variis eos liberaſſe periculis partim
„ ex ſacræ Scripturæ libris, Tobiæ præſertim, partim ex ve-
„ teri Sanctorum Patrum traditione comprobatur. Ex quo
„ cum multis in locis hujus Archangeli memoria ſolemni,
„ ac feſto die merito colitur, tum Venetiis pluribus de cau-
„ ſis id factum eſt. Quædam enim mulier Hadriana nomine
„ cum à viro ſuo tunc Patavii Domino propter inimicorum
„ imminentem periculum ad Inſulam Rivoalti appellatam miſ-
„ ſa una cum bonis ſuis fuiſſet, Raphaelis Archangeli ope im-
„ plorata, ejus patrocinio in itinere ipſa, deinde Genuinus ejus
„ conjux ab inimicis incolumes evaſerunt.

„ *Lectio Secunda*. Quare ipſi tanti ſibi collati beneficii haud
„ immemores Oratorium magnificum ejus nomini ædificandum
„ curarunt, quod multo poſt ab igne conſumptum fuit. Ve-
„ rum ne à tam pia veneratione populus Venetus deſiſteret.
„ Archangelus Raphael Beato Magno Eracleæ Epiſcopo in vi-
„ ſu apparuit, eique expoſuit Rempublicam Venetorum ſem-
„ per ſe defenſurum ab adverſiſque protecturum, dummodo
„ ibidem cultus Deo in ſui memoriam ſpecialem adhiberetur.
„ Quibus Patritiis Venetis ab Epiſcopo expoſitis, ædem pa-
„ ro-

(*a*) Ne ſibimetipſi adverſari videretur Sanſovinus, qui alibi ſæpe ſæpius Eccleſias ex Divi Magni revelatione extructas recenſet, hanc Divi Raphaelis Eccleſiam a S. Epiſcopo non primitus ædificatam, ſed ex incendio quo conflagraverat anno 899. renovatam fuiſſe ait; evidentiſſimo, & maximo contra rationem temporum errore, etenim Sanctus Epiſcopus aſſertæ reædificationis annum duobus & amplius ſæculis præceſſit, ut Dandulus aliique Venetarum rerum ſcriptores unanimi conſenſu teſtantur.

„ rochialem in honorem Raphaelis Archangeli extruendam
„ ſtatuerunt.

„ *Lectio Tertia*. Poſtmodum cum ſurdi, cæci, muti, claudi, energumeni, aliique hujus generis permulti infirmi ex univerſa civitate ad hanc Eccleſiam concurrentes Archangeli Raphaelis interceſſione ab eorum ægritudinibus liberati eſſent, veteri conſuetudine comparatum eſt, ut cujuslibet hebdomadæ ſecunda feria frequens populi Veneti numerus ad idem templum ſumma cum veneratione conveniat. Quæ Chriſtiana ac pia devotio eo ſane in dies augeſcit, quod multi a Deo ſingularia beneficia Raphaele Archangelo intercedente reportare videantur.

Eccleſiam itaque Divi Raphaelis Archangeli, quam Divus Magnus anno circiter DCXL. primum erexerat vaſtiſſimi incendii flammæ conſumpſerunt anno MCV. ut ex Danduli Chronico pluries diximus. Ex ejus ruinæ cineribus poſtea fidelium eleemoſinis emerſa conſecrationis munus ſuſcepit anno MCVIIC. ut notat lapidea epigraphe.

„ + Septennis demptis annis de mille ducentis.
„ Cum fuit undeni madii lux ac duodena
„ Hec eſt ſacrata domus atque luce donata
„ Si penitens vadit anno penam relevabit.

Longo denique annorum fluxu debilitata cum ad ruinam vergeret anno MDCXVIII. à fundamentis renovata fuit, cujus reædificationis monumentum marmori inciſum viſitur.

„ Servet ut è cælis medicamen nos Raphaelis
„ Hoc Templum Auguſtum jam longa ætate vetuſtum
„ A fundamentis devote munere gentis
„ Hac fuit ad tectum ſpectanda mole refectum.

MDCXVIII.

Exteriorem Eccleſiæ proſpectum rimis deductis labantem renovari, marmoreisque ſimulacris ornari curavit anno MDCCXXXV. Jo: Baptiſta Ghedini Plebanus, cujus pariter ſtudio per Franciſcum Antonium Corrarium Patriarcham Venetiarum ſolemniter dedicata fuit Eccleſia die XV. Maii anno MDCCXL.

Ad Divi Archangeli Titularis aram marmoreo incluſum monumento colitur corpus Divi Niceti Martyris, quem in faciem meretricis præciſam ſibi morſu linguam expuiſſe acta ipſius in Eccleſiæ codicibus exarata teſtantur. Num autem ille

ille ipſe fuerit, cujus tacito nomine mentionem ingeſſit S. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ, & ex Sancto Doctore Martyrologium Romanum ad diem Julii 28, aſſerere non auſim, ſiquidem martyr iſte anonymus à Divo Hieronymo enuntiatus Thebaide in Ægypto paſſus eſt, alter vero ſub Niceti nomine Venetiis excultus martyrium ſub Maximiano Imperatore Nicomediæ, ut traditur, conſumavit. Quo autem ex loco quove tempore venerabile corpus Venetias deductum fuerit prorſus ignoratur; nulla enim de ipſius translatione ſuperſunt documenta. Memoriam ipſius affert Ferrarius in Catalogo Sanctorum extra Martyrologium ad diem XII. Septembris his verbis: *Nicomediæ S. Nicetæ Martyris ſub Maximiano*. Moxque in annot. Ex Maurol. & Pet. in Cat. l. 8. c. 70. hac die.
» At apud Græcos die 15. hujus, ſi tamen idem eſt. Nam ea
» die in Mart. Rom. agitur de Niceta Gotho M. ſub Atha-
» larico Rege ob fidem Catholicam. Hic vero ſub Maxi-
» miano paſſus traditur. Illum Græci Μεγαλομάρτυρα ap-
» pellant.

Acta ipſius ex antiquo eccleſiæ codice exhibemus, quæ olim in lectiones diviſa ad Matutinas horas in ipſius Divi ſolemnitate legebantur; Sancti enim Martyris feſtum ex antiquiſſima & immemorabili conſuetudine ab univerſo Venetæ Civitatis clero ſub ritu ſemiduplici recolitur die XII. Septembris; in Eccleſia vero S. Raphaelis, cujus Contitularis eſt, ritu duplici celebratur.

» Niceta Nicomediæ baptiſmo initiatus, cum ad ſacrificia in-
» vitatus ire nollet, Maximiani juſſu, cui affinitate junctus
» erat, argentea idola, ut eis thura offerret, domum ſuam de-
» lata ſunt, quæ ipſe comminuta pauperibus diſtribuit. Id
» cum reſciſſet Imperator, comprehendi eum, & illicò tor-
» queri ac flagellis cædi imperat. Angelus vero Domini ei
» apparuit triumphalem Martyrii coronam oſtendens, ea vi-
» ſitatione confortatus, cum hæc tormenta ob fidei profeſſio-
» nem ſuperaſſet, alio flagitii genere tentata eſt ejus conſtan-
» tia; ligatus namque manibus & pedibus ſuper ſumptuoſo,
» & molli ſtratu ponitur, puellaque adducitur, ut eum ad li-
» bidinem provocaret.

» Sed impudice attrectatus cum eam a ſe ligatus repellere
» non valeret, linguam ſibi ipſi dentibus abſcindens, in fa-

» ciem

„ ciem puellæ abſciſſam expuit, ſicque & libidinem membri „ dolore extinxit, & pellicem à ſe rei horrore deterritam fugavit. Tunc Imperator e molli culcitra, ſublatum in lectum acutis gladiis circumſeptum conjici jubet, ex quo illæſus Dei virtute evadens quingentos viros, qui in Chriſtum, eo miraculo commoti, crediderant, baptizavit. Quare ab irato Imperatore pedibus ſuſpendi jubet, & fumo ſubter facto fumigari, ac truncatis pedibus ſuſpendi jubetur: & inde ab Angelo eductus, omnia ei membra reſtituta ſunt.

„ Accerſitis præterea veneficis Imperator, mortiferum venenum Nicetæ propinandum præparavit; verum ſigno Crucis facto, cum venenum in aquam commutatum nil Sancto Martyri nocuiſſet, venefici quoque Chriſti fidem ſuſcepere, & cum eo pariter in carcerem pro ejusdem fidei confeſſione conjecti ſunt. Quo loco multis fulſit miraculis, ac Dæmonem, qui ſe ei in Angelum lucis transformaverat, devicit. Mortuum inſuper, ut iniquo Regi Jeſu Chriſti potentiam demonſtraret, ad vitam revocavit. Quæ omnia nihilominus magicis artibus Tyrannus adſcribebat. Niceta vero de manibus ejus ereptus, quamplurimis ad Chriſti fidem perductis, demum in Domino quievit pridie idus Septembris. Ejus Corpus poſtea Venetias translatum Dei providentia in Eccleſia Sancti Raphaelis conditum eſt miraculis in dies coruſcans.

„ Tunc Beatiſſimus Niceta hilaris, & gaudens de tanta Chriſtianorum multitudine, præcepit per loca Eccleſias ad honorem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti fieri, & transmigravit ad Dominum duodecimo die introeunte menſe Septembris die Sabbati hora ſexta. Cujus corpus cum devotione, & fletu viri Religioſi tulerunt, & duxerunt in Civitatem. Depoſitio autem ejus fuerat in finibus Nicomediæ, & depoſuerunt eum inter reliquias Sanctorum Paphnutii Caralapii, Euphimiani, Allexii, & Bonifatii. Deinde proceſſu temporis devotiſſimum corpus per religioſos Venetos deportatum, & reconditum fuit honorifice in Eccleſia Sancti Raphaelis miraculis clarens innumerabilibus. Et ad gloriam, & magnificentiam dicti Sancti ſcribens hæc fidelis recitator teſtificatur ſe in anno Domini MCCCCXXVI. & ſequenti ſe vidiſſe puellam quamdam Terviſinæ diœceſis vexa-

„ tam a ſpiritu immundo ita, quod a quatuor hominibus vix „ illa poterat retineri cum clamoribus, & ululatu maximo ; „ tandem ante altare ejusdem devotiſſimi Sancti violenter „ aportatam, & in ore ejus ex quodam liquore aquæ ſubtus „ arcam continuo emanante perfuſam, poſt multa maxima „ præterita, præſentia, futuraque verificata per eandem ſerio- „ ſe, & diffuſe enarrata de gloria Paradiſi, coacta & conju- „ rata narravit de excellentia fidei Chriſtianæ, & de crude- „ liſſimis, & veriſſimis pœnis inferni. Per devotiſſimum No- „ bilem Valerium Valerio ſolum per capillos capitis introdu- „ ctam tanquam agnam manſuetiſſimam Chriſtum a tergo „ reſpiciendo, nominando, quem nunquam viderat, neque „ noverat, in Sacreſtiam ejusdem Eccleſiæ ubi cum maximis „ orationibus, devotionibus per invocationem dicti Sancti, & „ aliorum, dicebat eundem Dæmonium per os nullo modo „ poſſe exire, quod per illud biberat venenum, ſcilicet li- „ quorem ſibi amariſſimum, ſed per ſeceſſum cum fœtore ſi- „ gnis, & ululatu fore liberatam. Continuo autem infirman- „ tibus caris & convinctis preſentium relatoris ex invocatio- „ ne & continua devotiſſimi Sancti memoria reddita eſt ipſis „ integra ſanitas. Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, „ & glorioſiſſimæ Matris ejusdem, & devotiſſimi Sancti & to- „ tius Curiæ cœleſtis tryumphantis. Amen.

„ Scripta fuerunt hæc in anno Domini 1466. die 28. Au- „ guſti, & qui legerit memoretur Scriptoris in orationibus ſuis, „ & maxime coram reliquias hujus Glorioſiſſimi Sancti Nice- „ tæ triumphantis in gloria Paradiſi, quam & nobis conce- „ dere dignetur qui Deus trinus, & unus vivit & regnat in „ ſæcula ſæculorum. Amen.

„ Inſuper recitabo aliqua miracula veridice ſecuta fideliter „ ſcribendo annotabo pro conſolatione legentium, & audien- „ tium. Fuit igitur circa annos Domini 1344. quidam vir no- „ mine Victor Cathanio, qui habebat uxorem nomine Chri- „ ſtinam prudentem, & diſcretam, & devotam hujus glorio- „ ſiſſimi Sancti Nicetæ, cujus reliquias devota ſæpe, & ſæpius „ viſitabat, cui dictus Sanctus apparuit, & dixit, ſcito Chri- „ ſtina, quod pro filio tuo multas tribulationes patieris, ad „ hæc tota plena triſtitiis reſpondit, & quando hæc erunt ? „ at ille: in die mercati. Puer autem erat annorum XII. vel

circa,

„ circa, & habitabat in contrata Sanctæ Sophiæ in civitate
„ Venetiarum, qui adoleſcens cum ad ſtudium ire intenderet
„ aquam usque rivoaltum transfretando ſubmerſus fuit cum
„ libris in ſaculo ad colum annexo ſub clamyde, & ſubtus
„ aquam per ſpatium quatuor horarum ſtetit, & erat dies mer-
„ curii, qui quæſitus a multis per dictum ſpatium, non fuit
„ repertus, tandem ut Deo placuit, apparuit parva particula
„ clamydis, ex qua elevatus fuit ſanus, & incolumis cum li-
„ bris intactis, & ipſe ſolus ſine ſubſtentaculo aliquo rediit
„ ad propriam matrem, quæ cum cerneret miraculum, quam-
„ primum ad Eccleſiam Sancti Raphaelis properavit, & cum
„ inundatione lacrymarum infinitas gratias proſtrata coram al-
„ tare devotiſſimi Sancti Nicetæ retulit de reſtitutione unici
„ Filii ſui. Puer autem in bonis moribus creſcendo effectus
„ eſt Devotiſſimus ſervus Dei, & deceſſit in Epiſcopali di-
„ gnitate cum exemplo optimo omnibus ipſum cognoſcen-
„ tibus.

„ Circa annos Domini 1415. Mulier quædam nomine Flos
„ uxor providi viri Marci Laurentii habitans in Parochia S.
„ Raphaelis in totum retracta, & debilitata crura verſus ca-
„ put videbatur quoddam monſtrum ipſa deinde per ſeſe ne-
„ ceſſaria corporis exercere non poterat, ſed continuo adiu-
„ torio aſtantium indigebat cum exceſſivis doloribus. Infirma
„ autem fiduciam habens in Domino, & in iſto glorioſiſſimo
„ Sancto, cui continue ſe recomittebat; apparuit autem una
„ dierum Sanctus Niceta in habitu clericali, & prope lectum
„ ſtans impoſuit manum tangendo ſingula membra debilitata
„ trahendo ad loca ſua ſine leſione aliqua, reſtituta fuit priſti-
„ næ ſanitati, quæ de per ſe deſcendens de lecto cum cla-
„ more jucundo cucurrit; & omnes videntes, & audientes glori-
„ ficaverunt Dominum referendo infinitas gratias huic devo-
„ tiſſimo Sancto, qui jam in medio cameræ reperierunt eam
„ ſe induentem de per ſe, quæ velociter quaſi demens pro-
„ peravit ad Eccleſiam ad viſitandum reliquias hujus devotiſ-
„ ſimi Sancti, quo viſo, & audito miraculo tota convicinia
„ per civitatem non ceſſabat rem mirabilem prædicare.

„ In domo ejuſdem proxime infirmæ morabatur quædam
„ mulier nomine Maria habens oculum dextrum quaſi evul-
„ ſum de loco ſuo, nihil cum eo videbat, viſo proximo mira

„ culo cum ſingulari devotione ſe ſuppliciter quantum valuit
„ eidem glorioſiſſimo Sancto commendavit :. facta igitur ora-
„ tione, quam primum priſtine reſtituta fuit ſanitati. Et non
„ huic infirmitati, ſed & multis ſuæ parentelæ, ut ipſa publi-
„ ce retulit munificentia beneficia multa præſtitit bibentibus
„ de aqua ſubtus altare ſcaturiente.

„ Opera Dei enarrare honorificum eſt, ut dixit Archangelus
„ Raphael; qua de re continuando referam rem grandem, &
„ dignam oculis etiam ad præſens omnium viventium com-
„ probatam. Fuit quidam Presbyter conſcientiatus nomine
„ Guaſpar vir religioſus, & timoratus, qui quam ſingulis die-
„ bus ſe diſciplinabat, & cum effuſione ſanguinis, ut Pres-
„ bytero Danieli Confeſſori ſuo hæc retulenti notum fuit ex
„ Petro Redulpho de Maurovechis aromatario in rivoalto.
„ Idem Presbyter graviſſime ex peſte infirmatus ita, & tali-
„ ter, quod omni deſtitutus remedio ſe cum omni demoſtra-
„ tione poſſibili projecit in manus devotiſſimi Sancti Nicetæ,
„ quem & antea ſumma veneratione colebat. In nocte ſui
„ tranſitus, ut credebatur, apparuit eidem glorioſus Sanctus tan-
„ quam medicus cum ferro, & medicamento ſolito, infirmo,
„ & omnibus aſtantibus, dormiente; qui bonus medicus cum
„ non modica vehementia ferrum impulit in glandem volen-
„ do de loco evellere. Infirmus cum clamore, & dolore ma-
„ ximo vociferavit dicendo: oimè, oimè, ita & taliter, quod
„ Mater ejus Santina nomine expergefacta a ſomno ſe ſuper
„ filium proſtravit dicendo: o Fili mi lumen oculorum meo-
„ rum quod pateris; cui Filius expergefactus dixit: o mater
„ mea parcat tibi Deus cur me a ſummo medico exſtraſiſti,
„ nam S. Niceta medelam mihi preſtabat, & ſi aliquantulum
„ tacuiſſetis, ego totaliter fuiſſem liberatus. Sed gratia Dei me
„ bene habeo, & ſubito votum emiſit de jejunando in vigilia
„ ejusdem Sancti ſolemnizando feſtum ſuum. Et adimplevit
„ votum ſuum dum vixit, & cum magna devotione venit ad
„ celebrandum in eadem Eccleſia per multos annos ad altare
„ Devotiſſimi S. Nicetæ. De hoc etiam tempore ſuperſunt te-
„ ſtes ad plebem, in quorum numero Plebanus dictus Presby-
„ ter Andreas Venturela, & frater viri religioſi, quibus ma-
„ xima fides eſt adhibenda, ut eorum fama redolet. Et hoc
„ fuit circa annos Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo
„ ſexto. Ad laudem Dei.

„ Cir-

„ Circa annos Domini 1434. fuit mulier quædam nomine He-
„ lena uxor Dominici Mignoto habens tibiam ſiniſtram ul-
„ ceribus tumefactam cum maxima inſanie, ex quo a medicis
„ deſperata concluſum fuit, quod pars ejusdem tibiæ ſecaretur.
„ Infirma juvencula intelligens hæc tota afflicta continuo tri-
„ ſtabatur; tandem omni ſpe deſtituta reverſa eſt ad verum,
„ & devotiſſimum medicum Sanctum ſcilicet Nicetam. Et ha-
„ bebat in domo de aqua ejusdem recoleta ex devotione ſub-
„ tus arcam, ex qua ulcera ſua devote tetigit, & quam pri-
„ mum ſalva facta eſt ab infirmitate illa incurabili. Venientes
„ autem medici juxta ſolitum audientes hæc increduli volue-
„ runt viſitare eam; qui videntes, quaſi dementes effecti, volue-
„ runt ſcire modum liberationis ſuæ, qui audientes ſeriem rei
„ gratias Domino agentes leti receſſerunt. Et ad plebem nunc
„ ſuperſunt adhuc teſtes, qui cognoverunt dictam juvenculam,
„ & divulgata eſt fama per Parochiam, & Civitatem. Quo vi-
„ ſo miraculo quædam convicina ſua accepit de dicta aqua, &
„ ſuper caput filiæ tineatum poſuit, & quam primum fuit li-
„ berata, & mundata ab infirmitate ſua, ut accidit in Naaman
„ Syro mundato per aquam Jordanis.

„ Continuando ea, quæ Dominus per merita tanti glorioſi
„ Sancti operatus eſt, addam, quod accidit circa annos Domini
„ 1445. in civitate Venetiarum. Fuit quidam greculus, cum
„ videret ſolemnizari feſtum hujus Sancti, ſciſcitare voluit; cui
„ dictum fuit, quod feſtum glorioſi Nicetæ, cum in hac Ec-
„ cleſia S. Raphaelis requieſcat ejusdem devotiſſimum corpus;
„ qui gaudio repletus dixit Presbyteris. Sciatis Domini, quod
„ in Territorio extra Coronum ibi eſſe Eccleſiam ædificatam
„ ad honorem ejus in uno caſali. Ob devotionem ejus qui-
„ dam dives, & præpotens in die occurrenti clericos ſolemni-
„ zantes ad domum in menſa invitabat, & erat absque libe-
„ ris, viſitabat devote eamdem Eccleſiam rogando, quod ſi-
„ bi præſtaret filium, & in hoc Sacerdotes rogabat, ut & ip-
„ ſi orarent. Ut Domino placuit uxor ſua peperit pulcherri-
„ mum filium, ex quo omnes ſibi congratulabantur. Puer au-
„ tem creſcebat moribus, & prudentia, qui cum eſſet an-
„ norum XII. in circa venerunt Teucri, & invaſerunt terri-
„ torium capientes multos, inter quos fuit puer iſte tranſpor-
„ tando per multas dictas ab illo territorio. Pater vero ejus

„ do-

„ dolentiſſime ferens continuo lamentabatur dicendo: O ſancte „ Niceta rogavi pro filio & conceſſiſti, & nunc abſtuliſti, pro „ certo nolo amplius eſſe tibi devotus, & plus nolo clericos „ invitare ad menſam. Sacerdos autem principalis ipſum con„ fortabat, & compatiebatur ei; & nihil proficiebat, ſed magis„ ac magis lamentabatur de Sancto. Fiebant autem continuæ ora„ tiones ad Sanctum pro recuperatione filii. Prorupebat autem„ quod coram Domino peteret vindicari de hac injuria a Sancto „ commiſſa, ut aſſolet fieri ab afflictis, quibus nulla ſubeſt „ ſpes. Tandem orationes tantæ fuerunt exauditæ, quia cum „ exercitus inimicorum eſſet in quieto cum tentoriis ſuis, & „ puer ſerviret uni Barono & principalibus in cratera men„ ſali cum eſſet decorus, & expertus, Sanctus autem Niceta „ equitando per exercitum accepit per capillos dictum puerum, „ & poſuit equi a parte poſteriori, & portavit quodammodo in „ ictu oculi ad domum Presbyteri, & ibi puerum dimiſit, & „ evanuit ab eo. Presbyter autem hæc ſentiens oſtium ape„ ruit, & amplexatus eſt eum dicendo: O Fili mi bene ve„ neris, quem quam primum ad Patrem conduxit, & cum vi„ diſſet Pater ſubito eſamen effectus eſt ſuper colum filii ſui, „ cui narravit ſeriem rei, & ſi ante fuit devotus dicti Sancti, „ poſtea effectus eſt devotiſſimus. Et ſtatuam fieri fecit, & „ ipſam obtulit eidem Sancto. Hæc autem omnia dictus gre„ culus narravit cuidam Sacerdoti fide digno, & voluit cer„ tificari, ſi in Eccleſia dicta S. Raphaelis erat corpus dicti „ Sancti, & cum magna veneratione ſæpiſſime viſitabat, & „ publice prædicabat ſupra proximo annotata. Ad laudem Dei. „ Amen.

„ Publice Raphaelis Templi neceſſitati, & communi Pres„ byterorum uſui ex ſupremo Raynerii Floravanti, & opt. & „ utriusque juris conſultiſs. juſſu olim ejusdem Templi Præ„ ſulis Benedictus Joan. Petrus, & Ludovicus Floravanti pien„ tiſs. nepotes ipſius videlicet impenſis librum hunc reparari „ curarunt, in quo ſcribendo accuratiſſimum a Franciſco Lu„ cenſi de conſortibus Sacerdote integerrimo ſtudium adhibi„ tum MDXVIII. Die primo Junii Venet. Leonardo Lauretano „ Principe optimo.

Aſſervatur præterea honorifice in hac Eccleſia os brachii S. Antonii Abbatis, cujus identitatem patrata in dies miracula confirmant.

No-

Noviſſime in hac Eccleſia depoſitum fuit, ut decenter cuſtodiatur, numiſma aureum, cui paululum ligni Sanctiſſimæ Crucis incluſerat Sixtus Papa V. Hoc in amoris & paternæ charitatis ſignum, dono dedit idem Pontifex Jacobo Fuſcareno Equiti, & D. Marci Procuratori Venetorum apud Sanctam Sedem extraordinem Legato, multisque adjectis ſpiritualium largitionum muneribus hanc appoſuit conditionem, ut *quando contigerit deeſſe hæredes maſculos* ipſius *Jacobi*, *tunc ipſum numiſma in Eccleſia Parochiali*, *in cujus Parochia ultimus agnationis deceſſerit*, *deponatur*, *&* *decenter cuſtodiatur* (A). Defuncto Petro Fuſcareno Divi Marci Procuratore ultimo, ex Jacobi hæredibus ſacrum numiſma ad hanc Divi Archangeli Raphaelis Eccleſiam delatum, atque die XIV. Septembris Cruci exaltatæ ſacra publicæ Chriſtifidelium venerationi expoſitum fuit anno MDCCXLV. Emortuale Jacobi Procuratoris elogium mox afferendum erit ad Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Eccleſiam.

Plebani Eccleſiæ Sancti Raphaelis chronologice diſpoſiti.

1152 Petrus Arpo Vic. S. Raphaelis. Ex Ughel. To. V. col. 1376.
1241 Domnio Scutario. Ex Arch. S. Joannis de Torcello.
1281 Raphael Gieſo ſubſcriptus in carta conventionis inter Joannem Dandulum Ducem Venet. & Raymundum Patr. Aquilejæ. Ex cod. Triviſaneo pag. 365.
1314 Paſchalis Zogalinus. Ex Arch. Eccleſiæ.
1321 Thomas de Fontana Not. Ex rog. ipſius.
1334 Joannes Creſcius Not. Ex rog. ipſius.
1359 Andreas Lambardo. Ex Cat. Eccleſiæ.
1381 Franciſcus de Galvanis Canon. Caſtell. Judex ſuper decimis & Not. Ex rog. ipſius.
1410 Baſilius Zordano. Ex rog. Joannis Burgo Pleb. S. Nicolai & Not.
1419 Marcus Michael. Ex ſchedis Apoſt. Zeno.
1424 Andreas Venturello. Ex rog. Pauli Benedicto Pleb. S. Mar. Jubenico & Not.
1512 Raynerius Floravante Vir Clar. Decret. ac Sacr. Theol. Do-

Doctor, de quo hæc invenire datum eſt inter ſchedas Clar. Viri Apoſt. Zeno, " Fra Rainerio Fioravanti
" Romito in S. Sebaſtiano eletto Piovan della Chie-
" ſa dell'Angelo Raffael l'anno 1513. morſe l'anno
" 1516. Il ſuo ritratto vedeſi nella Sagriſtia di det-
" ta Chieſa con l'abito dell'ordine, come pure de-
" ſcritto nella ſerie di Parochi diſtintamente anno-
" tati in una tabella in detto luogo.

1516 Sebaſtianus de Sebaſtianis Canon. Duc. ob. 2. Dec. 1538.

1538 8. Dec. Michael Petri Can. Caſt. & Archipresb. Cong. S. Lucæ, ob. 1563. 7. Nov.

1563 16. Nov. Annibal Negri Canon. Duc. ob. 17. Maii 1601.

1601 Bernardinus de Ambroſiis, ob. 24. Nov. 1608.

1608 Bartholomæus de Oliveriis, ob. 24. Maii anno 1621.

1621 Antonius Bruzzoni, ob. 24. Aug. 1623.

1623 Gratioſus Joannini, qui in examine rejectus fuit a Patriarcha.

1623 Joannes Gusmanus, ob. 4. Jan. 1659.

1659 Aloyſius Gritti Quartus Presb. Tit. Eccl. S. Jo. Eleemoſynarii Archipresb. Cong. S. Silveſtri, ob. 6. Nov. 1670.

1670 10. Nov. Bartholomæus Noali, ob. 21. Junii 1678.

1678 25. Junii Chriſtophorus Stuppa, ob. 30. Maii 1702.

1702 Jo. Baptiſta Stuppa, ob. 9. Junii 1707.

1707 14. Junii Sebaſtianus Roncatus, ob. 21. Apr. 1711.

1711 Dominicus Piazza, ob. 9. Apr. 1735.

1735 13. Apr. Joſeph Gritti, ob. 26. Dec. 1735.

1735. 30. Decembris Joannes Baptiſta Ghedini J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus, cujus ſtudio exterior Templi facies renovata, & Eccleſia conſecrata fuit.

Sixtus

Sixtus V. Jacobo Fuſcareno Venetorum Legato numiſma aureum cui incluſa erat portio ligni SS. Crucis dono dat, adiecta conditione, ut deficientibus ipſius hæredibus ad Eccleſiam Parochialem deferatur.

A 1585. 22. Octobris.

Ex Archivo Eccleſiæ S. Raphaelis Archangeli.

SIXTUS PP. V.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedict. Cum dilectus filius Nobilis Vir Paſchalis Ciconia Dux Venetiarum, honorificentiſſimam ad nos legationem miſerit quatuor præſtantiſſimorum Virorum, in quorum numero tu es, noſque ex præſentia veſtra & tam præclara voluntatis erga nos, & in hanc Sanctam Sedem devotionis Reipublicæ veſtræ declaratione, præſtitisq. a vobis in hoc munere ſumma cum pietate officiis ingentem cæperimus animi lætitiam & conſolationem, oportuit nos quoque aliquod amoris & paternæ charitatis ſignum vobis dare. Itaque te hodie una cum collegis tuis Equitem auratæ militiæ in Aula Conſtantiniana ſolemni more & ritu creavimus, ac enſem & torquem tibi noſtris manibus cum Dei Omnipotentis benedictione tradidimus. Sed huic corporis ornamento ſpirituale donum, quod longe pretioſius eſt, & ad animæ ſalutem, æternamque beatitudinem ſpectat, conjunximus. Nam tibi aureum numiſma dono dedimus, cujus prima facies habet naviculam inſculptam cum imagine Chriſti Salvatoris noſtri ad clavum ſedentis, & aliam B. Petri remigantis, ubi ſunt illa verba: duc in altum. In ſecunda vero facie eſt B. Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem ſuis humeris ſuſtinens cum his verbis: repara domum meam; & in calce ſunt inſignia noſtra gentilitia, nomenq. noſtrum Sixtus Pp. V. Eidem autem numiſmati paululum Ligni Sanctiſſimæ Crucis incluſimus, & Indulgentias, quæ ſequuntur, elargiti ſumus. Ut ſcilicet in Nativitatis Domini, & Paſchatis Reſurrectionis feſtivitatibus cujuſlibet anni tu illud ipſum numiſma collo appenſum tenens confeſſuſque & contritus, ſacraque communione percepta, atque item in mortis articulo prævia confeſſione & communione percepta plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam & remiſſionem in forma Jubilæi ampliſſima conſequaris. Utque aliis, quibus tibi viſum fuerit, in eodem mortis articulo conſtitutis, numiſma præfatum commodare poſſis, qui eandem, quam ſupra diximus, Indulgentiam plenariam, ſi tamen ipſi quoque confeſſi & communicati fuerint, adipiſcantur. Has vero Indulgentias & gratias, facultatemque illas, ut præfertur, aliis communicandi tibi quoad vixeris, & deinde hæredibus, & ſucceſſoribus tuis maſculis, & ex legitimo matrimonio procreatis, & ſi plures fuerint hæredes, majori natu duntaxat in perpetuum datas & conceſſas eſſe, auctoritate Apoſtolica, & de poteſtatis plenitudine ſtatuimus atque decrevimus. Ita tamen, ut quando contigerit deeſſe hæredes maſculos & legitimos, quos ſupra diximus, tunc ipſum numiſma in Eccleſia Parochiali, in cujus Parochia ultimus agnationis, qui illud habebat, ſive Venetiis, ſive alibi deceſſerit, deponatur, ac decenter cuſtodiatur, obtineatque eaſdem Indulgentias plenarias perpetuas in Nativitatis & Reſurrectionis Domini feſtivitatibus pro Parocho celebrante, & Parochianis ibidem ad altare majus, ſuper quo numiſma collocatum erit, ſacram Euchariſtiam percipientibus, ac item pro aliis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus extra Parochiam confeſſis, & contritis, ſacraque communione refectis, qui Eccleſiam, & Altare prædictum in dictis feſtivitatibus devote viſitaverint, atque ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exal-

exaltatione pias ad Deum preces effuderint. In quorum omnium fidem ac teſtimonium præſentes literas confici, & obſignari juſſimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Octobris 1585. Pontificatus noſtri anno primo.

Jo: Baptiſta Canobius.

Quoniam in Apoſtolicis hiſce Sixti V. litteris mentio occurrit Paſchalis Ciconiæ piiſſimi Venetiarum Ducis, libet hic alias ejuſdem Pontificis epiſtolas ad ſupra laudatum Ducem Anno inſequenti MDLXXXVI. datas afferre, quibus formas cereas benedictas vulgo *Agnus Dei* Senatoribus, & aliis largiter impertiendas dono miſit, ut eximiam dilectionem, charitatemque ſuam erga inclytam Venetorum Rempublicam, ejusque Principem oſtenderet, & declararet. Pontificias has epiſtolas hic idcirco exhibemus, quia dum Cruciferorum Eccleſiam, in qua Mauſoleum eſt Clariſſimi Ducis, illuſtraremus, nondum ad noſtram notitiam ipſæ pervenerant.

„ Dilecto Filio Nobili Viro Paſchali „ Ciconiæ Duci Venetiarum Sixtus Papa V. Dilecte fili, Nobilis Vir ſalutem „ & Apoſtolicam Benedictionem. Sancta „ Romana Eccleſia Chriſti Domini noſtri Sponſa nullam habens maculam, „ neque rugam, Eccleſiarum omnium „ Caput, ac vere pia, & ſolicita cunctarum gentium Mater, atque Magiſtra pro ea cura, quam in viſceribus charitatis de filiorum ſuorum ſalute gerit, nullo unquam tempore „ ceſſavit, quin optimis legibus, & inſtitutis præceptiſque ſalutaribus, omni denique opportuna ratione rem „ totam Eccleſiaſticam conſtituere, „ & ſtabilire, ac univerſum Dei Populum fidei ſuæ commiſſum in officio continere, & per rectas juſtitiæ, „ ac probitatis ſemitas ducere conaretur, atque etiam conſiderata humanæ naturæ imbecillitate, ac Sathanæ aſtutia, & fraudibus Populum ipſum variis benedictionibus, gratiis, „ atque muneribus ſpiritualibus fovere, „ ac roborare ſtuderet, ut ſcilicet illis „ tanquam ſcalarum gradibus aſcendere, & facilius ad Cæleſtem Patriam „ pervenire poſſet. Enim vero inter „ ſpiritualia hæc dona longe præclarum „ obtinet locum forma illa cerea benedicta, quæ Agnus Dei vocatur, „ cujus benedictio, & conſecratio, ex „ antiquiſſimo Eccleſiæ more, & inſtituto Paſchali tempore a ſolo Romano „ Pontifice ſolemni ritu, ac cerimonia, „ & ſumma cum religione fieri & celebrari ſolet. At quam eximio cultu, „ quantaque veneratione digna ſit hæc „ Sacra res, quicumque illius materiam, „ formam, conſecrationis modum, preces, ac myſteria, quæ in ea continentur, noverit, & attente conſideraverit, facile intelliget. Hi enim „ Agnus Dei ex cera alba, pura, virginea conficiuntur, ad denotandam „ Chriſti humanitatem ex Sanctiſſimo „ Virginis Utero abſque ulla contagione, & ſola Dei virtute ſumptam. „ Imago Agni, quæ in illis eſt, Agnum „ illum immaculatum repræſentat, qui „ pro humani generis reparatione in ligno Crucis eſt immolatus. Adhibetur „ aqua benedicta, cujus ſubſtantia ad „ maxima quæque Sacramenta in veteri & novo Teſtamento uſus eſt Deus; „ Aquæ miſcetur balſamum, unguentorum omnium præſtantiſſimum; ad „ deſignandam famam optimam, quam „ Chriſtianus, veluti ſuaviſſimi odoris „ fragrantiam in ſua converſatione debet redolere. Poſtremo ſuperinfunditur Chriſma, quo charitas virtutum „ omnium maxima figuratur, & quo

„ co-

„ eodem Templa Altaria, Vaſa, & ipſi
„ homines dei cultui præparantur, &
„ conſecrantur. In hac vero aqua be-
„ nedicta, balſamo & Chriſmate mixta
„ hi Agnus Dei ab ipſomet Pontifice
„ merguntur, & baptizantur, & tam
„ ante, quam poſt merſionem ſanctiſ-
„ ſimis precibus, & orationibus idem
„ Pontifex Deum obſecrat, ut easdem
„ illas formas cereas Imagine Agni im-
„ preſſas benedicere, ſanctificare, con-
„ ſecrare, eisque virtutem cæleſtem
„ infundere dignetur, ita ut, qui illas
„ pie, & devote, & cum fide habue-
„ rint, & detulerint, eorum crimina
„ deleantur, maculæ peccatorum ab-
„ ſtergantur, veniæ impetrentur, gra-
„ tiæ conferantur, præterea ut fragor
„ grandinum, procella turbinum, im-
„ petus tempeſtatum, ventorum ra-
„ bies, & infeſta tonitrua temperen-
„ tur, fugiant, & contremiſcant mali-
„ gni ſpiritus, nulla hic adverſitas do-
„ minetur, nulla aeris corruptio, nul-
„ lus morbus caducus, nulla maris tem-
„ peſtas, nullum incendium, nullave
„ iniquitas noceat, parturientes cum
„ partu incolumes conſerventur, om-
„ nes denique ab aquarum inundatione
„ a morte ſubitanea, & a cunctis ad-
„ verſis liberentur. Hæc ſane propi-
„ tiationis, & gratiarum dona a Deo
„ miſericordiarum Patre, & bonorum
„ omnium Largitore, vere tribui at-
„ que concedi his cereis formulis ſic
„ benedictis, & baptizatis, præſertim
„ Summo Sacerdote ipſius Chriſti in
„ terris Vicario tam pie orante, ac
„ ſupplicante, firmiter credendum eſt,
„ ſicuti idipſum ſæpiſſime magnis, &
„ variis miraculis, quæ diverſis tem-
„ poribus Divina bonitas per hæc ſa-
„ cra operari dignata eſt, fuit ſæpius
„ comprobatum. Nec mirum eſſe de-
„ bet ſi non ſemper idem contingat
„ effectus, quoniam id ex infirma uten-
„ tis fide, vel ex alia occulta cauſa,
„ non ex defectu virtutis rei ſacræ,
„ accidere certum eſt. De hujus ſacri
„ præſtantia atque virtutibus extat inter
„ cætera luculentiſſimum teſtimonium
„ Urbani Papæ Quinti, qui magni mu-
„ neris loco tres Agnus Dei ad Græco-
„ rum Imperatorem cum his verbis
„ miſit.

„ Balſamus & munda Cera cum
„ Chriſmatis unda
„ Conficiunt Agnum, quod munus
„ do tibi magnum
„ Fonte velut natum per myſtica
„ ſanctificatum.
„ Fulgura deſurſum depellit, omne
„ malignum,
„ Peccatum frangit, ut Chriſti San-
„ guis & angit.
„ Prægnans ſervatur, ſimul & par-
„ tus liberatur.
„ Dona defert dignis, virtutem de-
„ ſtruit ignis
„ Portatus munde, de fluctibus eri-
„ pit undæ.

„ Cum igitur Nos his diebus Paſ-
„ chalibus Eccleſiæ, & Prædeceſſorum
„ noſtrum Rom. Pontificum probatiſſi-
„ mum morem ſecuti, quod noſtri fuit
„ muneris peregerimus, huic ſolemni
„ ſacro operam dantes, viſum fuit No-
„ bis, ſicuti in cæteris rebus, ita in
„ hac eximiam dilectionem, charita-
„ temque noſtram erga inclytam iſtam
„ Rempublicam, & Nobilitatem Tuam,
„ qui in ea Principem locum tenes,
„ oſtendere, ac declarare. Itaque mit-
„ timus Tibi Capſam unam harum for-
„ marum cerearum plenam, ut Sena-
„ toribus omnibus, & aliis, quibus
„ viſum fuerit, ex eis largiter imper-
„ tiri poſſis.

„ Datum Romæ apud Sanctum Pe-
„ trum ſub Annulo Piſcatoris die 20.
„ Aprilis 1586. Pontificatus Noſtri An-
„ no primo.

Ab Eccleſia, quam modo illuſtravimus, Raphaeli Archang. dicata nomenclaturam accepit proximum Aceterium, in quo Sorores Tertii Ordinis de Pœnitentia ſub Seraphici Franciſci

regula ſanctam vitam agunt *Pizzochere dell' Anzolo* vulgo nuncupatæ. Latent quidem ipſius exordia, attamen antiquiſſima fuiſſe ex eo comperimus, quod Nicolaus Papa IV. qui anno MCCLXXXVIII. Petri Sedem aſcendit, (ut ex mox afferendis litteris Eugenii IV. & Pauli II. ejus ſucceſſorum patet) ipſis conceſſit, ut *viſitatorem haberent Sacerdotem alicujus approbatæ religionis, qui earum confeſſione audita de commiſſis exceſſibus pœnitentiam eis injungeret ſalutarem*. Cum vero in hujus privilegii uſu *per Generalem, & Provinciales Miniſtros, nec non Guardianum domus ejusdem loci de Venetiis, Ordinis Fratrum Minorum contra ſtatutum, & litteras dicti Nicolai inquietarentur*, Eugenius Papa IV. cui injuſta vexatio ex Miniſtræ, & Sororum ſupplici libello innotuerat, *Caſtellano, & Tarviſino Epiſcopis dedit in mandatis, ut conceſſionem prædictam ubi, & quando opus eſſet, publicarent, ipſisque Miniſtræ & Sororibus quoties ſuper hoc requiſiti fuerint, efficacis præſidio defenſionis aſſiſterent*, addens inſuper, *ut Miniſtra & Sorores prædictæ Viſitatorem hujusmodi de conſenſu alicujus ex dictis Epiſcopis eligere haberent*. *Viſitatorem* itaque *de Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia*, cum ſibi *eligere vellent præfatæ Sorores*, ex Miniſtri Generalis decreto prohibitæ ſunt, quo quidem decreto *omnibus dicti Ordinis Fratribus* vetitum erat, ne quis *tale onus ſine ſpeciali mandato* aſſumere, & exercere præſumeret. Iteratis ergo ad Eugenium Pontificem precibus impetrarunt Sorores, ut ſupralaudatis Caſtellano, & Tarviſino Epiſcopis committeret, *quatenus viſitatorem præfatis Monialibus ſuo judicio eligendum aſſignarent*. Datæ fuerunt Apoſtolicæ litteræ die XXVI. Septembris anno MCCCCXXXVIII. (A). Licet vero *juxta commiſſionem* ſibi factam mandaſſent Epiſcopi Delegati, ut *ſtatutum Nicolai Papæ IV. per Sorores Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupatas obſervaretur, nihilominus tamen quædam mulierculæ Diœceſis Caſtellanæ illum deferentes habitum minus obedientes dictum ſtatutum obſervare* neglexerunt; quarum pervicacia cum innotuiſſet Eugenio Pontifici, datis ad Epiſcopum Caſtellanum epiſtolis die XXII. Januarii anno MCCCCXLI. juſſit, ut *prædictas mulierculas ad obſervantiam ſupradicti ſtatuti iterum monitas*, ſi inobedientes perdurarent, *ad habitus quem deferunt Tertii Ordinis S. Franciſci depoſitionem authoritate Apoſtolica* cogeret, & compelleret.

ret. (B) In harum deinde executione litterarum anno MCCCCLXVI. die XXIII. Martii, Joannes Barocius Patriarcha Venetiarum, tamquam conſervator, & judex perpetuus in regulis primum, mox in Pontificiis epiſtolis deputatus Miniſtræ, & Sororibus prædictis plenam facultatem indulſit, *exuendi ſive ſpoliandi habitum cujuslibet Sororis dicti Ordinis non obedientis ſtatutis, regulis, ſive ordinationibus ipſarum, & idem faciendi contra easdem, quæ vitam ducerent diſſolutam, ac patenter minus honeſtam, ac etiam illas, quæ habitum per alias manus quam Miniſtræ, & Sororum prædictarum juxta earum conſuetudines recipere præſumpſiſſent*. (C) Ea autem privilegia, ut intacta permanerent, Paulus II., ſupralaudati Eugenii patrui, & præceſſoris ſui veſtigiis inhærens, Mapheo Gerardo Patriarchæ Venetiarum mandavit, ac *in virtute* ſanctæ obedientiæ præcepit, *quatenus dictis Miniſtræ, & Sororibus efficacis præſidio defenſionis cum effectu aſſiſteret & litteras prædictas*, anno MCCCCLXX. die XXII. Junii Romæ datas obſervari mandaret. (D)

His Pontificiæ protectionis munitæ præſidiis, & Divinæ Providentiæ fidentes ab iis temporibus ad hanc usque diem in aſſiduo virtutum exercitio, licet arcta rerum inopia anguſtiatæ, optimo exemplo perſeverant.

Prodiit ex hoc Aſceterio inſignis ſanctimoniæ Soror quædam Lucia nomine, quam ex Patritia Familia Taleapetra (*Tagiapiera*) progenitam fuiſſe tradunt; de qua Beatæ titulo decorata mentionem ingerunt Arturus a Monaſterio in Martyr. Franciſc. ad diem 21. Januarii, Cimarella in Chron. Seraph. Petrus Ant. de Venetiis in Faſtis Seraph. pag. 35. Wading. in Annal., Toſſinianus, Theupulus, & alii, qui ipſam floruiſſe aſſerunt circa annum 1355. Corpus ejus, quod tradunt miraculis claruiſſe, tumulatum fuit in Eccleſia S. Raphaelis, nunc autem, ubi depoſitum fuerit, ignoratur.

Euge-

Eugenius IV. Caſtellano, & Tarviſino Epiſcopis mandat, ut Viſitatorem ſuo judicio eligendum aſſignent Sororibus tertii Ordinis S. Franciſci de Venetiis.

A 1438. 26. Septembris.

Ex Tabulario Sororum Tertii Ord. Seraphici apud S. Raphaelem.

EUgenius Papa IIII. Venerabiles Fratres Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Alias dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Tertii Ordinis S. Franciſci de Venetiis per noſtras litteras conceſſimus ut de conſenſu veſtro unum Sacerdotem ydoneum religioſum cujuſcumque ordinis viſitatorem eligere poſſent qui eis divina celebret offitia ac miniſtret Eccleſiaſtica Sacramenta prout in ipſis litteris plenius continetur. Cum autem prout nobis pro parte dictarum Sororum nobis extitit intimatum prefatæ Sorores unum de ordine Fratrum Minorum de obſervantia eligere vellent ſed mandato Generalis Miniſtri dicti Ordinis qui quidem omnibus ſui Ordinis Fratribus ex nonnullis cauſis prohibuit tale onus ſine ſpeciali mandato aſſumere id facere non preſumant Fraternitati Veſtre committimus & mandamus tenore preſentium quatenus viſitatorem prefatis Monialibus veſtro juditio eligendum aſſignetis prefati generalis miniſtri mandato ac aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque.

Datum Ferrariæ ſub anulo noſtro ſecreto die xxvi. Septembr. Pontificatus noſtri Anno octavo.

A tergo. | Venerabilibus Fratribus Caſtellano & Tarviſino Epiſcopis.

Eugenius IV. Epiſcopo Caſtellano mandat, ut mulieres tertii Ordinis S. Franciſci inobedientes ſtatuto Nicolai IV. ad depoſitionem habitus, quem deferunt, authoritate Apoſtolica compellat.

B 1441. 22. Januarii.

Ex Tabulario Sororum Tertii Ord. Seraphici apud S. Raphaelem.

EUgenius Papa IIII. Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Renuntiantibus fide dignis intelleximus quod licet tua fraternitas ſimul cum Vener. Fratre L. Epiſcopo Tarviſino, juxta commiſſionem quam vobis feceramus mandaverit quod ſtatutum Fe: re: Nicolai Pape IV. per Sorores Tertii Ordinis S. Franciſci de penitentia nuncupatas obſervaretur, nichilominus tamen quedam muliercule Dioceſis Caſtellanæ illum deferentes habitum minus obedientes dictum ſtatutum negligunt obſervare: Quæ quidem inobedientia non parum ſcandalum aliis ejusdem habitus facere dicitur. Quare non obſtante prima commiſſione tibi & predicto Tarviſino Epiſcopo quem ſcimus abſentem eſſe facta Fraternitati tue committimus & mandamus ut predictas mulierculas ad obſervantiam ſupradicti ſtatuti iterum monitas; ſi forte ite-

te iterum inobedientes fuerint auctoritate Apoſtolica cogas & compellas ad habitus quem deferunt Tertii Ordinis Beati Franciſci de penitentia depoſitionem atque etiam omnino ipſum habitum deponere facias & cures. Et aliter provideas prout tue Fraternitatis diſcretioni videbitur.

Datum Florentiæ ſub anulo noſtro ſecreto Die XXII. Januarii MCCCCXLI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

A tergo. } Venerab. Fratri L. Epiſcopo Caſtellano.

Joannes Barocius Patriarcha Venetiarum Judex Delegatus Miniſtræ & Sororibus Ordinis Seraphici facultatem concedit exuendi habitum cujuslibet Sororis inobedientis, vel diſſolutæ.

C

1466. 13. Martii.

Ex Tabular. Soror. Tert. Ord. Seraphici apud S. Raphaelem.

JOannes Barotius miſeratione Divina Patriarcha Venetiarum ac Dalmatiæ Primas & in hac parte conſervator Apoſtolicus. Vobis Miniſtre & Sororibus Tertii Ordinis Beati Franciſci Salutem in Domino ſempiternam. Viſis & diligenter inſpectis litteris olim fel. rec. Nicolai & Eugenii IV. Summorum Pontificum, quibus confirmantur ſtatuta & regule ſive ordinationes veſtre ac in eisdem conſervatores & judices perpetui deputati ſumus nec non brevibus ab eisdem poſtea emanatis. Eapropter in executione dictarum litterarum vobis miniſtre & Soribus antedictis plenam concedimus licentiam exuendi ſive ſpoliandi habitum cujuslibet Sororis dicti Ordinis non obedientis ſtatutis regulis ſive ordinationibus prefatis. Et idem faciendi contra easdem quæ vitam ducerent diſſolutam, ac patenter minus honeſtam. Ac etiam illas que habitum per alias manus, quam Miniſtre & Sororum predictarum juxta earum conſuetudines recipere preſumerent. Rogantes inſuper Spectabiles Dominos de Nocte quatenus ad omnem requiſitionem Miniſtre & Sororum predictarum debeant eisdem auxilium prebere & favorem in præmiſſis opportunum. Ex Patriarchali Palatio Venetiarum Die XXIII. Martii MCCCCLXVI. Ja: Canc.

Ego Jacobus Venetus Egregii viri q. Domini Antonii publicus Imperiali auctoritate Notarius ac Patriarchalis Curie Venetiarum Cancellarius ſupraſcriptas copias ſive tranſumpta Privilegii Domini Eugenii ac brevis ejusdem D. Eugenii nec non licentie conceſſe per predictum D. Jo: Patriarcham ſupraſcriptas fideliter ſumpſi & ſcripſi, & in fidem me ſubſcripſi & ſignavi.

Paulus

Paulus II. Patriarchæ Venetiarum mandat, ut Miniſtram, & Sorores tertii Ordinis S. Franciſci de Venetiis efficacis defenſionis præſidio protegat.

D 1470. 22. Junii.

Ex Tabulario Sororum Tertii Ord. Seraph. apud S. Raphaelem.

PAulus Papa II. Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum per fel. rec. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum inter cetera pro parte Miniſtre & Sororum Tertii Ordinis S. Franciſci accepto. Quod ipſe quibus fel. rec. Nicolaus IV. etiam predeceſſor noſter conceſſit quod viſitatorem haberent Sacerdotem alicujus approbatæ religionis, qui eorum confeſſione audita de commiſſis exceſſibus penitentiam eis injungeret ſalutarem, nec quis alius poſſet eis hujusmodi viſitationis officium exhibere, per Generalem Provincialem miniſtros, nec non Guardianum domus ejusdem loci de Venetiis Ordinis Fratrum Minorum contra ſtatutum & litteras dicti Nicolai inquietabantur, Venerabilib. Fratribus Caſtellan. in cujus locum ſuccedis & Tarviſino Epiſcopis dedit in mandatis, ut conceſſionem prædictam cui idem Eugenius addidit ut Miniſtra & Sorores predicte Viſitatorem hujusmodi de conſenſu alicujus ex dictis Epiſcopis eligere haberent ubi & quando opus eſſet, publicarent, & ipſis Miniſtre & Sororibus quotiens ſuper hoc requiſiti forent efficacis preſidio defenſionis aſſiſterent, & non permitterent aliquam ex eis per Generales Miniſtros & Guardianos prefatos contra conceſſionem hujusmodi inquietari, ipſisque contra quoscumque ſuper eorum cauſis & differentiis juſtitiam ſummarie miniſtrarent nosque poſtmodum premiſſa per tuum & dicti Tarviſini Epiſcopi ſeu Venetiarum & Tarviſini Capitulorum te & dicto Epiſcopo pro tempore abſentibus Vicarios fieri juſſimus, & mandamus prout in dictis & noſtris litteris quarum tenores pro expreſſis habentes plenius continetur. Nos dicti Eugenii etiam veſtigiis inherentes qui etiam olim Caſtellano & Tarviſino Epiſcopis de litteris ſuis predictis exequendis ſub anulo piſcatoris reſcripſit fraternitati tue in virtute ſancte obedientie precipimus & mandamus quatenus dictis Miniſtre & Sororibus juxta predictarum litterarum formam & tenorem efficacis præſidio defenſionis cum effectu aſſiſtas & litteras predictas obſervari mandes & facias ſub cenſuris & penis de quibus tibi videbitur expedire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die XXII. Junii MCCCCLXX. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

A tergo. | Venerab. Fr. Mapheo Patriarchæ Venetiarum.

DE

DE
MONASTERIO
SANCTÆ THERESIÆ
VIRGINIS.

CŒnobium Sanctimonialium Carmelitarum, quæ vulgo *le Tereſe* nuncupantur, fundatricem agnoſcit Mariam, piis, honeſtisque parentibus Ludovico Ferazzio, & Magdalena Poli anno MDCXXIII. Venetiis ortam. Hæc ab ipſa pæne infantia, quanta futura eſſet virtutum laude conſpicua, non obſcure indicavit. Septennis utroque orbata parente, qui ex gravi peſtilentia fœde per urbem graſſante interierunt, ad patrui domum deflexit, quem paulo poſt eodem ſæviſſimo morbo ſublatum ingemuit. Quare a vicini viri pietate, hoſpitio excepta Divinam jugibus lacrymis Providentiam obteſtabatur, ut ſibi in parentum locum ſuccederet, quod pium inopis puellæ votum, quantum Domino acceptum fuerit, exitus demonſtravit, ſemper enim perinde ac filia Paternam Numinis beneficentiam ſibi præſentem experta eſt. Eo proinde inſpirante Bonaventuram Pinzonum virum ve-

nerabilem ex Carmelitarum ordine adiit, qui ea charitate prædituſ, quam (furente morbo) in extremis ſacramentis languenti populo adminiſtrandis vitæ ſuæ prodigus oſtenderat, teneram Virginem, ejusque lacrymas miſeratus excepit, eamque erogatis victus expenſis Modeſtæ Salandi piæ mulieri enutriendam tradidit, quæ quamplures Virgines in pietate, & muliebribus exercitiis informandas ex inſtituto acceperat. Eo in loco, cum quotidie in omni virtutum exercitio proficeret, id brevi aſſequuta eſt, ut ſeſe Virginibus ſociis Chriſtianæ perfectionis exemplar præberet, ex quo omnium perinde, ac magiſtræ in ſe concitavit affectum, quem etiam munuſculis ſæpe ſæpius collatis teſtabantur. Hæc illa ſeorſim ſollicito ſtudio reponebat; aſſerens, ſe omnia reſervare in ſacrarum Ædium ornatum, ad quas conſtruendas ſeſe Divino afflatu excitatam ſentiebat. Internam hanc Superni Spiritus motionem, qua conſtanter agebatur, ſupralaudato Bonaventuræ, qui ei erat a confeſſionibus, ex ordine aperuit, qui re prudenter examinata, & ipſius puellæ ſpiritu attente probato, cum præſentem Dei digitum in re cognoſceret ex eo etiam, quod quatuordecim aliæ Virgines novis clauſtris ſub Carmelitarum regula erigendis claudi cupiebant, ad rem perficiendam ſtimuloſ admovit.

Anno itaque a Dominica Nativitate MDCXLVII. ætatis ſuæ vigeſimo quinto Divini auxilii implorata ope, publicam authoritatem exoravit, ut ſibi fundum, quantum pro Eccleſia & Monaſterio conſtruendis ſatis eſſet, emere liceret. Voti compos facta, Divinæ largitatis beneficentiam illico ſenſit, nam inops Virgo omnibus humanis deſtituta auxiliis, tantis repente aucta eſt piorum ſubſidiis, ut brevi, pluribus, quæ adverſabantur difficultatibus ſuperatis, fundum jure emptionis acquiſierit, indeque Cœnobium, eique adjunctum magnificum Templum a fundamentis erexerit. Internum Templi opus ſeptem ex pario marmore conſtructis altaribus, & copioſa etiam ſacrarum rerum ſupellectile exornandum pia Fundatrix curavit, cujus rei fama Romam usque delata, Alexandrum Victricium Epiſcopum Alatrinum Summi Pontificis in alma Urbe Vicegerentem impulit, ut novæ Eccleſiæ eo præclariora, quo ſacratiora ornamenta mitteret; corpora ſcilicet ſex Sanctorum Martyrum, quorum ſortita nomina in authenticis ipſius litteris leguntur expreſſa; (A) nec multo poſt pari munere oblata fuerunt corpora

pora S. Annæ Martyris, una cum puero parvulo & vaſe vitreo confracto, ſanguine ejuſdem aſperſo, & corpora, ſeu oſſa Sanctorum Caſſiani, Julii, & Maximæ Martyrum e Cœmeterio Calepodii per ſupralaudatum Epiſcopum Alatrinum extracta.

Divinæ largitatis clementia, quæ in tam celeri Conventus, & Templi conſtructione eluxerat, novo pariter enituit beneficio, ſiquidem erogatis piorum eleemoſynis ædificati Cœnobii redditus eo usque creverunt, ut alendis quadraginta Virginibus in vita communi ſufficerent.

Quo autem novæ fundationis opus majoris firmitatis præſidio roboraret, prudens Virgo Veneti Senatus pietatem enixis precibus exoravit, ut Eccleſiam, & Monaſterium ipſiusque redditus in perpetuam protectionem ſub Publici jurispatronatus titulo ſuſcipere dignaretur, qui libentiſſime Monaſterium, & ſanctimoniales in eo degentes ſub Regii Patronatus jure recepit die undecima April. MDCXLVIII. & hanc ſuæ Religionis voluntatem publicis litteris voluit eſſe teſtatam.

Sub hæc ferme decreta, ut rem totam abſolveret Fundatrix, de clauſura obtinenda conſilium iniit, implorataque per multos dies Divini auxilii ope, ad Pontificem Romanum ſupplices libellos mitti curavit, quibus humili expetebat inſtantia, ut Monaſterium perpetuæ clauſuræ munere ornaret, atque muniret. Apoſtolicam Petri Sedem tenebat tunc temporis Alexander hujus nominis ſeptimus, qui collaudata piæ Fundatricis pietate novum Carmelitici inſtituti Aſceterium rite ſancteque approbavit, datisque litteris ſub die XXX. Martii anni MDCLXVII. (B) Stephano Brancatio Sanctæ Sedis Nuntio, apud Venetorum Rempublicam per Apoſtolica ſcripta mandavit, ut Conſervatorium prædictum in Clauſuram, & Monaſterium Monialium Ordinis, ſeu Regulæ Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ſub regimine ſpirituali Fratrum Carmelitarum antiquæ regularis obſervantiæ Pontificia authoritate erigeret, & inſtitueret.

Læto igitur nuntio bene geſtæ rei accepto Fundatrix, ejusque Filiæ gratiis primum (ut æquum erat) Deo actis, diem duodecimam Julii ſtatuerunt, qua ſolemnem ſui oblationem Chriſto ſponſo perficerent. Optata dies ut eluxit, ad novam S. Thereſiæ Eccleſiam convenientes ibi Apoſtolico Diploma-

te publicato, perlectiſque litteris, quibus Generalis Carmelitarum Prior novum Monaſterium ſub Religionis cura, & regimine ſuſcipiebat, (quæ omnia in authenticum inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam redacta ſunt,) (C) prima omnium Maria ſuſcepto novo nomine Angelæ Mariæ Venturæ a Sanctiſſimo Sacramento, indeque aliæ Virgines numero triginta ſex mutato pariter nomine regularem votorum profeſſionem in Pontificii Legati manus ſolemniter emiſerunt, quibus peractis, Apoſtolica benedictione recepta, hilares Monaſterium ingreſſæ, immortales Chriſto gratias egerunt, quod ipſas denique voti compotes effeciſſet. Ad clauſuræ autem conſervationem anno ſequenti delegatus fuit Pontificio Clementis IX. diplomate (D) Daniel Delphinus Epiſcopus Philadelphienſis.

Ut publicæ benignitatis, qua Senatus Monaſterium in Regiam protectionem receperat, perpetua vigeret memoria; S. C. ſtatutum eſt, ut quotannis per Principem comitante Collegio inviſeretur Eccleſia in titulari feſtivitate S. Thereſiæ, quæ dies poſtmodum in opportuniorem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo commutata fuit.

Interea, cum in dies magis quamplures nobiliſſimæ Virgines intra nova ſepta recipi religionis ſtudio flagitarent, ut earum votis ſatisfieri poſſet, Angela Maria Cœnobii anguſtias Senatu permittente per vicinarum Ædium adnexionem anno MDCLXXVI. dilatari curavit. Cum vero novi Monaſterii fama, bonuſque odor inſtitutæ Religionis, ad propinquas etiam Urbes perveniſſet, ipſarum invitatu & precibus prælaudata Angela Maria, diſpenſatione Apoſtolica interveniente, Patavium primum, mox Vicentiam, indeque Veronam ſe contulit, ut Carmelitici Ordinis Virgineas colonias iis in locis ſub ordinaria tamen cura Epiſcoporum erigeret. Ad Patriam denique reverſa, cum in extremum morbum deveniſſet, virtutibus, & meritis cumulata die XIX. Aug. anno Inc. Dom. MDCLXXXVIII. ætatis vero ſuæ LXV. eccleſiaſticis Sacramentis rite ſuſceptis placidiſſime migravit ad Sponſum. Corpus ejus poſt exequias mira populi frequentia celebratas terræ demandatum eſt in interna clauſura cum hac Epigraphe.

HIC

HIC JACET
ANGELA MARIA VENTURA
A SANCTISSIMO SACRAMENTO
NUPTA CHRISTO
INTEGERRIMA VIRGO.
VERON. VICENT. PATAV. AC VENET. CŒNOB.
CARMELO PEPERIT FILIAS
FECUNDISSIMA MATER
ANNUM AGENS LXV. DIE XIX. AUGUSTI
OBIIT MUNDO, CŒLO VIVIT.

Templum, & altaria ſumptuoſo non minus, quam eleganti opere erecta plurimis ditantur Sanctorum Martyrum lipſanis, quæ inter enumerantur Sanctorum Quintilli, Quirini, & Valerii Martyrum, atque Sanctarum Floræ, & Maximæ pariter Martyrum corpora ex Urbis Romanæ cœmeteriis ad hanc ſacram ædem adducta.

Elenchus Prioriſſarum Monaſterii S. Thereſiæ Ordinis Carmelitarum.

1647 Maria Angela Ventura a Sanctiſſimo Sacramento, olim in ſæculo Maria Ferazza loci Fundatrix. Ob. 1688.
1688 Maria Angela Catherina Noſadini a Sancto Joanne Evangeliſta.
1691 Maria Seraphina Tognana a S. Laurentio. Iterum 1697.
1694 Maria Thereſia Raimondi a S. S. Trinitate.
1700 Maria Ancilla Bolis a Domino.
1703 Maria Octavia de Angelis a S. Thoma. Iterum 1719.
1706 Maria Corona Donata ab Angelis.
1709 Maria Excelſa de Priolis a Sapientia Divina. Iterum 1713. 1716. 1722.
1725 Maria Donata Gradonico a S. Alberto. Iterum 1728. 1734. 1738. 1742.
1731 Maria Helena Felix Baſadona a S. Joanne.
1737 Maria Joanna Thereſia Memmia a S. Ignatio.
1745 Maria Marina Miconi a S. Auguſtino.
1747 Maria Angela Cecilia Ortes a S. Jacobo.

Ale-

Alexander Victricius Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Alatrinus.

A

UNiverſis præſentes noſtras inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus, & atteſtamur qualiter nos dum Vicesgerentis munere fungeremur, procurante & inſtante apud nos D. Joanne Baptiſta Zambello Bergomenſi pro Domina Maria Ferrazzia Veneta, donavimus eidem Dominæ Mariæ ad Majorem Dei gloriam, & Sanctorum ſuorum honorem Corpora SS. Martyrum Jucundi, Quirini, Quintilii, Valerii, ac Sanctarum Martyrum Floræ cum vaſe ſanguinis reperto in ſuo ſepulchro, & Perpetuæ, tunc temporis à nobis de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii Papæ X. ex variis cœmeteriis extracta, quæ incluſa in capſulis ligneis cordulis ligatis, & duobus in locis ſigillo noſtro in cera hiſpanica rubea munitis, eidem Domino Joanni Baptiſtæ conſignavimus ad effectum pariter conſignandi eidem Dominæ Mariæ, cui etiam tunc facultatem, & licentiam dedimus prædicta ſacra Corpora penes ſe retinere, extra Urbem ferre, & in quacumque Eccleſia, Oratorio, vel pio loco publicæ venerationi fidelium exponendi de Ordinarii licentia, ac etiam illa integra, vel illorum partem, ſeu fragmenta aliis donandi. In quorum fidem, ex parte ejuſdem Dominæ Mariæ nunc requiſiti, has præſentes manu noſtra firmatas, ſigillique noſtri impreſſione, ſeu appenſione munitas per noſtrum Secretarium expediri in alma Urbe Die 20. Settembris Anni Jubilæi milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi mandavimus.

Alexander Epiſcopus Alatrinus.

Bernardus Garbana Secretarius.

Alexander VII. Legato Apoſtolico mandat, ut Venetiis erigat Monaſterium Monialium Carmelitarum.

B

1667. 30. Martii.

Ex Archivo Ordinis Carmelitarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili Salutem &c.

SAcri Apoſtolatus miniſterio, meritis licet imparibus, Divina diſpoſitione preſidentes inter cætera cordis noſtri deſiderabilia circa ea, per quæ Majeſtas Altiſſimi ubique collaudetur, cultusque ſui glorioſiſſimi Nominis amplietur, & ad illorum laudem, & gloriam Monaſteriorum, & aliorum Regularium locorum quorumlibet preſertim Sanctimonialium, & prudentum Virginum in eis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium numerus augeatur, ſollicitudinis noſtræ ſtudium libenter convertimus, & ut pia fidelium vo-

ta ad

ta ad id tendentia effectum ſortiantur, opem, & operam noſtram, quantum nobis ex alto conceditur efficacius impendimus pro ut ad Divini Nominis gloriam, & Animarum ſalutem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

I. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Virginum in Conſervatorio ſub Regula Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Thereſianarum nuncupato in Civitate Venetiarum jampridem canonice erecto, & fundato degentium petitio continebat: quod cum in dicta Civitate celeberrima dictum Conſervatorium ſub Regula hujuſmodi, & ſub protectione, ac de jure Patronatus Reipublicæ Venetiarum annuis redditibus ad quadraginta, & plures Virgines in vita communi ſuſtentandas ſufficientibus dotatum, & fabrica ac habitatione ad uſum Monaſterii Regularis, ac perfectæ Clauſuræ cum omnibus Officinis extructum, mobilibus, & ſupellectilibus neceſſariis refertum & in loco, & ſitu ſalubris aeris, & à proſpectibus Sæcularium immuni cum Eccleſia Supellectilibus Sacris abunde ornata, & ditata ſitum reperiatur cujus redditus predicti ex bonis mere laicalibus aſſignati exiſtunt, & ad tres mille Ducatos monetæ illarum partium circiter annuatim aſcendunt: dictæ vero Virgines ob melioris vitæ frugem, & ut Sponſo Celeſti ſub ſuavi Religionis jugo, ſpretis mundi illecebris in odorem ſuavitatis inſervire valeant, plurimum cupiant dictum erigi, & inſtitui. Quare pro parte dictarum Virginum nobis fuit humiliter ſupplicatum quatenus in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

II. Nos igitur qui piis Chriſti fidelium votis ad Monaſteriorum, & piorum locorum conſtructionem Divinique cultus, & fidei Catholicæ incrementum, ac Ordinis, & Religionis propagationem tendentibus, quantum cum Domino poſſumus annuimus dictique Conſervatorii Singulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes: Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Conſervatorium predictum in Clauſuram, & Monaſterium Monialium Ordinis, ſeu Regulæ Beatæ Mariæ de Monte Carmelo pro perpetuis uſu & habitatione unius Prioriſſæ, & triginta duarum Monialium Choralium cum ſeptem Converſis, quæ omnes habitum per Moniales ejuſdem Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, & anno probationis elapſo, profeſſionem per eaſdem emitti conſuetam expreſſe emittere regulares, ac tota Vota Solemnia regularia profiteri, novaſque Moniales in poſterum introducendas, Chorales nimirum mille, Converſas vero trecentorum ducatorum monetæ predictæ, illarum partium dotem, & ſupellectilem neceſſariam, ac alimenta pro anno probationis afferre, ac ſub gubernio directione, & adminiſtratione Fratrum Carmelitarum antiquæ Regularis Obſervantiæ ita ut ab Ordinarii loci juriſdictione ſemper, & quandocumque liberum exemptum, & immune cenſeatur vivere debeant: ac omnibus gratiis privilegiis, & exemptionibus, immunitatibus, juribus, & indulgentiis, & prerogativis, quibus alia ejuſdem Regulæ Monialium Monaſteria dicti Ordinis Fratrum directioni, & gubernio ſubjecta fruuntur, & gaudent, ac uti frui, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum (dummodo tamen illa ſint in uſu, & ſub nullis revocationibus comprehenſa, Conciliique Tridentini decretis minime adverſentur:) uti frui, & gaudere libere, & licite poſſint & valeant ex voto congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, & ſine alicujus prejudicio, & repertis prius aſſignatis bonis ſufficientibus pro dote dicti Monaſterii authoritate noſtra perpetuo erigas, & inſtituas, illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote & Monialium in eo pro tempore exiſtentium ſubſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportare reditum predictum trium millium ducatorum ut premittitur, aſſignatum,

ita

ita quod liceat eiſdem Prioriſſe, & Monialibus pro tempore exiſtentibus, illius & bonorum eis pro tempore aſſignandorum corporalem, realem, & actualem profeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios eorum nomine propria authoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, illaque in ſuos communes uſus, & utilitatem convertere Diœceſani loci vel cujusvis alterius licentia deſuper minime requiſita eadem authoritate perpetuo applices, & appropries; nec non Monaſterium ſic erigendum, & Moniales hujuſmodi, ac Miniſtri, & Officiales pro tempore exiſtentes, ac omnia res, & bona quæcumque ad illud ac Miniſtros & Officiales predictos ſpectantia omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, preeminentiis, prerogativis, antelationibus, conceſſionibus, indultis, favoribus & gratiis, aliisque univerſis tam Spiritualibus, quam temporalibus quibus alia dicti Ordinis Monaſteria, & Moniales de jure, uſu, & conſuetudine, vel alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & potiri poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, & ſine ulla differentia, perinde ac ſi illa eis ſpecialiter & generaliter ac in ſpecie conceſſa fuiſſent dummodo ea ſint in uſu, nec revocata exiſtant, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis preſertimque dicti Concilii decretis non adverſentur etiam uti, frui, potiri & gaudere libere, & licite poſſint & valeant eadem authoritate in perpetuum concedas & indulgeas. Preſentes quoque ſemper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & eſſe ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, nec ſub quibusvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, & Sedem predictam ſub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam motu proprio ac alias pro tempore faciendis, comprehendi, vel confundi, ſed ſemper ab illis exceptas & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per *Prioriſſam*, & moniales predictas, & illarum ſucceſſores nec non Monaſterium hujusmodi ut preſertur erigendum quandocumque eligenda conceſſas eſſe & fore; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos dictaque Sedis Nuncios, dicta authoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari eadem authoritate decernas. Non obſtantibus premiſſis ac de gratiis ad inſtar non concedendis aliisque Apoſtolicis etiam in Provincialibus & Synodalibus ac univerſalibus Conciliis editis & edendis ſpecialibus vel Generalibus Conſtitutionibus Ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1667. xvi. Kal. Junii Pontificatus Noſtri Anno Tertiodecimo.

Die Mercurii 13. *Menſis Julii* 1667.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſs. in Chriſto Pater, ac D. D. Stephanus Brancaccius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Adrianopolitanus, ac in toto Sereniſs. D. D. Venetorum Dominio Nuntius Apoſtolicus acceſſit ad Eccleſiam S. Thereſiæ in Parochia S. Nicolai Venetiarum exiſtentem, in qua ad Altare Majus in Pontificalibus miſſam celebravit, aſſiſtentibus quamplurimis Canonicis & Plebanis hujus Civitatis Venetiarum, & aliis Sacerdotibus ſuis fami-

familiaribus, nec non preſentibus intra locum clauſum, & ſeparatum in Capella ſuprascripti Altaris omnibus Virginibus Monaſterii S. Thereſiæ ſuprascriptæ, quo ſacro miſſæ ſacrificio peracto præcedentibus prefatis Virginibus vela nigra omnino in facie coopertis detulit, & ſolemni pompa Eccleſiaſtica proceſſionaliter Sanctiſſimum Sacramentum per parvam diſtantiam ab iſta Eccleſia aſſociatus a multis Equitibus, & Senatoribus Venetis, nec non ab honeſtis viris ſanguine dictis Virginibus conjunctis, aliiſque probis & devotis perſonis, & brevi giro Proceſſionis terminato reingreſſus eſt dictam Eccleſiam, ac repoſito SS. Euchariſtiæ Sacramento ſedit ſub Trono Pontificali, & accedens Soror Maria Angela Ventura SS. Sacramenti in manibus D. S. & Romæ ſuam ſolemnem emiſit profeſſionem, qua profeſſione emiſſa ſolemniter introduxit ſupradictas omnes Virgines in Monaſterium præfatum, ſtetitque ante januam ſupradicti Monaſterii aſtantibus, præſentibus, & audientibus Illuſtriſs. & Eccellentiſs. D. D. Aloyſio Fuſcareno, Aloyſio Contareno, Andrea Contareno, & Franciſco Piſani divi Marci Procuratoribus, & Andrea Memo, & Andrea Minotto omnibus Procuratoribus ſupradicti Monaſterii, nec non ſuprascriptis omnibus prænarratis; clauſaque fuit Eccleſiæ janua ab extra, quo facto D. S. Illuſtriſſima & Reverendiſſima ſedens promandavit per me Cancellarium publicari decretum Clauſuræ infraſcriptum, videlicet:

Stephanus Brancatius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Adrianopolitanus, ac in toto Sereniſſimo D. D. Venetorum Dominio Nuntius Apoſtolicus, & ad infraſcripta a Sanctiſſimo D. N. Papa ſpecialiter delegatis.

Noverint univerſi, & ſinguli qualiter ſub die prima menſis Julii currentis nobis fuerit pro parte venerandarum Virginum Conſervatorii ſub Regula S. Mariæ de Monte Carmelo Thereſiarum nuncupatarum exiſtentiam in Parochia S. Nicolai Civitatis Venetiarum nobis exhibitum reſcriptum Apoſtolicum fel. recor. Alexandri Pp. VII. tenoris ſequentis, videlicet SS. D. N. D. Alexander Divina Providentia Papa VII. precibus Virginum Conſervatorii ſub Regula B. Mariæ de Monte Carmelo Thereſiarum nuncupatarum Civitatis Venetiarum ſub protectione Reipublicæ Venetæ degentium & exponentium ipſum Conſervatorium eſſe annuis redditibus ad quadraginta, & plures Virgines in vita communi ſubſtentandas ſufficientibus dotatum fabrica & habitatione in uſum Regularis monaſterii, ac præfectæ clauſuræ cum omnibus officinis extructum, mobilibus, & ſuppellectilibus neceſſariis refertum, & ſitu ſalubris aeris, & a proſpectibus Secularibus immuni, nec non Eccleſiam ſupellectilibus ſacris abunde ornatam, & ditatam, & propterea ſupplicare ipſum Conſervatorium in Clauſuram & Monaſterium erigi, & ſub dicta Regula B. Mariæ de Monte Carmelo tria vota ſolemnia regularia profiteri, & ſub directione & gubernio Fratrum Carmelitarum antiquæ Regularis obſervantiæ ſtabiliri, & perpetua Clauſura muniri ad preſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum cum omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, & prerogativis omnibus, quibus alia ejuſdem Regulæ Monaſteria Monialium dicti Ordinis Fratrum directioni & gubernio ſubjecta fruuntur, & gaudent, ſeu frui, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum attentis informationibus habitis ſuper veritate expoſitorum, & facta per me Sanctitati ſuæ relatione clementer annuit, pro executione opportunas, & neceſſarias facultates conceſſit D. Nuntio Apoſtolico Venetiis degenti contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ 30. Martii 1667.

Ego Epiſcopus Camerinenſis Secretarius. (a)

(a) Hic Epiſcopus Camerinenſis fuit Æmilius Alterius Patritius Romanus inter S. R. E. Cardinales cooptatus a Clemente IX. cui in Apoſtolica Sede ſucceſſit aſſumpto Clementis X. nomine.

Poſt cujus reſcripti quidem præſentationem nobis, & per nos ea, qua decuit reverentia receptionem factam fuimus pro parte dictarum Virginum requiſiti, ut ad ejusdem Apoſtolici reſcripti executionem devenire dignaremur. Quocirca cum muneri noſtro incumbat, ut reſcripta Apoſtolica debitæ executioni demandentur, & ſuum plenarium ſortiantur effectum, habitis ocularibus inſpectionibus, & diligentibus perquiſitionibus, & informationibus circa veritatem narratorum, expoſitaque veritate innixi etiam per generalem viſitationem Eccleſiæ & Conſervatorii prædictorum per nos factam compererimus conſervatorium præfatum eſſe annuis redditibus, proventibus, & introitibus ad quadraginta & plures Virgines in vita communi ſubſtentandas, & alendas ſufficientibus dotatum, ſtructura loci, & habitatione in uſum regularis Monaſterii, ac præfatæ clauſuræ cum omnibus officinis fabricatum, mobilibus, & ſupellectilibus neceſſariis refertum in loco, & ſitu ſalubris aeris & omnino à proſpectibus ſecularium immuni, nec non Eccleſiam mobilibus & dignis uſu ſacris ſupellectilibus abunde ornatam, & ditatam: Dictæque vero Virgines ad numerum triginta choriſtarum, & ſeptem Converſarum ad præſens exiſtentium ſingillatim coram nobis aſſiſtente etiam D. Dominico de Piſſeris Auditore noſtro Generali Cancellario noſtræ Nunciaturæ Apoſtolicæ Venetiarum ſcribente genuflexæ deprecatæ fuerint, ut dictum Conſervatorium in clauſuram, & Monaſterium erigere, & poſtmodum eas omnes & ſingulas ad Profeſſionem Religionis juxta regulam S. Mariæ Virg. de Monte Carmelo ſub directione & gubernio Fratrum Carmelitarum antiquæ regularis obſervantiæ admittere dignaremur. Volentes igitur earumdem ſpirituali conſolationi ſatisfacere Apoſtolica auctoritate nobis conceſſa unaqueque earum ſeparatim a nobis interrogata, an ſponte & libere, nullaque vi, metu, aut ſuggeſtione ducta velit ſub perpetua clauſura intra ſepta dicti Monaſterii vitam degere, & profeſſionem emittere ſecundum ſupradictam regulam, atque an ſciat quid agat, quæ onera, vota & obligationes ſubitura, reſponſumque ſit ad omnes & ſingulas interrogationes recte conſtita nobis de earumdem ætate, & habilitate, clauſuram dicti Monaſterii intra muros bene altos tutos atque ab omni aſpectu, & proſpectu externo liberos undique circum ſepti: auctoritate nobis ut ſupra attributa, & qua fungimur in hac parte, noſtro hoc decreto deſignamus, ſtatuimus, & includimus, atque a prædictis Sororibus, quæ nunc ſunt, & pro tempore erunt, ſi, & poſtquam profeſſionem emiſerint quoad egreſſum, & quoad ingreſſum ab omnibus utriuſque ſexus perſonis ſtricte, & ſub pœnis, & cenſuris contra violantes clauſuram monialium obſervari, & cuſtodiri mandamus ad formam Conſtitutionum Apoſtolicarum, & ſub directione, & gubernio Fratrum Carmelitarum antiquæ regularis obſervantiæ ſtabilimus cum omnibus gratiis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & prerogativis, quibus alia ejusdem regulæ Monaſteria monialium dicti Ordinis Fratrum directioni ſubjecta fruuntur, & gaudent, ſeu frui, & gaudere quomodolibet poterunt impoſterum non obſtantibus contrariis quibuscumque. Actum datum & publicatum fuit preſens Decretum die 13. menſis Julii Anno 1667. Pontificatus autem Sanctiſſimi D. N. D. Clementis Papæ IX. Anno primo Preſentibus Reverendis DD. Cruciano Cruciani & Julio Crinelli familiaribus ſupradicti Illuſtriſſimi D. aliiſque quam plurimis Canonicis, & Sacerdotibus aſſiſtentibus, nec non quamplurimis Senatoribus Venetis ad portam dicti Monaſterii aſtantibus.

L. S. Archiepiſc. Adrianopolitanus Nuncius Apoſtolicus.

Stephanus Roſata Cancellarius m. &c.

Et ibi

Et ibi præſens Adm. Rev. Fr. Magiſter Bonaventura Pinzoni Ord. S. Mariæ Carmellitarum & genuflexus ante D. S. Illuſtriſſimam & Reverendiſſ. actualiter exhibuit mandatum Procuratorium Reverendiſſimi ſui Patris Generalis recipiendi dictum Monaſterium, & moniales ſub gubernio & directione Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum antiquæ regularis obſervantiæ humiliter ſupplicans ſibi tradi Claves Monaſterii una cum gubernio & regimine illius.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus DD. Nuntius Apoſtolicus &c. mandatum Procuratorium admiſit ſi, & in quantum, & pro debita executione reſcripti Sanctiſſimi D. Supradicto Priori Magiſtro Pinzono claves ſupradicti Monaſterii tradidit, & ſub gubernio, & directione ejusdem, & Carmelitarum antiquæ regularis obſervantiæ Moniales predictas aſſignavit. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad laudem Omnipotentis Dei, Beatæque Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Sequitur tenor Mandati Procuratorii, de quo ſupra ſit mentio.

Frater Matthæus Orlandus Sacræ Theologiæ Magiſter ſuper erectione Monaſterii Monialium noſtri Ordinis Venetiis Thereſiarum nuncupatarum cum reſcriptum Apoſtolicum ſit emanatum tenoris ſequentis videlicet SS. D. N. D. Alexander Divina Providentia Pp. VII. precibus Virginum Conſervatorii ſub regula B. Mariæ de Monte Carmelo Thereſiarum nuncupatarum Civitatis Venetiarum ſub protectione Reipublicæ Venetæ degentium &c.

Datum Romæ 30. Martii 1667.

Ego Epiſcopus Cameriæ Secretarius.

Nos autem ſupradicto reſcripto, ac diſpoſitioni Apoſtolicæ quantum in nobis eſt humiliter inherentes harum ſerie te Patrem Magiſtrum Adm. Reverendum Bonaventuram Pinzoni Ordin. noſtri profeſſum Sacerdotem virum probum ſingulari pietate, ac doctrina præditum, qui pro executione ſpirituali, & temporali prædicti Monaſterii, quam plurimum in Domino inſudaſti, creamus, inſtituimus, ac facimus noſtrum Commiſſarium ac Delegatum Generalem ad hujusmodi exequenda cum omnimoda facultate prædictum Monaſterium acceptandi nomine noſtro curam, regimen, adminiſtrationem omnium bonorum ſpiritualium & temporalium habendi, omnesque moniales, ac ſingulas in eo degentes ad profeſſionem admittendi, novitias recipiendi, Prioriſſam ac cæteras officiales ſervatis ſervandis inſtituendi, cæteraque omnia præſtandi, quæ res virtute ſupradicti reſcripti Apoſtolici præſtare poſſumus, hac tamen lege, & conditione ſervata, ut Monaſterium prædictum, tamquam ſub Sereniſſimo Reipublicæ Venetæ protectione degens, ut conſtat ex ſententia ejusdem Sereniſſimi Senatus ſub die 11. Aprilis 1648. lata, ad quam habeatur relatio, nec aliter, nec alio modo ſuſcipere, ac recipere valeas, quæ omnia ac ſingula ſub merito Sanctæ obedientiæ præcipimus & impartimur.

Datum Romæ 12. Aprilis 1667.

Fr. Mattheus Orlandus Generalis Carmelitarum.

Fr. Emilius Jacomelli Provincialis Scotiæ Secretarius &c.

Clemens Papa IX. mandat Danieli Delphino Epiſcopo Philadelphienſi, ut exerceat jurisdictionem veluti ordinariam in his, quæ concernunt Clauſuram, & Confeſſarios, aliasque neceſſitates Monaſterii Thereſinarum in Civitate Venetiarum.

C 1668. 7. Julii.

Ex Archivo Ordinis Carmelitarum.

A tergo. | Venerabili Fratri Danieli Delphino Epiſcopo Philadelphienſi.

CLEMENS PAPA IX.

Venerabilis Frater Salutem &c.

CUm ſicut dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, & Moniales Carmelitanæ Monaſterii Thereſinarum nuncupat. Civitatis Venetiarum, nobis nuper exponi fecerunt ipſæ quæ (ut aſſerunt) curæ, directioni, & guberaio Fratrum antiquæ obſervantiæ Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo ſubjectæ, ac ab ordinaria Venerabilis Fratris Patriarchæ Venetiarum juriſdictione exemptæ exiſtunt, aliquem ſibi Prælatum in iis quæ Clauſuram, & approbationem Confeſſariorum, aliasque neceſſitates dicti Monaſterii concernunt à nobis deputari ſummopere deſiderent. Nos ſpecialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & earum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, ac Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, Fraternitati tuæ, & conſervationi Clauſuræ dicti Monaſterii invigilare, ac illa quæ ad clauſuram hujusmodi pertinent, facere, decernere, & exequi, Confeſſarios ipſarum Exponentium approbare ceteraque omnia & ſingula, quæ Epiſcopi, ac locorum Ordinarii circa Monaſteria Monialium ab eorum ordinaria juriſdictione exempta, & Regularibus ſubjecta, ac illorum perſonas res, & bona juxta diſpoſitionem Conſtit. 13. p. 397. Conſtitutionis felicis Record. Gregorii XV. Predeceſſoris noſtri quæ incipit *Inſcrutabili* facere poſſunt, & debent circa Monaſterium earumdem Exponentium illiusque Perſonas res, & bona pariformiter facere, mandare, gerere, & exequi ac executioni mandari curare libere, & licite poſſis, & valeas facultatem ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturam, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium tribuimus, & impartimur. Non obſtantibus præfata Gregorii Predeceſſoris aliiſque conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit dicti Monaſterii, & illius Ordinis, etiam juramento &c. quibus omnibus &c. derogamus ceteriſque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die 7. Julii 1668. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI NICOLAI
EPISCOPI.

EA Venetæ Urbis Regio, quæ a conſiſtentis firmitate ſoli vulgo *Dorſumdurum* nuncupatur, ſæculo humanæ ſalutis ſeptimo inhabitata primum fuit a Patavinis, ut traditur, qui feras Longobardorum vaſtationes declinantes, cum ad intimos Adriatici maris receſſus ſe recepiſſent, ibi in nonnullis prominentioris ſitus Inſulis, ubi conſpicua veterum ædificiorum rudera prominebant, Sedes fixerunt. Temporis autem fluxu ex Patritia Zancarola familia pii viri non longe ab oris Æſtuarii in ea regionis parte, quæ Patavinum agrum a fronte reſpicit, Eccleſiam Divi Nicolai Mirenſis Epiſcopi nomine dedicatam condiderunt, quæ ab incolarum inopia, quippe piſcatu vitam ægre trahentium, *S. Nicolai de Mendicoli* nomen accepit.

Ad eam ſacro exornandam theſauro, Henricus Contarenus Caſtellanus Epiſcopus ex venerando Divi Nicolai corpore, quod ab Oriente Venetias deduxerat, aſſumptum digiti articulum

culum

culum pio munere obtulit, cujus virtutem prorſus mirabilem in effugandis morbis frequentia ſanitatum beneficia teſtantur.

Marmorea arca incluſum ſacrum corpus Divi Nichetæ ex Gothorum gente celeberrimi Martyris in hac Eccleſia ad ejus Altare requieſcit, cujus translationis acta, vel ex inopia Scriptorum oblivioni tradita, vel anno peſtiferæ luis MDLXXVI. una cum reliquo Eccleſiæ Archivo ſacraque ejus ſupellectili publicæ ſanitatis intuitu flammis, dedita opera, fuerunt abſumpta.

Martyris clariſſimi paſſionem plures tum ex Græcis, tum ex Latinis Scriptoribus litteris demandarunt; Ex his Petrus Galeſinus in ſuo Martyrologio ad diem decimam quintam Septembris vitam ejus quodammodo in compendium redactam ſic affert: "In Græcia S. Nicetæ M. Hic Gothus nobilitate, „& divitiis florens Imperatore Conſtantino Magno, fidei præ„ceptis a Theophilo religioſiſſimo Epiſcopo imbuitur; cum enim „in duas factiones tota Gothorum gens abiiſſet, atque utraque „ſuum ſibi Principem ſeorſum creaſſet, confugit alter Princi„pum ad Romanorum Imperatorem: qui ſuſcepto bello cum „Gothos in poteſtatem redegiſſet, ex eo tempore Chriſti fides „in Gothia Provincia propagata eſt: quam Nicetas Gothorum „primus religioſe complexus eſt. Inde autem cum Imperator „rediiſſet; Gothi ii ſcilicet, qui a Chriſti religione averſi erant, „furore incenſi excitato contra Chriſtianos perſecutionis incen„dio, alios quidem aliter excruciaverunt, Nicetam vero inau„ditis affectum ſuppliciis denique in flammam conjecerunt.

„In annot. Ex tabulis Eccl. Conſtantinopolitanæ. Simon Lo„gotheta, rem totam de martyre enucleate perſcripſit, & Su„rius Volumine 5. Vit. S.S. Petrus vero Æquilinus Martyrium „ejus luculenter magis proſequitur in Cathalogo lib. v. cap. 40. „hæc addens, poſt temporis decurſum Corpus ejus Venetias trans„latum quieſcere dicitur in Eccleſia S. Nicolai.

Ad ejusdem Martyris Aram decentibus loculis aſſervantur plurimæ Sanctorum Reliquiæ, quas remotiori ævo Eccleſiæ donatas fuiſſe ſchedulæ antiquiſſimis minusque notis characteribus exaratæ, Divorum nomina, ad quos ipſæ Reliquiæ pertinent exhibentes, aperte demonſtrant.

Conſecrationis memoria de qua nullum extat monumentum diei ſecundæ Maii aſſignatur.

Series

Series Plebanorum Sanƈti Nicolai.

1043 Bartholomæus Bono. Ex Icone cum ſubſcriptione in domo Plebani.
1204 Nicolaus Tinto Canon. S. Sophiæ Conſtantinopolis Not. & unus ex deputatis ad eligendum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Ex Andrea Mauroceno Hiſt. lib. III.
1315 Andreas Mudatio. Ex rog. Thomæ Presb. S. Thomæ, & Not.
1323 Petrus Rubeus Not. Ex presb. S. Caſſiani] Pleb. S. Nicolai. Ex rog. ejusdem.
1329 Nicolaus Anayo. Ex rog. Stephani Berengho presb. S. Nicolai.
1337 Dominicus Gaffaro, Pleb. primum S. Baſſi, deinde Sanƈti Nicolai; a Clemente VI. eleƈtus Epiſcopus Civitatis Novæ in æſtuariis Venetis anno 1347. Ejus memoria in Veneto Patriarchali Archivo usque ad an. 1365.
1350 Antonius Franciſcus a Ferro, In cod. rogit. Anonymi.
1352 Leonardus Corvo ex rog. Marini Pleb. S. Gervaſi.
1361 Thomas Bon ex rog. Viƈtoris Ferro pleb. S. Baſilii.
1390 Andreas Mudatio. hujus nominis ſecundus ex Arch. S. Joannis de Judaica.
1399 Jannes Campiſano Not. ex rog. ejusdem.
1407 Joannes Burgo Not. Infirmus confecit teſtamentum in quo inſtituit Commiſſarios Federicum Burgo, & Franceſchinam ipſius Genitores.
1412 Bartholameus Bono Not. Ex rog. Ejusdem.
1417 Philippus Not. Ex rog. ejusdem.
1418 Joannes Burgi Not. Ex rog. ejusdem.
1424 Joannes Belgranello. Ex rog. Franciſci Gritti Plebani S. Pantaleonis.
1437 Joannes Bolzi Not. Ex arch. S. Mariæ Servorum.
1445 Jacobus de Auguſtino. Ex rog. Nicolai de Rubeis Pleb. S. Leonardi.
1464 Jacobus de Franciſcis. Ex rog. Franciſci Bono.
1495 Simeon Roveda Not. prius titulatus Eccl. S. Gervaſii inde Pleb. S. Nicolai, & Archipresb. Congreg. S. Lucæ, ex

ex ejus teſtamento rogato per Ludovicum de Zambertis Notarium.
1498 Joannes de Maxeriis. Ex rog. Stephani Triviſino presb. S. Jeremiæ.
1515 Leonardus de Peregrinis Not. Ex rog. ejusdem.
1530 Marcus electus Pleb.
Petrus a Zero.
Gaſpar a Doctis. Ob. anno 1531.
1731 Bartholameus Balbi. Ob. 1546.
1546 Simonetus Capellanus Collegii S. Rochi, ob. 1551.
1551 Joannes Maria Pinardi, ob. 1573.
1573 Salamon Lando Canon: Caſtell. & Archipresb. Congreg. S. Mariæ Matris Domini, ob. 1611.
1611 Bartholameus Rampelli, 1622. 11. Junii.
1622 Joſeph Spinazzi ſecundus Eccl. presb. ætatis ſuæ annor. 33. Ob. ſecundo ab ejus electione menſe eodem anno 1622. 24. Auguſti.
1622 Joannes Rizzo primus Eccl. presb. ætat. ſuæ annor. 32. migravit e vita paucis diebus poſt ejus electionem eodem anno 1622. 5. Octobris.
1622 Joannes Conſtantino ætat. ſuæ annor. 29. Plebanatum tenuit quinque menſ. Ob. 1623. 2. Martii.
1623 Joannes Araneo. Ob. 1648. 31. Octobris ex morſu rabidi Canis.
1648 Nicolaus Ferro, Ob. 1680. 8 Apr.
1680 Sebaſtianus Piteri. Ob. 1705.
1705 Franciſcus Fumato Canon. Caſtell. Ob. 1720. 15. Jun.
1720 Franciſcus Zancarolus. Ob. 1734. M. V. 8. Februarii.
1734 M. V. Aloyſius Ferro.

DE

DE
MONASTERIO
SANCTÆ MARIÆ
MAJORIS.

ANtiquum habuiſſe apud Eccleſiam S. Agnetis incolatum religioſas fœminas, quæ recepto communiter titulo *Recluſæ*, Veneto autem vocabulo *Romite* aliquando, aliquando vero Pizzochere nuncupabantur, ſatis ſuperque conſtat. Loci hujus meminit (ut ſuperius dictum eſt ad ipſam S. Agnetis Eccleſiam) Sabellicus in libro ſæpecitato *De ſitu Urbis*, ubi vetuſtæ Agnetis ædi perexiguum Virginium accubaſſe teſtatur. In eo itaque anguſtiſſimo loco ſancte viventes, adeo vitæ auſteritate, & morum ſanctimonia vicinorum ſibi demeruerunt amorem, ut a Plebano, & Parochialibus ipſius Eccleſiæ aliquando ſtatutum ſit, ut ad ampliandum Divini cultus honorem *ipſis venerabilibus Monialibus* concederetur Eccleſia ſupradicta Parochialis S. Agnetis, *ut ibi juxta eam conſtruere poſſent Monaſterium obſervantiæ*. Anno itaque MCCCCLXXXIII. Dominicus Mauroceno,

qui tunc temporis *Sapientis Conſilii* officio fungebatur, nomine ipſarum Sanctimonialium, publicam authoritatem exoravit, ut accedente ad hoc Plebani, & Parochianorum aſſenſu, facultatem Monaſterii ædificandi impertiri dignaretur. Piis votis annuere faciles Conſiliarii, latoque ad diem xxx. Decembris ejusdem anni decreto ſanxerunt; *quod aſſentientibus & contentantibus præfactis Plebano, & Parochialibus pro augmento Divini cultus prædictæ Sanctimoniales haberent Eccleſiam ipſam*.

1483. 30. Decembris.

„Adiens preſentiam noſtri Dominii Nobilis vir ſ. Dominicus Mauroceno Sapiens Conſilii nomine Sororis Paulæ, & Sororis Euſtachiæ filiarum quondam Petri Zentani, & Sororis Ludovicæ filiæ Aloyſii Usnago, & aliarum Sanctimonialium petiit, & requiſivit dignetur ipſis venerabilibus monialibus concedere Eccleſiam Parochialem Sanctæ Agnetis, hujus noſtræ Civitatis, ita ut ibi juſta eam conſtruere poſſint Monaſterium obſervantiæ, ſic aſſentientibus Plebano ipſius Eccleſiæ, & Parochialibus; Qui, ut idem nobilis aſſerit, rem hujusmodi exoptant. Qua re intellecta infraſcripti D. D. Conſiliarii dixerunt, & declaraverunt etiam contentos, & eis admodum gratum; Quod ſi eſt, quod aſſentientibus, & contentantibus præfactis Plebano, & Parochialibus pro augmento Divini cultus prædictæ Sanctimoniales habeant Eccleſiam ipſam cum omnibus modis, & juribus ſuis, ſicut idem Plebanus nunc tenet.

Consiliarii.

Marcus Pexaro	Nicolaus Leonus
Marinus Garzoni	Thomas Lippomano.

Res tamen licet Principis authoritate confirmata in irritum ceſſit, eoque in loco veluti Eremi cellulis arctatæ degerunt recluſæ fœminæ, donec Divina miſeratione ſic diſponente una ex ipſarum numero Catharina nomine, ſæculo XV. ad finem vergente cœleſti afflatu excitata novi Monaſterii, ſub Seraphico

cò S. Franciſci inſtituto, in extremo urbis angulo exordia diſpoſuit, quod deinde, & ædificiorum mole, & Monialium numero auctum, S. Mariæ Majoris titulo decoratum fuit. Fundationem hanc prodigia cœlitus oſtenſa non ſemel pridem demonſtraſſe, traditum eſt, ſiquidem, ut ex Monaſterii antiqua ſcriptura patet, quæ ad Eccleſiæ parietes appenſa legitur; anno Domini MCCCCXXXIII. vir quidam Petrus nomine in eo tunc ſolitario loco Eremiticam vitam agens Matronam quamdam non pulchritudine magis, quam majeſtate præſtantem aſpexit, quæ puerulum ulnis amplexans ejus loci planitiem, in qua Monaſterium modo aſſurgit, tamquam ædes diſpoſitura metiebatur, hæc autem eodem prorſus modo ſe quoque vidiſſe teſtati ſunt nonnulli piſcatores, qui in aquis loco proximis piſces captabant. Nec Cœlitum apparitiones tantummodo, ſed & Sanctorum virorum vaticinia Aſceterii fundationem ſignificarunt, ex antiqua enim conſtantique traditione acceptum eſt, Beatum Bernardinum a Feltria Seraphici Ordinis alumnum, dum Venetiis Dei verbum diſſeminaret, non obſcure hujuſce Parthenonis proximam ædificationem prænuntiaſſe. Hæc itaque cum Catherinæ in Eremitorio S. Agnetis degenti innotuiſſent, ſe ſe interius ſenſit excitatam, ut in cœlitus præmonſtrato loco Monaſterium erigeret, in quo eximiæ pietatis Virgines receptæ Deo ſub ſeveriori S. Franciſci regula famularentur.

Hoc ut facilius exequeretur, Auguſtino Barbadico Venetiarum Principi ſupplices libellos porrexit, quibus ſibi locum ipſum non longe a Divi Andreæ Cœnobio poſitum impertiri, pro Monaſterio fundando humiliter poſtulavit. Voti compos facta, cum ad ſanctum propoſitum adimplendum, nonnullas ſibi præſtantis virtutis ſocias adlegiſſet, anno MIIID. ibidem cellulas aliquas ligneas, anguſtumque Oratorium ſub Sancti Vincentii titulo ædificari curavit. Verum cum ſacram loci ædem Virgini Genitrici dedicandam Dominus decreviſſet, hoc ut exequeretur, mirabili prorſus ratione effecit. Vir quidam Auguſtinus nomine antiquam Deiparæ imaginem Græco opere depictam apud ſe, non ea tamen, qua decens, & æquum erat, veneratione poſſidebat, neglectam etenim, omnique cultu carentem in ſuperioris ædis parte tecto contermina deſeruerat. Ab ea igitur imagine ſeſe aliquando Auguſtinus de negligentia ſua increpari audiit, his verbis: Auguſtine jam nolo hic

commorari, ibi autem deferri volo, ubi debito colar honore; quod cum ſecundo, & tertio mirabiliter ſibi indictum intellexiſſet, ſolemni ſupplicatione prodigioſam imaginem, ad proximum Eremitarum Oratorium deferri mandavit. Ex delata Deiparæ imagine Oratorium, quod Divi Vincentii appellabatur, mutato titulo in novum Sanctæ Mariæ dedicatum fuit, atque non multo poſt auguſtum Templum, quod, veteri Oratorio everſo, a fundamentis extrui ære ſuo curavit Aloyſius Maripetro, ad inſtar celebris Baſilicæ Liberianæ, ob novitatem prodigii S. Mariæ Majoris nomenclaturam accepit. Benemeriti Fundatoris ſepulcrum in Sacello Divi Franciſci viſitur, cui inciſum eſt hoc elogium:

„ Aloyſio Maripetro, qui Templum hoc Divæ Mariæ Ma-
„ jori dicatum ære ſuo a fundamentis extruendum curavit.
„ H. M. H. N. præter uxor. MDXXXVII.

Illuſtris Aſceterii fundationem refert quoque Wadingus Tom. x. Annal. pag. 280. non tamen omnes rei circumſtantias ex veritate diſpoſuit, ſiquidem *Catharinam Anachoretam cum altera ejusdem vitæ ſocia* Venetias perveniſſe aſſerit anno MCCCCXXVI. atque ibidem *humilem Eccleſiunculam Divo Vincentio ſacram & tuguriolum* ligneum conſtruxiſſe; Cum autem ex antiquis authenticis Monaſterii documentis conſtet Catherinam apud S. Agnetis Eccleſiam Eremitice viventem Auguſtino Barbadico Principi, qui Marco ipſius Fratri in Ducali dignitate ſucceſſerat, anno MCCCCLXXXV. ſupplices libellos pro extruendo Monaſterio porrexiſſe, profecto in iis, quæ notavimus, corrigenda eſt laudatiſſimi Hiſtorici enarratio.

Locus in quo recluſæ Mulieres Domino famulabantur, Monaſterii formam ſuſcepit, anno MDIII. eo enim anno die XXVI. Auguſti Hieronymus Triviſanus, Sancti Thomæ Burgundionum de Torcello Abbas ex commiſſione ſibi, die Prima Junii ejusdem anni, per Apoſtolicas Alexandri VI. Epiſtolas pridem facta, domum, & Virgines in Monaſterium, & Sanctimoniales Ordinis Sanctæ Claræ ſolemniter erexit, & inſtituit. (A).

Ampliſſimi Templi primordia connotantur marmorea epigraphe, quæ Sacelli Principis columnæ ad perenne monumentum inciſa legitur.

Principium hujus Templi fuit anno MCCCCXCVII.

Tem-

Tempus vero quo conſecrationis munus accepit, incompertum eſt: ex immemorabili conſuetudine anniverſarium Dedicationis, die XXII. Februarii celebratur.

Copioſis inſtruitur Templum hoc illuſtrium virorum picturis; etenim præterquamquod Deiparam Virginem ad Cœlum aſſumptam, cujus titulo inſignitur Eccleſia, Paulus Calliarius Veronenſis, in majoris aræ tabula expreſſit; Titianus etiam, Jacobus Palma, Tinctoretus, Joannes Bellinus, aliique multi præclariſſimi Pictores, certatim ad ipſius ornatum labores ſuos contulerunt, quos inter præclariſſima eſt tabula Baſſani ſenioris manu depicta, univerſa ferme tum e terra, tum ex aere animalium genera exhibens ad celebrem Noe arcam congregata, opus ſane celeberrimum, atque admirandum.

Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Majoris.

1497 Catherina loci fundatrix.
1509 7. Octobr. Maria Eufraſia Fazo.
1512 12. Octobr. Maria Lucia.
1518 14. Octob. Maria Gabriela.
1521 15. Octob. Maria Felix.
1527 20. Octob. Maria Pacifica. Iterum 1536. 30. Octob.
1530 20. Octob. Maria Contarena confirmata 1533.
1542 10. Nov. Maria Michaela.
1545 18. Nov. Maria Electa.
1551 22. Nov. Maria Angela. Iterum 1560. 30. Nov.
1557 26. Nov. Maria Illuminata.
1566 4. Dec. Maria Celeſtina. Iterum 1575. 12. Nov.
1569 8. Dec. Maria Clementia.
1581 16. Dec. Maria Juſtina.
1587 20. Dec. Maria Agnes. Iterum 1612. 8. Febr.
1590 22. Dec. Maria Urſula.
1593 24. Dec. Maria Virginia. Iterum 1618. 27. Febr.
1599 26. Dec. Maria Bernardina. Iterum 1624. 27. Februarii 1633. 27. Febr.
1603 30. Dec. Maria Lætitia. Iterum 1609. 12. Jan.
1606 10. Jan. Maria Claudia.

1615

1615 27. Febr. Maria Gabriela.
1621 27. Febr. Maria Cecilia, Iterum 1627. 27. Febr.
1636 27. Febr. Maria Catherina. Confirmatur 1639.
1642 1. Martii Maria Angelica. Confirmatur 1645. Iterum 1653.
1647 1. Mar. Maria Seraphina.
1650 1. Mar. Maria Concordia. Iterum 1656.
1659 1. Mar. Maria Valeria.
1662 1. Mar. Maria Adamas (Diamante).
1665 1. Mar. Maria Illuminata.
1668 1. Mar. Maria Urſula.
1671 1. Mar. Maria Joanna Moreſchi. Iterum 1679. 1. Julii.
1674 1. Mar. Maria Veronica Berti, obiit in munere.
1676 1. Julii Maria Laura de Gaſparinis.
1682 14. Julii Maria Juſtina de Paulis. Iterum 1688. 14. Julii, obiit in munere.
1685 14. Julii Maria Baptiſtina Beltrame. Iterum 1692. 11. Novemb.
1689 Maria Brigida Campelli.
1695 11. Nov. Maria Franciſca Zerbina.
1698 12. Nov. Maria Excelſa Roncali. Iterum 1707. 7. Decembris.
1701 14. Nov. Maria Andriana Bardella.
1704 19. Nov. Maria Magdalena Baduaria.
1714 24. Apr. Maria Auguſtina Paſquinelli, quae deinde Baſſanum petiit, ut ibi Monaſterium Ordin. S. Claræ inſtitueret.
1717 26. Apr. Maria Victoria Berni.
1720 28. Apr. Maria Aurora Piazzola.
1723 5. Maii Alba Maria Dente.
1726 18. Maii Maria Joſepha Cavalieri.
1729 18. Maii Maria Candida Piazzola.
1732 30. Maii Maria Violante Boneri, confirmata pluries in munere usque ad annum 1745. in quo migravit ad Dominum.
1745 25. Januar. Maria Hyacintha Aſtori.
1748 25. Jan. Eliſabeth Maria Manfrotto.

Hie-

Hieronymus Triviſanus Abbas Sancti Thomæ de Torcello Commiſſarius Apoſtolicus ex mandato Alexandri VI. domum Sanctæ Mariæ Majoris in Monaſterium Ordinis Sanctæ Claræ erigit, & inſtituit.

1503. 30. Maii Litteræ Apoſtolicæ datæ.

1503. 26. Auguſti Exequtioni mandatæ.

Ex Autographo in Monaſterio S. Mariæ Majoris.

REverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino D. . . . miſeratione Divina Patriarche Venetiarum ejusque in ſpiritualibus & temporalibus Vicario & officiali Generali, ac Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Generali Ciſmotano & Provinciali provincie Sancti Antonii Ordinis Minorum Regularis obſervantie, ac univerſis & ſingulis aliis, ad quos preſens infraſcriptum tangit negotium, ſive tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus cenſeantur & quacumque preſulgeant dignitate. Hieronymus Triviſano Abbas Monaſterii Sancti Thome Burgundionum de Torcello Commiſſarius & exequtor unicus ad infraſcripta ab Apoſtolica Sede ſpecialiter deputatus. Dudum bo: me. Domino Alexandro Papa Sexto in humanis adhuc tunc agente litteras ejusdem Domini Alexandri Pape Sexti ejus vera bulla plumbea ad cordulam canapis more Romane Curie impendenti bullatas, ſanas quidem & integras, non viciatas, non maculatas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis coram teſtibus pluribus fidedignis & idoneis per Ven. Dominum Presb. Robertum de Raynuciis Capellanum & Confeſſorem Religioſarum mulierum Monialium Sancte Juſtine Venetiarum nomine Illuſtriſſimi atque Sereniſſimi D. Leonardi Lauredano Venetiarum Ducis incliti, & Venerabilium atque Religioſarum Dominarum Monialium loci ſub vocabulo Beate Marie Majoris Venetiarum principalium in eisdem litteris Apoſtolicis principaliter nominatarum exhibitas & preſentatas, nunc autem rurſus & de novo exhibitas & repreſentatas coram notario & teſtibus infraſcriptis recepiſſe noveritis tenoris infraſcripti, ac illas acceptaviſſe, & terminum ad ulteriorem exequtionem faciendum uſque ad adventum veſtri Domini Vicarii Generalis prefixiſſe ſciatis, quarum tenor talis eſt. Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Abbati Monaſterii Sancti Thomæ Burgundionum Torcellane Dioceſis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Debitum Paſtoralis officii nobis ex alto commiſſi requirit, ac nos ad id prompcos excitat, ut ea vota, quibus prudentes virgines religionis habitu aſſumpto uni ſponſo Jeſu Chriſto voto celebri virginitatem ſuam preſtent, ac accenſis lampadibus eidem ſponſo, qui ſpecioſus eſt pre filiis hominum, obviam ire poſſint, ac inde flores honoris & honeſtatis fructus & regularis diſcipline propagatio proveniant, ad exauditionis gratiam admittamus, ac plenis favoribus proſequamur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis Viri Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum petitio continebat. Quod cum jamdudum due Moniales omnipotenti Deo in ejus beneplacitis inſervire, ac vitam heremiticam ducere cuperent, certum territorium ſive locum in confinibus Eccleſie Sancte Crucis Venetiarum, a tunc Duce Vene-

Venetiarum pro uno Monaſterio erigendo ſibi concedi obtinuerunt, &, ut creditur, Sancto Spiritu inducte certam domum in forma Monaſterii ſub invocatione Sancte Marie Majoris Ordinis S. Clare conſtrui & edificari facere inceperunt, & ſuccedente tempore quamplures alias mulieres ſeu Moniales in eadem domo ſic erecta, in qua propter merita ejusdem Beate Marie Virginis quamplurima miracula operatur Altiſſimus, introduxerunt, cultusque divinus in eadem adeo crevit, quod ſi in eadem domo ſic erecta unum Monaſterium Monialium ordinis predicti S. Clare ſub dicta invocatione erigeretur, profecto divinus cultus ac religio in dicta civitate non parvum ſuſciperet incrementum; quare pro parte tam dicti Leonardi Ducis, quam dilectarum in Chriſto filiarum Mulierum, que in dicto Monaſterio habitant, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta domo unum Monaſterium Monialium hujus ordinis Sancte Clare ſub dicta invocatione ejusdem Sancte Marie Majoris, que inibi in communi ſub regulari obſervantia, & ſecundum primam regulam ejusdem ordinis Altiſſimo famulentur, & ſibi ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium dicti ordinis regularis obſervantie Abbatiſſam eligant, & bona Mobilia & immobilia in communi habeant cum Eccleſia campanili, campana, cimiterio, refectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis, & aliis officinis neceſſariis erigere & inſtituere, ac eisdem Abbatiſſe & Monialibus in ipſo Monaſterio alias mulieres & ſorores etiam cujusvis alterius ordinis, quas ad hoc voluntarias invenerint, de licentia tamen illarum ſuperiorum recipiendi, licentiam concedere, ac alias in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideramus affectibus, Leonardum Ducem & mulieres predictas, & quemlibet eorum à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & penis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in dicta domo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis S. Clare, que inibi in communi & regulari obſervantia ac ſecundum primevam ejusdem ordinis regulam, ac ſub cura & regimine & protectione Generalis Ciſmontani & Provincialis Provinciæ Sancti *Antonii* Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ ſecundum morem dicti Ordinis Minorum vicinorum pro tempore exiſtentium, qui omnimodam poteſtatem & jurisdictionem, quam in aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis Sancte Clare ejusdem Provinciæ, etiam juxta tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Pii Secundi, & Pauli etiam ſecundi, ac Sixti Quarti Romanorum Pontificum predeceſſorum noſtrorum, ac alias de conſuetudine habent, habeant & exerceant, ac Domino famulentur, & ſibi ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium ejusdem Ordinis regularis obſervantie erigere ac bona mobilia & immobilia *in communi* habere poſſint, & Abbatiſſam ſibi eligant ſub Invocatione Sancte Marie Majoris cum Eccleſia & campanili, campana, Cimiterio, refectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis, & aliis officinis neceſſariis abſque alicujus prejudicio erigere & inſtituere, dictisque mulieribus in eadem domo nunc exiſtentibus in eodem Monaſterio, quoad vixerint, remanendi, ac Abbatiſſe & Monialibus dicti Monaſterii cum erectum fuerit in illo alias mulieres & Sorores etiam cujusvis alterius ordinis ad illud tranſire volentes, de licentia tamen Superiorum ſuorum recipiendi, licentiam & facultatem concedere auctoritate noſtra procures. Nos enim ſi vigore preſentium Monaſterium predictum erigi contingat, ut prefertur, eisdem Monaſte-

naſterio & Abbatiſſe ac Monialibus in eo pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, immunitatibus, indulgentiis, & libertatibus aliis Monaſteriis dicti ordinis regularis obſervantie, & illorum Abbatiſſe & Monialibus in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri, & gaudere, ac Capellanum & Procuratores ad nutum ſuum quandocumque amovibiles, & alias juxta privilegium per recolende memorie Nicolaum Papam V. etiam predeceſſorem noſtrum Monaſteriis dicti Ordinis S. Clare conceſſum eligere & habere, ac etiam eleemoſinas in dicto eorum Monaſterio pro tempore erogatas & factas, & alia earum bona & redditus ſuos recipere & premiſſa retinere, & cuſtodire absque eo quod Procuratores predicti ſe in eisdem preter earum conſenſum intromittant libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium de ſpeciali gratia indulgemus, jure Parochialis Eccleſie, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac dicti Ordinis Sancte Clare juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice milleſimo quingenteſimo tertio Kal. Junii Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

F. de Gonnel. Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum preſentationem, receptionem, & acceptationem nobis & per nos, ut premittitur, factas fuimus tunc per eumdem D. Robertum nominibus premiſſis debita cum inſtantia requiſiti, prout nunc etiam requirimur, quatenus ad earumdem litterarum Apoſtolicarum debitam exequutionem procedere dignaremur juxta traditam per eas ab eadem Sede Apoſtolica nobis formam. Nos vero Abbas Commiſſarius & executor prefatus attendentes requiſitionem hujusmodi juſtam & debitam, ac tamquam filius obedientie & mandatorum Apoſtolicorum obtemperator volentes mandata Apoſtolica predicta nobis in hac parte injuncta reverenter exequi, ut tenemur, ad informandum motum animi noſtri ſuper narratis in predictis litteris Apoſtolicis, atque nobis per illas ab eadem Sede commiſſis ad locum prenominatum, ubi Monaſterium prædictum erigendum & erigi mandamur, in confinio Sancte Crucis Venetiarum ſitum perſonaliter accedentes, & locum hujusmodi propriis oculis ſupponentes, ac numerum mulierum in habitu Monialium regularis obſervantie S. Clare predicte in eo degentium & recluſarum cernentes, cum certior aure arbiter ſit oculus, alias vidimus, inquiſivimus, & examinavimus, que pro veritate rei hujusmodi indaganda neceſſaria fuere: Et quia vigore dicte primeve litterarum predictarum preſentationis, acceptationis, & requiſitionis illarum vigore tunc factis, & per informationem, indagationem, & diligentem atque legitimam facti examinationem, ut premittitur, ſuperinde habitam & factam comperuimus ac comperimus omnia & ſingula in preinſertis litteris Apoſtolicis expreſſa & aſſerta narrata & expoſita veritate fulciri; Idcirco Apoſtolica auctoritate premiſſa nobis commiſſa, & qua fungimur in domo ſive loco memorato Monaſterium unum Monialium dicti Ordinis S. Clare, que inibi in communi & regulari obſervantia ac ſecundum primevam ejusdem Ordinis regulam, & ſub cura & regimine & protectione Generalis Ciſmontani & Provincialis Provincie Sancti Antonii Ordinis Minorum regularis obſervantie ſecundum morem dicti Ordinis Minorum vicinorum pro tempore exiſtentium, qui omnimodam poteſtatem & juriſdictionem, quam in aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Clare ejusdem provincie, etiam juxta tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Pii II. & Pauli etiam II. ac Sixti IV. Romanorum Pontificum ejusdem Domini Alexandri Pape predeceſſoris, ac alias de conſuetudine habent, habeant & exerceant, ac Domino ſa-

-no famulentur, & ſibi ad inſtar aliorum Monaſteriorum Monialium ejusdem Ordinis regularis obſervantie eligere, & bona mobilia & immobilia in communi habere poſſint, & quod Abbatiſſam ſibi eligere ſub invocatione Sancte Marie Majoris cum Eccleſia campanili, humili campana, cimiterio, reffectorio, dormitorio, ortis, ortaliciis, & aliis officinis neceſſariis abſque tamen alicujus prejuditio erexiraus & inſtituimus, prout erigimus & inſtituimus preſentium per tenorem, dictisque mulieribus in eadem domo tunc & nunc exiſtentibus in eodem, ſic erecto & inſtituto, Monaſterio, quoad vixerint, remanendi. Ac Abbatiſſe & Monialibus dicti Monaſterii ſic erecti pro tempore exiſtentibus in illo alias mulieres & Sorores etiam cujusvis alterius Ordinis ad illud tranſire volentes, de licentia tamen ſuperiorum ſuorum, recipiendi licentiam & facultatem eadem Apoſtolica auctoritate elargiti fuimus atque conceſſimus, prout elargimur & concedimus etiam per preſentes auctoritate prefata: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis S. Clare juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, prout prefatus Dominus Alexander Papa in dictis ſuis litteris non obſtare voluit. Que quidem omnia & ſingula ſuprascripta, huncque noſtrum proceſſum preſentem ac litteras Apoſtolicas, & omnia & ſingula in eis contenta, vobis omnibus & ſingulis ſuprascriptis communiter & diviſim invitamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per preſentes. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium premiſſorum preſentes litteras, ſive preſens publicum inſtrumentum, proceſſum noſtrum hujusmodi in ſe continentes ſive continens, exinde fieri & per notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli majoris juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Venetiis in domo ſive loco memorato. Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo tertio indictione Sexta die vero vigeſimo ſexto Menſis Augusti. Preſentibus Venerabilibus Dominis Presbyteris Antonio de Rodulfis Canonico Ravennat. decretorum doctore, & Vincentio de Lanzago de Brixia Capellanis ſ. Nicolao de Ferariis de Cremona Architriclino, Joanne de Parma, & Jacobo de Mediolano omnibus familiaribus noſtris, teſtibus rogatis &c.

Ego Paſinus de Gravarolis q. Domini Petri Venetiarum Civis ſacris Apoſtolica Imperiali auctoritatibus, atque Veneta Notarius, quia dictarum Apoſtolicarum nove preſentationi, requiſitioni, examinationi, Monaſterii erectioni, aliisve premiſſis, dum, ſic ut prefertur, agerentur & fierent, coram prenominato Rev. Domino executore & commiſſario, & per eum una cum ſuprascriptis teſtibus preſens fui, & ea fieri vidi & audivi, & in notam ſumpſi: & exinde hoc preſens publicum documentum aliena manu in hanc formam redactum confeci, & quia ſuprascripta cum ſuo originali concordare inveni, ideo in fidem premiſſorum me ſubſcripſi, ſignumque meum una cum ſigillo majori ejusdem Rever. Domini Commiſſarii impendenti appoſui, & me ſubſcripſi debite requiſitus & rogatus de mandato &c.

D E

ECCLESIA PAROCHIALI SANCTI BARNABÆ APOSTOLI.

IIsdem ferme tempporibus, quibus relicto Methamauco Veneti in Rivumaltum Ducalem ſedem tranſtulerunt, a Patritia Familia Adami Divi Barnabæ Apoſtolo Templum erectum fuit, quod in Parochialem Eccleſiam primum, poſtea in Collegiatam etiam evaſit. Hæc ex ms. Chronico addiſcimus, quo Venetæ Familiæ Patritii Ordinis illuſtrantur; Archivum enim Capitulare quibuſcumque caret monumentis, forſitan ex incendio, quod anno MCVI. (ut refert Dandulus in Chron. l. 10. cap. 12.) cum pluribus aliis Eccleſiam S. Barnabæ, ejusque Parœciam miſerando caſu conſumpſit. De ea Sabellicus in Libro de ſitu Urbis Venetæ ait: *Templum facie pene carioſa patenti area*. Ad januam majorem patebat olim veſtibulum, juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam ad uſum eorum deſtinatum, qui in graviora crimina prolapſi publico exemplo injunctas ſibi pœnitentias agebant. Affixa in

ejus veſtibuli pariete viſebatur olim marmorea epigraphe, quæ Venetam Urbem peſtifera lue, anno MDLXXVII. liberatam referebat.

Peſtis ut extinxit Mortales Dira Biennio
Divina, humana ex Urbe receſſit, ope
Nuntius ut primumque remiſit brachia cedens
Civibus affluxit nempe ſuperna ſalus
Annis D. Menſis Poſt M. Salutis
Aug. VII. LXX. ſuper.

Conſecratam fuiſſe Eccleſiam anno MCCCL. a duobus Epiſcopis Marino, Ordinis Minorum Epiſcopo Mocienſi, & Agnelino Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Sudenſi; addiſcimus ex inſcriptione lapidea; quæ & indulgentiam exhibet ab iisdem Epiſcopis conceſſam omnibus, in Anniverſariæ Conſecrationis die, Eccleſiam ipſam viſitantibus.

,, Anno Domini MCCCL. die ſexto intrante Decembris Indictione Quarta, in Natalitio Sanctiſſimi Pontificis Nicolai de licentia Reverendiſs. in Chriſto Patris & Domini Dom. Nicolai Mauroceno Divina gratia Epiſcopi Caſtellani, Nos Fr. Marinus Ordinis Minorum Epiſcopus Mocienſis, & Fr. Agelinus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Subd. Supplicationibus juſtisque deſideriis diſcreti Viri Domini Donati Aldigeri Plebani Eccleſiæ S. Barnabæ, & Matthæi dicti Turco Procuratoris prædictæ Eccleſiæ humiliter inclinati, pium officium debite exequentes Eccleſiam prædictam ad honorem, & magnificentiam Sanctiſſimi Apoſtoli Barnabæ, invocata Spiritus Sancti gratia, dedicavimus. Volentesque fidelium votis incrementa ſalubria præbere omnibus vere pœnitentibus confeſſis, qui in Anniverſario Dedicationis ejusdem Eccleſiæ tribus diebus ante, & tribus poſt ipſam Eccleſiam devote pluries viſitaverint de injunctis ſibi pœnitentiis, pro qualibet vice XL. dies de Omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, necnon Apoſtolorum Petri & Pauli,

„ Pauli , ac Beatiſſimi Apoſtoli Barnabæ miſericordia plen...
„ confiſi duximus indulgendos.

Quamvis autem in ſuperius allata epigraphe legatur ex ſculptoris errore Agelinus Epiſcopus Subd. apponendus tamen erit, ut ex authenticis documentis conſtat, Agnelinus Epiſcopus Sudenſis, qui anno MCCCLXII. in Monaſterio Sanctorum Joannis & Pauli degens, Diplomata quædam Divi Petri Thomæ Epiſcopi tunc Coronenſis, poſtea Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſibi oblata *cum cognoviſſet, cum authenticis de verbo ad verbum concordare ſuam, & dicti ſui Epiſcopatus Sudenſis auctoritatem interpoſuit*; cui Decreto ſubſcripſerunt.

Ego Joannes filius q. D. Victoris &c. in præſentia dicti Domini Fratris Agnelini Epiſcopi ſupraſcripti &c.

Ego Leo q. ſ. Jacobi &c. in præſentia dicti Domini Fratris Agnelini Epiſcopi ſupradicti &c.

Ego Manfredus Magiſtri Drachini Notarii, publicus Imperiali auctoritate Notarius, Civis Tarviſinus &c. in præſentia dicti Dom. Fratris Epiſcopi Sudenſis.

De Epiſcopatu Sudenſi in Inſula Cretæ poſito, Italice la Suda, ſic in Indice Geographico præfixo Collectioni Conciliorum Labbei &c. Edit. Venet. col. 1104. Refertur enim, quemdam Antonium ſediſſe Epiſcopum Sudenſem in Synodo Baſileenſi Ann. MCCCCXXXVIII. (Tom. 18. ejuſdem Collectionis col. 853.) & Ferrarienſi (Ibidem col. 906.) Agunt etiam de Epiſcopatu Sudenſi Ferrarius in ſuo Lexico Geographico; Lequienius in ſuo Oriente Chriſtiano Tom. 3. col. 1379. ubi quatuor enumerat ritus Latini Epiſcopos Sudenſes, Agnelinum tamen prætermittit.

Chriſtum Dominum cum Apoſtolis diſcumbentem in tabula ad Eccleſiæ parietem affixa, Jacobus Palma depixit.

Cum ex vetuſtate Templum ruinæ eſſet proximum cœptum eſt, anno MDCCIL. in ampliorem ornatioremque formam marmorea facie, ex piorum eleemoſinis, a fundamentis renovari.

Ple-

Plebani Sancti Barnabæ.

1198 Joannes Datermaza. Ex cataſt. Eccl. S. Martini.
1239 Joannes. Ex Arch. Eccl.
1289 Simeon Maurus Pleb. S. Barnabæ, & Generalis Vicarius totius Capituli Caſtell. memoratur in inſtrumento pacis inter Venetos & Bononienſes. Nominatus ab Epiſcopo Caſtell. de mandato Honorii IV. Epiſc. Clodien. renuit accipere Epiſcopatum. Ughel. in Epiſc. Clodienſib. Factus deinde Primicerius S. Marci, & poſtremo Epiſcop. Caſtell. Vide Ughel. in *Epiſcopis* Caſtell.
1290 Barnabas. Ex Arch. Eccl.
1292 Michael Geſſo vel Greco. Ex Arch. Curiæ Mobilium, & ex Cataſt. Eccl.
1320 Petrus Rainerio. Ex rog. Marci Bucco Pleban. Sancti Leonardi.
1329 Joannes de Albaſiis. Ex rog. Nicolai Roſſo Presb. Sancti Simeonis.
1343 Joannes Rugerio Not. & Aulæ Ducis Venetiarum Cancell. Ex rog. ejuſdem.
1358 Donatus Aldiger. Ex rog. Marini Pleb. S. Gervaſii. Sub eo conſecratur Eccleſia.
1370 Petrus de Corroſatis. Ex rog. Jacobi Ciera Pleb. S. Jo. Chryſoſt. & ex rog. ejusd. Fuit enim Not. & Aulæ Ducis Venetiarum Cancell. Ex Presb. S. Silveſtri Pleb. S. Barnabæ.
1402 Bartholamæus Sulpo. Ex rog. Petri Zane Not.
1403 Bartholamæus de Girardo. Ex rog. Andreæ de Scaputiis Not.
1414 Nicolaus de Curſo Presb. S. Barnabæ deinde Pleb. S. Euphemiæ, deinde Pleb. S. Barnabæ, & poſtremo Primicerius S. Marci. Ad annum 1420. miſſus fuit, ut refert Marinus Sanutus, Forum Julium, ſeu in Civitatem Auſtriam, ut exinde deferret Venetias codicem Evangel. S. Marci. Vide Diar. Italic. Patris Bernardi de Montfaucon pag. *56*. & conſule Fr. Bernardi M. de Rubeis Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis cap. II.

1423

1423 Joannes de Lappis Not.

1435 Nicolaus de Curſo ſupradictus ex Primicerio iterum Pleb. S. Barnabæ, & Vicar. Generalis Graden. anno 1446. 28. Octob. Teſtatur in rog. Andreæ Davanzago.

1448 Joannes Polanco anno 1457 infirmatur, & teſt. facit in rog. Andreæ Davanzago.

1463 Dominicus de Gropis ſive de Fornariis, Decretor. Doctor, Not. & Aulæ Ducis Venetiar. Cancell. Vicar. Patr. Maphæi Contareno. Ob. 21. Junii 1508. ætat. ann. 96. Plebanatus vero 51.

1508 Nicolaus de Millo vixit in Plebanatu ann. 34. Ob. 12. Febr. 1542.

1542 Vincentius Tagiapiera. Ob. 31. Octob. 1544.

1544 Auguſtinus Niger Can. Caſtell. Ob. 1570.

1570 Leonardus de Leonardis ex Canon. & Sacriſta S. Marci, Pleb. S. Barnabæ. El. iterum Canon. S. Marci. Ob. 1572. 9. Febr.

1572 Aloyſius Ganateo. Ob. 1591.

1591 Antonius Bellardini. Ob. 1592.

1592 Jacobus Armati. Ob. 1599.

1599 Petrus Turre. Ob. 29. Octob. 1627.

1627 Franciſcus Beltrame. Ob. 14. Martii 1648.

1648 Franciſcus Ferro. Ob. 14. Auguſti 1672.

1672 Joannes Firmanus. Ob. 12. Nov. 1678.

1678 Julius Nutius. Ob. 16. Apr. 1712.

1712 Joſeph Daffin. Ob. 10. Nov. 1728.

1728 Joannes Maria ab Aſta. El. 14. Nov. Ob. 16. Apr. 1732.

1732 Gaſpar Gajetta. Ob. 28. Maii 1737.

1737 Thomas Campagnola. Elect. 3. Junii 1737. Obiit 12. Octob. 1748.

1748 Andreas Capellano. El. 15. Octobris 1748.

CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto.

VENEZIA.

Il Sereniſſimo Pietro Grimani Doge di Venezia.
Monſ. Ill. e Reverendiſs. Alviſe Foſcari Patriarca di Venezia.
N. H. Miſ. Almorò Barbaro Proc.
N. H. ſ. Alviſe Giuſtinian Lollin.
N. H. ſ. Alviſe Co: Manin.
N. H. ſ. Alviſe Sangiantoffetti fu de ſ. Benedetto.
N. H. ſ. Alviſe Mocenigo K. Proc.
N. H. ſ. Ambroſo Priuli.
N. H. ſ. Gian Andrea Gritti, fu de ſ. Triadan.
N. H. ſ. Andrea Corner fu de ſ. Marco.
N. H. ſ. Andrea Memo de ſ. Piero.
N. H. ſ. Andrea da Lezze terzo K.
N. H. ſ. Antonio Co: Savorgnano.
N. H. ſ. Z. Antonio Riva fu de ſ. Alviſe.
N. H. ſ. Antonio Mocenigo K.
N. H. ſ. Antonio Vanaxel.
Ill. Sig. Alviſe Caorſorta.
Il Molto Rev. P. D. Agoſtino Orzalli C. R. T.
Ill. Sig. Andrea Poletti.
Ill. Sig. Angelo Sabini.
Reverendiſs. Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silveſtro.
Reverendiſs. Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano di Santi Apoſtoli.
Sig. Angelo Paſinello.
Ill. Sig. Apoſtolo Zeno.
P. D. Anſelmo Coſtadoni M. Camald.
Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Medico Fiſico.
Reverendiſs. Sig. D. Antonio Buſi Canonico Patriarcale, e Pievano di S. Giuliano.
M. R. D. Antonio Speziale Curato in San Canziano.
Sig. Antonio Zanon.
N. H. ſ. Alviſe Bragadin.
Rev. Sig. D. Antonio Mioni.
Il Reverendiſs. Sig. D. Antonio Poſi, Pievano di S. Margherita, e Canonico Ducale.
N. H. ſ. Barbon Moroſini K. Proc.
Sig. Eredi Baglioni. *per quattro*.
N. H. ſ. Bernardo Nani fu de ſ. Antonio.
N. H. ſ. Bernardino Polani.
Reverendiſs. Sig. D. Bartolomeo Treviſan, Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di San Salvatore, e Pievano di SS. Ermagora, e Fortunato.
Il Sig. Bartolomeo Locatello.
Reverendiſs. Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di San Polo, Vicario di San Marco.
M. R. P. Bernardo Maria de Rubeis.
Il Sig. D. Bartolameo Novelli Arciprete della Congr. di S. Silveſtro Titolato in S. Angelo.
Il Reverendiſs. Sig. D. Bernardino Dottor de Re Pievano in S. Fantino.
N. H. ſ. Carlo Gradenigo.
Il Sig. Dottor Carlo Viſconti.
Reverendiſs. Sig. D. Clemente Petrobelli Pievano di S. Lio.
N. H. ſ. Domenico Gritti fu de ſ. Marc' Antonio.
Reverendiſs. Sig. D. Domenico Mazzoni Lettore dell' Inſtituta nell' Accademia de' Nobili.
Reverendiſs. D. Domenico Monelli Canonico di Caſtello.
N. H. ſ. Franceſco Piſani fu del Sereniſſimo.
N. H. ſ. Franceſco Abate Baglioni.
N. H. ſ. Franceſco Rota fu de ſ. Gregorio.
Ill. e Reverendiſs. Abate D. Franceſco Rota de' Monaci Caſſinenſi.
Ill. Sig. Co: Franceſco Fanſogna.
Ill. Sig. Franceſco Contarini.
Il Sig. D. Franceſco Granzotti.
Pad. D. Franceſco Vezelli Provinciale de' C. R. S.

Il

Il Sig. Franceſco Rigoni.
Reverendiſs. Sig. D. Franceſco Dottor Battion Pievano di S. Angelo.
N. H. ſ. Gerolamo Aſcanio Giuſtinian fu de miſ. Gerolamo Pr.
N. H. ſ. Gio: Antonio Crotta.
N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.
Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Conſole di Spagna e delle due Sicilie.
Ill. Sig. Abate Giacomo da Riva.
Il Sig. Dottor D. Giacomo Bagattini.
Reverendiſs. Sig. D. Giacomo Marchetti Canonico di S. Marco, e Pievano di S. Maria Mater Domini.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Toſelli Pievano di S. Samuele.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Orſini Pievano di S. Giminiano.
Reverendiſs. Sig. D. Giambattiſta Brunello Pievano di S. Tomà.
Il M. R. P. D. Giambatiſta Borini Provinciale della Congregazione del B. Pietro da Piſa.
Il M. R. Sig. D. Giambatiſta Cadorin.
Ill. Sig. Dottor Giambattiſta Caroldi.
Il Sig. D. Giambattiſta Granzotti di S. Vidal.
Sig. Dottor D. Giambattiſta Baroni.
Sig. Giambattiſta Recurti.
Il M. R. P. M. Giammaria Trocchi.
P. D. Gianagoſtino Gradenigo Monaco Caſſinenſe.
Reverendiſs. Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano di S. Canciano.
Revereudiſs. Padre Gianfranceſco Baldini Generale de' C. R. S.
Ill. Sig. Co: Gianrinaldo Carli Rubbi.
Ill. Sig. Dottor Giovanni Paini.
Reverendiſs. Sig. D. Gio: Antonio Corſi Pievano di S. Baſſo.
Reverendiſs. D. Giovanni Ipſi Abate Generale de' Camaldoleſi.
Sig. Giovanni Aſtolfi.
Ill. Sig. Giuſeppe Comincioli.
M. R. Sig. Dottor D. Giuſeppe Bettoni.
Sig. Dottor D. Giuſeppe Piacentini di S. Maria Zobenigo.
Reverendiſs. Sig. D. Giuſeppe Petrogalli Canonico di S. Marco, e Pievano di S. Maurizio.
Il M. R. Sig. D. Giuſeppe Rimondi.
Padre Maeſtro Giuſeppe Maria Berganti-ni Provinciale de' Servi di Maria.
P. Giuſeppe Zauli della Compagnia di Gesù.
Reverendiſs. Sig. D. Girolamo Calura Pievano in S. Salvator di Murano.
P. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù, per due.
Ill. Sig. Grazioſo Bertocco.
Reverendiſs. Sig. D. Gregorio Bianchi Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, e Pievano di S. Pantalon.
Il Sig. Giovanni Manfrè.
Il Sig. Giuſeppe Remondini.
Reverendiſs. Sig. D. Giovanni Centoni Pievano di S. Vitale, Canon. Ducale.
Ill. Sig. Dottor Gaetano Depontéz.
Il Reverendiſs. Sig. D. Gianjacopo Fachi Pievano di S. Luca, ed Arciprete della Congregazione di S. Maria Mater Domini.
Il Reverendiſs. Sig. Don Giambatiſta Spreafighi, Pievano di S. Geremia.
N. H. ſ. Ignazio Co: Barziza.
Il Reverendiſs. Padre Abate D. Iſidoro Manzoni de' Canonici Regolari di S. Salvatore.
S. E. il Sig. Leopoldo Conte Taſſis.
La Libreria della Caſa Profeſſa della Compagnia di Gesù di Venezia.
La Libreria de' PP. Camaldoleſi di S. Mattia di Murano.
La Libreria de' PP. della Certoſa di Venezia.
La Libreria de' PP. Reformati di Venezia.
La Libreria di S.S. Gio: e Paolo di Venezia.
La Libreria de' Monaci Bened. di Praglia.
Ill. Sig. Lorenzo Pezzana.
N. N. ſ. Marco Foſcarini K. e Pr.
N. H. ſ. Marco Co: Flangini.
N. H. ſ. Marco Molin.
N. H. ſ. Marin Contarini S. Marcilian.
Ill. Sig. Marc'Antonio Buſinello Segretario dell'Eccel. Senato.
Ill. Sig. Manfredo Piantoni.
Sig. Medoro Segatti.
Le RR. Monache della Croce della Giudecca.
Monſig. Marco Mainardi Vicario di Monſig. Patriarca di Venezia.

Il M. R. P. D. Nicolò Giuſtiniani Priore Caſſinenſe.
N. H. ſ. Pier Gerolamo Capello.
N. H. ſ. Pietro Querini fu de ſ. Marchiò.
N. H. ſ. Pietro Garzoni.
Reverendiſs. Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, Canonico Patriarcale, ed Arciprete della Congregazione di S. Polo.
Ill. Sig. Pietro Franceſchi.
Li Reverendiſs. Preſidenti al Collegio delle Nove Congregazioni.
N. H. ſ. Sebaſtian Piſani.
Ill. Sig. Santorio Santorio Segretario dell' Eccel. Senato.
Il M. R. Sig. D. Sebaſtiano Sandri.
Reverendiſs. Sig. D. Simon Giuſeppe Graſſetti, Arciprete della Congregazione di S. Luca, e Pievano di San Moisè.
Sig. Tommaſo Temanza Architetto ed Ingegnere della Sereniſs. Repubblica di Venezia.
N. H. ſ. Vicenzo Gradenigo ſecondo fu di miſ. Vicenzo Proc.
Sig. Vicenzo Tolazzi.
N. H. ſ. Zuanne Soranzo fu de miſ. Franceſco Proc.
N. H. ſ. Zuanne Magno.
N. H. ſ. Zuanne Falier.

ADRIA.

Monſignor Veſcovo Pellegrin Ferro.

ANVERSA.

Li RR. PP. Bollandiſti.

BAVIERA.

Il Sig. Giampaolo Gaſpari.

BOLOGNA.

Ill. Sig. Franceſco Argelati per due.
Il M. R. P. Giambatiſta Giovanelli de' Preti dell' Oratorio.
Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.

CHIERIGNAGO.

Reverendiſs. Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chierignago.

CHIOGGIA.

Ill. e Reverendiſs. Monſ. Gianalberto Grandi Veſcovo di Chioggia.

FIRENZE.

Ill. Sig. Prepoſto Gianfranceſco Gori.
Il Sig. Giuſeppe Rigaci.
Il Sig. Giuſeppe Bouchard.

GEMONA.

L' Ill. Sig. Arciprete Giuſeppe Bini.

LIONE.

Sign. Fratelli de Tournes per 4.

LIPSIA.

Il Sig. Giovanni Gledtiſch per ſei.

LONDRA.

Ill. Sig. Houbly.

LUCCA.

Il M. R. P. Giandomenico Manſi.

MILANO.

Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati per ſei.

NORIMBERGA.

Ill. Sig. Giovanni Baldaſſare Starch.

PADOVA.

Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Veſcovo di Padova.
La Libreria de' Monaci Caſinenſi di S. Giuſtina.

PA-

PARENZO.

Il Convento de' RR. PP. Domenicani Oſſervanti.

PISA.

Il M. R. P. Raimondo Adami P. P. nell' Univerſità di Piſa, e Provinciale de' Servi di Maria.

RAVENNA.

La Libreria di Claſſe.

ROMA.

Il Sig. Gregorio Roiſecco per due.

ROVIGO.

Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

SIENA.

Il Reverendiſs. P. M. Fanzelli Generale dell' Ordine de' Servi di Maria.

TREVISO.

Ill. e Reverendiſs. Monſ. Paulo Franceſco Giuſtiniani Veſcovo di Treviſo.

Ill. Sig. Canonico Bocchi.

Ill. Sig. Canonico Avogaro.

UDINE.

Sua Eminenza il Sig. Cardinal Dolfin, Patriarca di Aquileja.

VERONA.

Il Rev. Sig. Canonico Arciprete Gianfranceſco Muſelli.

Ill. Sig. Co: Ottolino Ottolini.

VICENZA.

Monſig. Illuſt. e Reverendiſs. Antonio Priuli Veſcovo di Vicenza.

Nel Tomo Seſto ſi regiſtreranno gli altri, non avendo permeſſo la riſtrettezza del tempo di raccoglierli tutti.

3 2044 058 188 632

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DUE FEB 13 '40